# JACOBI PIGNATELLI

## E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris

# CONSULTATIONES CANONICÆ,

*IN QUIBUS*

## PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ

Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sac. Concilium Tridentinum; ad Epiſcopos, & Regulares; ad Immunitatem, Libertatem, Juriſdictionem Eccleſiaſticam, ac hujuſmodi alia potiſſimùm pertinent; non ſolùm ex utroque Jure ſcripto, ſed etiam ex Sacrarum Congregationum Decretis, Rebus Judicatis, Placitis, atque Conſultis, ex Prudentum Reſponſis, ex Moribus receptis, breviter, ac perſpicuè dirimuntur.

*OPUS OMNIBUS UTRIUSQUE FORI JUDICIBUS, JURISCONSULTIS, ac Politici ſtudii Myſtis, imprimiſque Summorum Pontificum & Rerumpublicarum Conſiliariis, & Advocatis utile planè, ac neceſſarium.*

Cum duplici *Indice*, altero *Conſultationum* ſingulis Tomis præfixo, altero *Rerum Notabilium* ex pluribus in unum Generalem coacto, ſingularique Volumine comprehenſo.

EDITIO *ultima ab* AUTHORE *recognita, multis in locis aucta, & à mendis expurgata.*

## TOMUS SECUNDUS.



COLONIÆ ALLOBROGUM,

Sumptibus GABRIELIS & SAMUELIS DE TOURNES.

M. DCC.

Cum Privilegio SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.

i16888789

# INDEX ARGUMENTORUM CONSULTATIONUM
## *TOMI SECUNDI.*


### CONSULTATIO I.

*AN Nuncii Apoſtolici poſſint exercere Pontificalia, vel licentiam aliis Epiſcopis concedere illa exercendi in Provincia ſibi commiſſa, conferendo Ordines ſacros quibuſvis Clericis cujuſcunque diœceſis abſque licentia Epiſcopi loci, in quo ejuſmodi Pontificalia exercentur?* Pag. 1.

### CONSULTATIO II.

*An Clericus, ſive regularis penſionarius, qui ex diſpenſatione poteſt retinere penſionem in ſtatu matrimonii, & ſine habitu clericali, per aſſecutionem officii laici cum poteſtate ſanguinis illam amittat?* Pag.4.

### CONSULTATIO III.

*An deretum S. Concilii Trident. cap.17. ſeſſ.25. de Regular. diſponens puellas profeſſionem emittere non poſſe antequam earum voluntatem exploraverit Epiſcopus, vel, eo abſente, aut impedito, ejus Vicarius, comprehendat etiam viros, ſi in ingreſſu Religionis, antequam habitum ſuſcipiant, prætendatur à parentibus, & conſanguineis vel curatoribus non liberos, ſed coactos fuiſſe?* Pag. 7.

### CONSULTATIO IV.

*An Epiſcopus poſſit eodem contextu, atque unico decreto mulctare Canonicum, qui per ferè tres annos abfuit à ſua Eccleſia, privatione medietatis fructuum primi anni, integris fructibns ſecundi anni, & Canonicatu tertii anni?* Pag. 7.

### CONSULTATIO V.

*An idem Epiſcopus ex integro poſſit ipſum Canonicum, nunc tandem reſidentem, mulctare ſaltem privatione medietatis fructuum primi anni? Et quatenus negativè reſpondeatur?*

*An poſſit illum ratione prænarratæ longæ abſentiæ mulctare ſaltem aliis pœnis ad præſcriptum ſacrorum Canonum, vel etiam arbitrariis?* Pag. 9.

### CONSULTATIO VI.

*Cùm juxta declarationem Congregationis ſacrorum Rituum ſub die 24. Aprilis 1627. & ſub Alexandro VII. non poſſint celebrari Miſſæ de Requiem quando occurrit feſtum duplex in die aſſignato pro Altare privilegiato, quæritur, an celebrando Miſſas de feſto occurrente in eodem altare, ſatisfiat voluntati teſtatorum, & eorum animæ lucrentur Indulgentias?* Pag.9.

### CONSULTATIO VII.

*De virtute heroica in canonizando prærequiſita. In quo formaliter conſiſtat. Quando atque unde cognoſcatur, quòd ſit in gradu heroico,* Pag. 10.

### CONSULTATIO VIII.

*Vtrum in muliere ſit admittenda virtus heroica?* Pag. 12.

### CONSULTATIO IX.

*De virtutibus theologicis in gradu heroico?* Pag.14.
*De fide theologica?* ibid.
*De Spe theologica?* Pag. 15.
*De Charitate erga Deum?* Pag. 16.
*De Charitate erga proximum?* ibid.

### CONSULTATIO X.

*An cum virtutibus theologicis virtutes etiam morales, ſeu Cardinales per ſe infundantur, ita ut conſtito de virtutibus theologicis in gradu heroico, conſtet etiam de virtutibus Cardinalibus in eodem gradu?* Pag. 18.

### CONSULTATIO XI.

*Vtrum præter virtutes omnes, infundantur cum gratia habituali dona Spiritus ſancti, quæ ſint etiam habitus ſupernaturales à virtutibus diſtincti?* Pag.20.

### CONSULTATIO XII.

*De Beatitudinibus?* Pag. 21.

### CONSULTATIO XIII.

*De Fructibus Spiritus Sancti?* Pag. 21.

### CONSULTATIO XIV.

*De differentia inter virtutes, dona, beatitudines, & fructus ſecundùm gradum?* Pag. 21.

### CONSULTATIO XV.

*Qua certitudine tenendum ſit infundi juſtis virtutes morales, & habitus donorum Spiritus ſancti diſtinctos à virtutibus ſimul cum gratia, & charitate?* Pag. 21.

### CONSULTATIO XVI.

*De virtutibus moralibus in gradu heroico?* Pag.21
*De Prudentia?* Pag. 22.
*De Iuſtitia?* Pag. 24.

*De Fortitudine?* Pag. 25.
*De Temperantia?* Pag. 27.

CONSULTATIO XVII.

*An Virtutes Theologiæ ſint inter ſe connexæ?* Pag. 27.

CONSULTATIO XVIII.

*An virtutes morales per ſe infuſæ ſint connexæ cum gratia, & charitate?* ibid.

CONSULTATIO XIX.

*An virtutes morales acquiſitæ ſint connexæ cum theologicis, præſertim charitate?* Pag. 28.

CONSULTATIO XX.

*An virtutes morales acquiſitæ inter ſe ſint connexæ?* Pag. 28.

CONSULTATIO XXI.

*An Vicarius, ſeu Capellanus amovibilis, Sacerdos ſæcularis, adminiſtrans curam animarum, annexam Commendæ Hieroſolymitanæ, habitans in domo ejuſdem Parochialis tam in iis, quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, quàm in quocunque delicto ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii?* Pag. 29.

CONSULTATIO XXII.

*An Miniſtri ſervientes adſcripti, Procuratores, & familiares, qui habitant in Civitate extra domum Commendæ Religionis Hieroſolymitanæ, ſubjaceant juriſdictioni Ordinarii tam in civilibus, quàm in criminalibus, & mixtis?* Pag. 32.

CONSULTATIO XXIII.

*An Coloni, aliive habitantes in domibus ruralibus Commendæ Hieroſolymitanæ, ſi deliquerint, poſſint ab Ordinario puniri?* Pag. 32.

CONSULTATIO XXIV.

*An Conſervator, qui eſt presbyter ſæcularis diœceſanus, habitans in domo propria, in cauſis propriis tam civilibus, quàm criminalibus, ſeu mixtis, ſubjaceat Ordinario?* Pag. 33.

CONSULTATIO XXV.

*An conſervator valeat tribunal erigere, & aſſumere Miniſtros, utpotè Promotorem fiſcalem, Notarium, & alios Officiales, ſive potiùs uti debeat Officialibus Curiæ Epiſcopalis?* Pag. 33.

CONSULTATIO XXVI.

*An Epiſcopus poſſit, uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, viſitare Eccleſiam parochialem commendæ Hieroſolymitanæ, etiamſi prætendatur, quod ſit nullius diœceſis, & in territorio ſeparato cum juriſdictione quaſi Epiſcopali, & in viſitatione decreta edere in concernentibus curam animarum, adminiſtrationem Sacramentorum, executionem onerum Miſſarum ex piis diſpoſitionibus provenientium?* Pag. 34.

CONSULTATIO XXVII.

*An Clericus poſſit ratione officii, quod habet à Principe ſæculari, coram ipſo conveniri, & ab ipſo puniri, ſi in eodem officio delinquat?* Pag. 40.

CONSULTATIO XXVIII.

*An committat contra prohibitionem accedendi ad Moniales cauſa colloquendi cum illis, qui ad ipſas ſcribit litteras?* Pag. 41.

CONSULTATIO XXIX.

*An pactum, conſenſus, ſive pollicitatio nuda inducat actionem?* Pag. 42.

CONSULTATIO XXX.

*An poteſtas laica poſſit imponere collectas rebus Eccleſiaſticorum?* Pag. 43.

CONSULTATIO XXXI.

*Pleriſque in locis, Oppidis, Civitatibus merum imperium, & criminale eſt penes laicos, civile, & mixtum apud Eccleſiaſticos. Dubitatur, quiſnam ipſorum ſit Protector, ac Dominus, vocanduſque ſit verus patronus?* Pag. 46.

CONSULTATIO XXXII.

*An Clerici cogi poſſint, vel teneantur ad hoſpitandum Milites?* Pag. 48.

CONSULTATIO XXXIII.

*An Canonicis, & Dignitatibus habentibus uſum mitræ ex privilegio Apoſtolico, liceat intra & extra ambitum Eccleſiæ, puta in proceſſionibus majoribus, & minoribus mitram cum velo appenſo penes ſe perferri facere?*

*An in proceſſionibus incipientibus à propria eorum Eccleſia, & longius progrediendo, quàm ſit ambitus murorum ipſius Eccleſiæ, ſit eis interdicenda mitra?*

*An in aliis Eccleſiis exemptis, vel non exemptis, ſive intra Civitatem, ſive intra Diœceſim licitè utantur mitra?* ibid.

*An ea jure utantur in Officiis, ac Miſſis defunctorum, vel in diebus feſtis, nec ubique de præcepto?*

*Num ad hæc ſuffragetur conſuetudo?* Pag. 49.

CONSULTATIO XXXIV.

*An Eccleſiaſtici poſſint vendere, etiam minutim, panem, vinum, aliaque hujuſmodi abſque ſolutione vectigalium, dum ea colligunt è ſuis bonis patrimonialibus, vel beneficialibus?* Pag. 51.

CONSULTATIO XXXV.

*An Canonici Cathedralis poſſint continuare ex antiquiſſima conſuetudine etiam ſine habitu canonicali exiſtentes, retinendi incedendo, & in ſedendo locum digniorem reſpectu Magiſtratus, in quibuſcumque functionibus in quibus ſimul eſſe contigerit, etiam ſi ut ſinguli incedant?*

*An introducendus ſit uſus duorum thuribulorum, ut eodem tempore incenſetur Capitulum, & Magiſtratus, vel ſaltem Magiſtratus thurificandus ſtatim*

poſt

*poſt Canonicos ante omnes alios de Choro contra huc-uſque obſervatam conſuetudinem?*

*An incedentibus Canonicis in habitu canonicali aſſociando Epiſcopum præſertim Cardinalem, debeant ipſi habere locum poſt Cardinalem, dum Magiſtratus incedit ante cum aliis laicis, vel ire poſt, ſpectet ad Magiſtratum prætextu, quòd Canonici ſine habitu canonicali non cenſeantur incedere collegialiter, & quòd ita ſervetur in aliis Civitatibus, in quibus eſt Epiſcopus Cardinalis?* Pag. 67.

### CONSULTATIO XXXVI.

*An donatio facta à Moniali ſuo Monaſterio ſit nulla prætextu, quòd illam fecerit ex ſola licentia Vicarii Monialium, non autem Vicarii generalis, ad quem duntaxat pertinere ejuſmodi licentias ſæpe declaravit S. Congregatio Concilii, præſertim anno 1634.* Pag. 68.

### CONSULTATIO XXXVII.

*An qualitas homicidii proditoris excludentis immunitatem Eccleſiæ juxta formam Conſtitutionis Gregorii debeat plenè, legitimè, & concludenter probari? Vbi quid de cadaveris ſanguinatione ad homicidæ præſentiam, deque ejus cauſa?* Pag. 69.

### CONSULTATIO XXXVIII.

*An qui non ex induſtria, ſed caſu, vel ex ſubita ira, ſive excandeſcentia mutilat, vel occidit in Eccleſia, vel Cœmeterio, privetur Eccleſiæ immunitate? Vbi de homicida, vel mutilatore amente, puero, invito, coacto ob ſui, ſuorumque defenſionem, & hujuſmodi aliis, eorumque cauſa,* Pag. 73.

### CONSULTATIO XXXIX.

*An ſtatutum Apoſtolicum can. 17. nempe; Si quis poſt baptiſma ſecundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus, nec Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum, qui miniſterio ſacro deſerviunt, aſſertum à Syricio ad Pontificatum evecto, pridie Idus Ianuarii anno Chriſti 385. in epiſtola ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem data 3. Idus Februarii, Conſulibus Arcadio, & Baurone, ſicque anno 387. relatumque in can. 5. d. 84. ibi: Quiſquis Clericus, aut viduam, aut ſecundam duxerit uxorem omni Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox denudetur, laica ſibi tantùm communione conceſſa, ac decretum Gregorii X. in generali Concilio Lugdunenſi, relatum in cap. un. de bigam. in 6. quo declaravit bigamos omni privilegio clericali denudatos, & correctioni fori ſæcularis addictos eſſe, contraria conſuetudine non obſtante, procedat etiam in Clericos græcos, qui ritu græco in Italia vivunt?* Pag. 78.

### CONSULTATIO XL.

*An Princeps laicus poſſit ſuis edictis Eccleſiaſticos adſtringere ad obſervandum ea, quæ pro ſanitate tuenda tempore peſtis à ſe decernuntur? Quidve in hac re ab Eccleſiaſticis hactenus receptum fuerit:* Pag. 80.

### CONSULTATIO XLI.

*An Epiſcopus tam de jure, quàm de conſuetudine poſſit in foro ſuo cognoſcere cauſas criminales inter laicos conſentientes ſuæ juriſdictioni?* Pag. 84.

### CONSULTATIO XLII.

*An & quibus privilegiis gaudeat Clericus conjugatus?* Pag. 86.

### CONSULTATIO XLIII.

*An pueri ætate legitima minores, ex diſpenſatione tamen à Religione Hieroſolymitana recepti, & cum fide receptionis ad parvam auream Crucem admiſſi, quique viaticum conſuetum exolverint, ad hoc ut ætate ſuperveniente ad vigeſimum quintum uſque annum poſſint novitiatum agere, ac regularem profeſſionem emittere, eo medio tempore fori privilegio fruantur?* Pag. 91.

### CONSULTATIO XLIV.

*Cuinam competat diſcuſſio Clericatus, quando dubium eſſe poteſt, an quis ſit Clericus, vel gaudeat privilegio fori, vel ne?*

*Item quando habitus eſſet dubius, nec videatur omnino Clericus?* Pag. 92.

### CONSULTATIO XLV.

*Graviter dubitatur, an Epiſcopi, aliive Prælati Pontifice Summo inferiores, poſſint delegare cauſam aliquam Clerici Iudici laico, ſeu permittere Clerico, ut ad judicium ſeculare accedat;* Pag. 93.

### CONSULTATIO XLVI.

*An Magiſtratuum ſæcularium decreta, ut nullus Scholaris ad Doctoratum admittatur, niſi fidem ab Actuariis maleficiorum reportaverit, quòd de quibuſdam delictis non fuerit inquiſitus, ac niſi coram fiſco ſæculari probaverit, ſe per quinquennium in Vniverſitate Studiorum illis operam dediſſe, ab eoque declaratione habita, quòd requiſita in illum concurrant, tendant in præjudicium Epiſcoporum, qui in aliquibus Vniverſitatibus Studiorum Cancellarii auctoritate Apoſtolica, & Imperiali deputati ſunt, ac etiam libertatis Clericorum, quos ſub dictis decretis comprehendi iidem Magiſtratus prætendunt?* Pag. 94.

### CONSULTATIO XLVII.

*Cùm ſæpe contingat, quòd Curia Epiſcopalis procedat contra Laicos pro cauſis ſpectantibus ad forum Eccleſiaſticum, utaturque in ipſis etiam teſtimonio perſonarum ſæcularium, forus ſæcularis ad auferendum Eccleſiaſtico in hiſce cauſis juriſdictionem, vel ſaltem earum exercitium operatur, quòd inquiſitus coram Iudice Eccleſiaſtico de falſitate teſtium apud Curiam ſæcularem poſtulet, contra quos adeò rigidè proceditur, ut ab eorum exemplo nemo ferè inveniatur, qui ſe velit in Curia Epiſcoporum examini ſubjicere. Quòd ſi etiam cenſuris, aliiſve canonicis remediis hujuſmodi teſtes ad deponendum compellantur, aut illas tolerant, aut potiùs ad falsò jurandum inducuntur, Ideò quæritur.*

*An hujuſmodi falſi teſtes puniri poſſint à Iudice Eccleſiaſtico privativè quoad Iudicem ſæcularem? Item quæritur, an poſtquam Iudices ſæculares remiſerint ad Iudicem Eccleſiaſticum cauſas, & proceſſus, in quibus prætendunt extare indicia contra Clericos, poſſint proſequi in capiendis novis indiciis contra ipſos Clericos?*

*Quæritur etiam, an poteſtas laica habeat juriſdictionem in Sodalitates laicorum, authoritate Apoſtolica, vel ordinaria erectas, & habentes Eccleſias formales cum omnibus requiſitis?* Pag. 95.

CONSULTATIO XLVIII.

*Vtrum ad decimas ab hominibus, & Vniverſitatibus impoſitas ex tranſactione inita cum Baronibus intuitu exemptionum perſonalium ſub reſervatione tamen aſſenſus Regii, teneantur etiam Eccleſiaſtici pro prædiis poſt dictam tranſactionem acquiſitis? Vbi de recurſu ad Iudices laicos non multa?* Pag. 97.

CONSULTATIO XLIX.

*An Clerici, qui vivunt in communi cum laicis poſſint cogi ad dividendum ſua bona, ut collectetur portio laicorum?* Pag. 98.

CONSULTATIO L.

*An & quatenus pro parte fructuum, quæ ruſtico, colono, conductori, aut emphyteutæ bonorum Eccleſiaſticorum advenit, poſſit à Principibus laicis imponi, vel exigi collecta, aut aliud onus?* Pag. 98.

CONSULTATIO LI.

*An & quatenus coloni, ſervi, famulive Eccleſiæ, Cardinalium, Epiſcoporum, aut Clericorum gaudeant fori privilegio?* Pag. 104.

CONSULTATIO LII.

*An Laicus offendens familiarem vel Miniſtrum Epiſcopi, vel Cardinalis puniendus ſit à foro Eccleſiaſtico?* Pag. 106.

CONSULTATIO LIII.

*An ſalutationes mutuæ per capitis detectionem, aliave ſigna, atque actus urbanitatis, ita ſatis ſint ad aliquem metu liberandum, ut ſi occidatur, dici poſſit incautè occiſus?*

*An occidens ſub fide data de non offendendo excludatur ab immunitate? Vbi ejuſmodi fides quomodo probetur?*

*An, propter incertitudinem lethalium vulnerum à pluribus inflictorum locus ſit immunitati?* Pag. 106.

CONSULTATIO LIV.

*An & quatenus Eccleſiaſtici teneantur ad munera civilia?*

*An bona in perpetuum obligata cataſtro, ſive æſtimo communi, quæ tranſeunt ad Eccleſiam, & Eccleſiaſticos, reddantur immunia ab oneribus, an verò tranſeant obnoxia dictis oneribus virtute hypothecæ contractæ, ac dependentis ab illorum deſcriptione? Vbi ad rem decreta ſacrarum Congregationum, præſertim Immunitatis plura, antiqua, & recentiora, & ratio ſatisfaciendi Principum expoſtulationibus, ac deſideriis.* Pag. 111.

CONSULTATIO LV.

*An Iudex Eccleſiaſticus compellere poſſit laicos ad delendum à communitatum æſtimo, ſive cataſtro, hoc eſt à libro, quo tributa, & cenſus æſtimari ſolent, bona per Eccleſiaſticos acquiſita?* Pag. 122.

CONSULTATIO LVI.

*An poteſtas naturalis, ſeu civilis, & poteſtas ſupernaturalis, ſeu Eccleſiaſtica, ex natura rei ſint diſtinctæ, & ab invicem ſeparari poſſint?*

*An aliqua ſit naturalis connexio inter poteſtatem naturalem, & ſupernaturalem? Et*

*An in Chriſto fuerit poteſtas ſupernaturalis abſque naturali ſaltem quoad uſum?* Pag. 123.

CONSULTATIO LVII.

*An, quibus, & quatenus permittenda ſit lectio ſacrorum Bibliorum vulgaris verſionis? Vbi an lingua aliqua potior in ſacris, quàm alia?* Pag. 128.

CONSULTATIO LVIII.

*An remiges ad triremes damnati confugientes ad Eccleſiam, gaudeant immunitate?*

*Et quid de remigibus conductitiis, vulgò le Buonevoglie, qui remigandi miniſterio ſe manciparunt?*

*Quidve de militibus refugis è triremibus, & ad Eccleſiam confugientibus?* Pag. 132.

CONSULTATIO LIX.

*An, & quatenus Clerici examinari poſſint coram Iudice Laico?* Pag. 133.

CONSULTATIO LX.

*An, & in quas pœnas incurrant, qui tempore interdicti, aut alias excommunicatos, vel interdictos, vel uſurarios manifeſtos in loco ſacro ſepeliunt, & quo pacto Eccleſiaſticæ ſepulturæ illos tradere poſſint, præcipuè ſi ob violatam immunitatem, ac libertatem Eccleſiaſticam excommunicati fuerint, quive eos, ac quomodo abſolvere poſſint? Vbi ſpeciatim de abſolutione à cenſuris etiam inter vivos ob violatam Eccleſiaſticam immunitatem non pauca ex decretis ſacrarum Congregationum,* Pag. 134.

CONSULTATIO LXI.

*An, & quibus modis pœnæ Eccleſiaſticæ latæ ſententiæ ſuſpendantur? Vbi plura ex decretis ſacrarum Congregationum, de appellatione à cenſuris ob violatam immunitatem, libertatem, & juriſdictionem Eccleſiaſticam,* Pag. 137.

CONSULTATIO LXII.

*An Equites Portugalliæ priventur privilegio fori, & immunitatis à vectigalibus, ſi bigamiam contraxerint?* Pag. 140.

CONSULTATIO LXIII.

*De pœnis contra capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, vel*

*Epiſcopos,*

*Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas &c. Vbi quæ ratio potiſſimùm ineunda ſit, qua captis, carceratis, ac detentis auxilium feratur?* Pag. 141.

CONSULTATIO LXIV.

*Ad quæ onera teneantur Tertiarii S. Franciſci, qui non habent conditiones à Conſtit. Leonis X. in Conç. Lateranenſi edita, requiſitas?* Pag. 143.

CONSULTATIO LXV.

*An, & quatenus ii, qui vulgò Clerici, ſive Diaconi ſylvatici appellantur, gaudeant immunitate à vectigalibus, & exemptione à foro ſæculari?* Pag. 146.

CONSULTATIO LXVI.

*An cœtus mulierum ſimul in ſeceſſu viventium devotionis & pietatis cauſa, ſit illicitus, ita ut Epiſcopus poſſit eis præcipere vel clauſuram regularem, vel reditum ad proprias domos?* Pag. 147.

CONSULTATIO LXVII.

*An ſuſcipiens primam tonſuram ab alieno Epiſcopo abſque ſui Ordinarii dimiſſoriis, ac in fraudem fori ſæcularis, ac munerum laicalium privetur privilegio fori?* Pag. 151.

CONSULTATIO LXVIII.

*An vulnerans lethaliter in Eccleſia, vel Cœmeterio gaudeat Eccleſiæ immunitate?* Pag. 156.

CONSULTATIO LXIX.

*An verba hæc à mandante homicidium mandatariis dicta:* Che al bene, e al male, al quale ſtarò io, ſtarete ancor voi, *ac alia hujuſmodi, æquipolleant rei pecuniæ æſtimabili, ſatiſque ſint ad conſtituendum crimen aſſaſſinii, ac proinde ad amittendam immunitatem Eccleſiæ?* Pag. 158.

CONSULTATIO LXX.

*An liceat Superioribus laicis præcipere, quod non admittantur ad ſcrutinium ſimplices Clerici pro electione Magiſtratuum?*

*An iiſdem Clericis in ſcrutinio poſitis à Superioribus laicis denegari poſſit poſſeſſio illius officii Magiſtratus, ad quod fuerunt electi?*

*An ſit permittendum, quod in libris publicis Communitatis regerantur litteræ continentes prohibitiones, atque præcepta Superiorum ſæcularium contra Clericos tam in primo, quàm in ſecundo caſu prædictorum quæſitorum?*

*An à dictis Superioribus laicis præcipi poſſit eiſdem Clericis, ut non exerceant Magiſtratum, quando ad illum electi fuerint?*

*Et an iidem Superiores laici poſſint emittere decretum aliquod, vel alium actum judicialem facere, quo declarentur ejuſmodi Clerici incapaces ad exercendum officia publica, quamvis illis à ſacris canonibus prohibeatur?* Pag. 159.

CONSULTATIO LXXI.

Miſcellanea.

*In qua ſtrictìm multæ, ac curioſæ quæſtiones abſolvuntur?* Pag. 159.

FINIS.

JACOBI

# JACOBI PIGNATELLI

Sacræ Theologiæ Doctoris,

# CONSULTATIONUM CANONICARUM

## TOMUS SECUNDUS.

### CONSULTATIO PRIMA.

*An Nuncii Apoſtolici poſſint exercere Pontificalia, vel licentiam aliis Epiſcopis concedere illa exercendi in Provincia ſibi commiſſa, conferendo Ordines ſacros quibuſvis Clericis cujuſcumque diœceſis abſque licentia Epiſcopi loci, in quo ejuſmodi Pontificalia exercentur?*

1 MIHI hac in re, ſi, quod ſentio, liberè dicendum ſit, reſpondeo, non poſſe. Ita decernitur in Sac. Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap.5. de reform.* his verbis: *Nulli Epiſcoporum liceat cujuſvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.* Idipſum repetitur *ſeſſ.14. c.2. & ſeſſ.23. c.8. de refor.* Ubi apertè ſtatuitur, quod unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur, & additur: *Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, aut privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus, permittantur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur.* Et luculentiùs *ſeſſ.7. c.11. de reform.* ibi: *Facultates de promovendo à quocunque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente.*

2 Concinunt Concilia, Nicenum 1. *cap.17.* Arelatenſe 2. *c.13.* Antiochenum *crp.13.* Sardicenſe *cap.18. & 19.* Carthaginenſe 3. *cap.20. & 21.* Aurelianenſe 3 *cap.5.* quibus adhærent *cap. Nullum, cap. Epiſcopum, cap. Epiſcopi, c. Non invitati 9.q.2. & c.1. de tempor. ordin. in 6.* ubi ad id requiritur facultas ſpecialis à Sede Apoſtolica. Ita quidem, ut *in cap. Quoniam, de offic. Ordin.* poſt generalem prohibitionem, factam à Concilio Lateranenſe, ne duo Epiſcopi ſint in una eademque Civitate, vel diœceſi etiam diverſarum linguarum, ac rituum, diſponatur, quod Epiſcopus conſtituat ſibi Vicarium Epiſcopum pro tali lingua & ritu, ne una, eademque Civitas, ſive diœceſis diverſos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diverſa capita quaſi monſtrum.

Idipſum iterùm, ac ſæpiùs declararunt S. Congregationes, ut patet ex ſequentibus declarationibus. 3

*Die 9. Martii 1593. in Taurinenſi S. Rituum Congregatio cenſuit, Nuncium Apoſtolicum non debere exercere divina in Eccleſia Archiepiſcopi abſque ejus licentia.*

*Sacra Congregatio Concilii die 16. Aprilis 1633. in Taurinenſi, Nuncius Apoſtolicus, ſi promoveat ad ordines ſacros ſuæ Provinciæ clericos abſque facultate Sedis Apoſtolicæ, ipſe & ordinati incurrunt in pœnas impoſitas à Concilio Tridentino ſeſſ.23. c.8. de refor.*

*Tertio in Taurinenſi die 23. Auguſti 1653. ſupplicat Nuncius Taurinenſis pro reſolutione, an ipſi Nuncio jus competat abſque licentia Epiſcopi diœceſani ordines in propria Capella conferendi habentibus literas dimiſſoriales à propriis Epiſcopis, ut poſſint à quocunque Antiſtite ordinari?*

*S. Congregatio &c. reſpondit jus ordinandi non competere Nuncio abſque licentia diœceſani.*

Hinc Innocentius X. ex voto S. Congregationis, Epiſcoporum & Regularium negociis propoſitæ ſub die 30. Septemb. 1650. prohibuit Cardinali Sabellio, Legato Bononienſi, ne ſe ingereret materiis ſpiritualibus, quas Concilium Tridentinum Ordinario remittit, ut eſt clauſura monialium, approbatio Confeſſariorum, collatio Ordinum, & hujuſmodi. 4

Cauſæ verò plures ſunt Præcipuæ, quia proprius Epiſcopus melius cognoſcit ſuos ſubditos. Tum quia per hoc pax inter Epiſcopos ac Nuncios ſervatur, tolliturque diſcordia, quæ oriretur ex ordinatione alieni ſubditi, *can. Illud, & can. Primatus, d.71.* Navar. *in Summ. c.25. n.68. & 70.* D. Ant. *p.3. tit.14. c.16. §.16.* Tum quia id officium ſpectat ad habentes curam animarum cum poteſtate Epiſcopali, quæ ordinatur ad animarum ſalutem. Nuncii autem non mittuntur tanquam paſtores ovium, ſed potiſſimum ut gubernen in temporalibus magis, 5

quam in ſpiritualibus, cùm eorum poteſtas tendat magis ad forum contentioſum, quàm ad voluntarium. Tum quia Nuncii juriſdictionem Epiſcoporum non debent enervare, neque confundere, *c.Pervenit.39.11.qu.1.* neque turbare ut decernit Tridentinum *ſeſſ.24.c.20. de reform.* ac proinde non poſſunt exercere pontificalia in aliena diœceſi abſque licentia Epiſcopi loci, id enim eſt turbare juriſdictionem. Tum quia hoc eſt eximere à juriſdictione Epiſcopi presbyteros quod ad examen, & approbationem doctrinæ ac morum, quod Nuncii facere nequeunt, cùm ſit contra jus commune ex allegatis à Ciarlino *c.125.nu.* 77. Tum quia ſequeretur, quod Epiſcopi non poſſent quoſcunque ſuos Clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, abſque eorum præcedenti examine, & commendatitiis literis quæcunque auctoritate promotos, à ſuſceptorum ordinum exercitio ſuſpendere. Quod ſanè repugnat Sacr. Concilio Tridentino *ſeſſ.14.c.3.de reform.* Unde neque Legatum à latere poſſe, etiam in caſibus intra annum permiſſis, dimiſſorias concedere, tradit Gloſſa *in cap. Dilectus, de præbend.* & Navar. *de tempor. ordin.conſ.*27. Neque debere admitti à Collectore, vel Nuncio appellationem illorum, qui à ſuo Epiſcopo rejecti ſunt tanquam inhabiles, multò minus eis dimiſſorias dari, declaravit S.Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in una Bragenſi* die 16.Novembris 1621. Et in his terminis, quod non liceat Archiepiſcopo ordines conferre in diœceſi ſui Suffraganei abſque ejus licentia, certum omnino eſt, ut firmat Gloſſ. *in Clem.2. v. etiam celebrare in fin.de privil.*ibi: *Sed ſi juriſdictione, vel officio uti vellent puta ordinando &c. ſine licentia Epiſcopi, id non poterunt*, tenetque Covar.*pract.cap.9.num.2* cum Gloſſ.*in cap. 1. in 2. notab.de offic.Ordin. lib.6.* & Zerol. *v. Archiepiſcopus*, ubi reſpondet ad textum *in cap.*1. cum ſimilibus, *de auctor.& uſu pall.*Immò nec Patriarcha habens aliquas Eccleſias, ſibi immediatè ſubjectas in aliena diœceſi, poteſt dare licentiam in illis exercendi Pontificalia, nec ipſe Pontificalia munia ibidem obire ſine conſenſu Epiſcopi diœceſis, ut reſolvit Sacr.Congregatio Concilii *in una Aquilea* die 14. Junii 1569. Idque etiam in Eccleſiis prætendentibus juriſdictionem ſpiritualem ab immemorabili tempore citra. Et die 28.Martii 1651.ad relationem Eminentiſſimi Cardinalis Ludoviſii Sanctitas ſua decrevit, quod Epiſcopi, S. Congregationi de Propaganda fide ſubordinati, non poſſint exercere Pontificalia in aliis præterquam in propriis Eccleſiis etiam ſi eſſet de conſenſu Ordinariorum ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, ac eidem Pontifici reſervata, dummodo à præfata Sac. Conregatione non ſint in certo loco deſtinati Vicarii Apoſtolici, ſeu adminiſtratores alicujus alterius Eccleſiæ.

6 Nec facultates, quas Sedes Apoſtolica ſuis Nunciis concedit ad id extenduntur. Nam non leguntur expreſsè, ſolumque iis permittit diſpenſare arctatos, ut poſſint promoveri ad ordines extra tempora à ſuis Epiſcopis, vel ab aliis de eorum licentia. Verba verò ſunt iſta. *A ſuo in veritate fidei, & Sedis Apoſtolicæ perſeverante &c. tribus etiam continuis Dominicis, &c. promoveri poſſint, licentiam tribuendi.* Id, quod etiam legitur in facultatibus antiquis conceſſis à Sixto V. Nunciis Hiſpaniarum, ac relatis à Garzia *de benef p.5 c.7.n.*103. Quare, ſi nequeunt Nuncii vigore ſuarum facultatum quidquam aliud facere, niſi concedere licentiam ut quis ordinetur à ſuo Epiſcopo cum ejus permiſſione, jam liquet manifeſtè, Sedis Apoſtolicæ intentionem non eſſe concedendi ipſis Nunciis poteſtatem ordines conferendi neque per ſe, neque per alios abſque licentia proprii Epiſcopi.

7 Et quanquam in Brevi pro quibuſdam Nunciis contineatur clauſula, *Cùm poteſtate Legati à latere*, tamen advertendum eſt, illam non operari, quod poſſit Nuncius ea omnia facere, quæ poteſt Legatus, quemadmodum ad rem firmat Cochier.*de juriſdict. Ordin.in exempt.p.* 2.*q.2.n.6.*& clariùs id determinat Innocentius IV.*in c.1. de offic.legat.in 6.* ubi ait, quod Legati, etiamſi in facultatibus habeant plenam legationem, non idcircò poſſunt conferre beneficia, niſi id eis ſpeciatim concedatur, cùm hæc ſola prærogativa competat Legatis à latere, qui Cardinales ſunt. A quo textu Doctores communiter eliciunt, paritatem cum Legatis à latere in facultatibus non extendi ad res extraordinarias, quæ ſpeciali indigent mentione, ut præ cæteris docet Gambar. *de offic. Legat. lib.1.in eord.n.34.cum ſeq.*

Id autem comprobatur ex eo, quod in Brevibus Nun- 8
ciorum expreſſa ſunt illa omnia, quæ Sedes Apoſtolica voluit ipſis concedere, quorum reſpectu verificari poteſt dicta clauſula, *Cum poteſtate Legati de latere*, ut ea poſſint exercere cum præfata poteſtate. Inſuper fortiſſimum eſt argumentum, quod elicitur ex textu allegato S. Concilii Tridentini *ſeſſ.7.c.11.de refor.* ubi decernitur, quod facultates de promovendo à quocunque, conceſſæ à Sede Apoſtolica non ſuffragatur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam. Quo in caſu etiam præſcribitur forma, quod ſcilicet tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, ac diligenti prævio examine. Unde Signatura gratiæ Sanctiſſimi jamdudum ſolita eſt in hujuſmodi facultatibus ponere clauſulam iſtam, *de licentia Ordinarii*, quemadmodum annotavit Gallemait ad dictum locum Concilii, & teſtatur Staphil. *de Sign. Grat.fol.mihi* 191.& Mandoſ *in prax.Sign.Grat.*qui rectè animadvertit, per eam plures removeri abuſus Solent enim, inquit, infames, & imperiti loca propria nationis fugere, ad alioſque Ordinarios confugere, à quibus ſæpè ea, quæ ab Ordinariis obtinere non poſſunt, extorquent.

Itaque ſi Sedes ipſa Apoſtolica non concedit licen- 9
tiam de promovendo, niſi cum præſervatione licentiæ Ordinarii, facultateſque hujuſmodi non ſuffragantur, niſi iis, qui ordines à proprio Ordinario velint ſuſcipere, multò minus poterunt Nuncii per ſe ipſos ordines conferre, vel licentiam concedere Epiſcopis titularibus, aliiſve, illos conferendi, cùm non ſit in ſuis facultatibus expreſſum. Etenim ſive agatur de ſubditis Ordinarii, in cujus diœceſi ordines conferre prætendunt, duplici modo in Sacri Concilii decretum committunt. Primò, quia non præſervant proprii Ordinarii licentiam. Secundò, quia exercent, vel exerceri faciunt ab aliis munia Pontificalia in alterius diœceſi: Sive agatur de clericis non ſubditis; & etiam delinquunt in S.Concilium, quod tribuit exercitium Pontificalium pro collatione ordinum Epiſcopo loci.

Ceſſat pariter ratio illa, quòd Nuncii, uti Ordinarii 10
Ordinariorum in ſuis Provinciis poſſint cum illis concurrere, ac proinde poſſint omnia, quæ Epiſcopi in ſuis diœceſibus, ut tradunt Speculator *titul. de diſpenſat.§. conſequenter nu.4. & tit.de Legato §.nunc oſtendendum num.54.& §.nunc dicamus num.5.*Anchar.*in cap.fin. de tranſact.num.1.*Abb.*in c.1. de Offic. legat.num.2. & cap. Quod translationem num.9.& cap.Excommunicatis, eodem.tit.in fin.*Selv.*de benef.p.2.qu.3.num.2. & p. 4.qu.9. ſub initio,*Roſella *v.Legatus num.4.* ubi Angel.*nu.*4.Tabiena *qu.*2.Armill. *num.3.* Sylveſt. *v.Delegatus qu.*12.& 14.Gregorius Lopez *l.23. v. No pueden, tit. 9.p.*1. Gutier.*qq.can.lib.1.cap.11.num.6.*Henriq.*lib.* 14. *de irregular.c.18.n.2.*Molin.*tom.1.de juſt.tr.2. diſp.*173. Cuch.*lib. 2 inſtitut.major.tit.nu.5.m.83* Garz. *de benef. part.1.cap. 5.num.282. & part.12.cap.2.num.65.* Villadieg. *de Legit. qu.9.num.82.* Azor.*tom.2. lib.5.cap.29.qu.14.* Rot.*deciſ. 459.in antiq.& dec.1.& 2.de offic. legati in nov.* Ricc. *in prax.reſol.383.num.2.*Ugolin.*de offic.Epiſc. cap.* 52. §.1. Ergo cùm Epiſcopi in ſuis diœceſibus poſſint exercere Pontificalia, aliiſque Epiſcopis licentiam concedere illa exercendi, poterunt ſimiliter Nuncii in ſuis Provinciis. Ex quo argumento probat Sanchez *de matr. lib. 3. diſp.*

28.num.

28. *num.* 8. Poſſe quoſvis Legatos Pontificios aſſiſtere matrimonio, & alii ſacerdoti licentiam aſſiſtendi concedere, poſſeque omnia, quæ Epiſcopis competunt. Augeo vim rationis. Nuncii in Provincia ſibi demandata gerunt vices Sedis Apoſtolicæ, *cap. mandata, de præſumpt.* ibi: *Proinde ſuper cunctas Eccleſias Siciliæ te vices Sedis Apoſtolicæ miniſtrare decernimus*, & aſſerunt Cuch. *loco citat. num.* 22. Garz. *part.* 5 *cap.* 3. *num.* 13. In eaque Summi Pontificis perſonam gerunt, ut tradunt Vitalin. *in Clem.* 2. *de offic. ordin. num.* 13. Villadieg. *part.* 1. *quæſt.* 9. Igitur poſſunt Epiſcopis dare facultatem exercendi Pontificalia in aliena diœceſi, vel ipſi ea exercere.

11 Nam hæc non procedunt in iis, quæ à Sacris Canonibus, & S. Concilio Tridentino expreſsè proprio Ordinario reſervata ſunt, cùm ad ea non extendantur facultates generales, ut in terminis fortioribus Legati à latere firmat textus *in cap. ſtuduiſti, de offic. deleg.* Quod autem Nuncii non poſſint concurrere cum Epiſcopis in iis, quæ ad ipſos ſpectant, clariſſimè probatur decreto Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 13. *de reform.* Ubi decernitur quod præſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nunciis, non inſtituantur, etiam prætextu cujuſvis privilegii, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Quare Nuncii habent quidem poteſtatem, Epiſcopali majorem, non ſanè ſimpliciter, ſed ratione eorum, quæ Epiſcopis non competunt aut non conceduntur. Majoritas ergo attenditur reſpectu privilegiorum, quæ Pontifices Nunciis concedunt. Non conſtat autem Nuncios habere privilegium exercendi Pontificialia in aliena diœceſi abſque Epiſcopi loci licentia. Deinde promotio ad ordines, facta per Nuncios, inducit exemptionem in promotis, quia ex illa non ſubjiciuntur ſuo Epiſcopo, quæ exemptio eſt reſervata Papæ, Gloſſ. *in c.* 4. *v. reſervata, de offic. legat.* & ſtatuit Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 7. & *ſeſſ.* 24. *c.* 20 *de reform.* Ubi poteſtas, etiam Legatorum à latere limitatur in cauſis ibi expreſſis, ita ut non poſſint procedere, niſi Epiſcopo prius requiſito, eoque negligente. Et quamvis Legati, ſive Nuncii in ſuis Provinciis dicantur Ordinarii, non tamen ſunt Ordinarii naturales, ſed quaſi extraordinarii, & ſuperinducti, & ſic odioſi ex Gloſſ. *in Clem.* 2. *de offic. ordin. v. nolumus*, & ibi Vitalin. *num.* 7. Abb. *in cap. ſi quis contra, de for. compet. num.* 4. Caſſad. *deciſ.* 5. *numer.* 3 & 11. *de decret. & reſervat.* Gonzal. *in regul. S. Cancel. gloſſ.* 21. *numer.* 38. Rot. *deciſ.* 206. *num.* 3. *part.* 1. *div.* Simonet. *de reſervat. quæſt.* 89. *num.* 3. & ibi Granut. *lit. A.* Sarnen. *in regul. de valore, qu.* 2. Creſcent. *deciſ.* 20. *de præb.* ac Put. *lib.* 2. *dec.* 45. *in fin.*

12 Minus obſtat aſſerta conſuetudo, quæ licet non poſſit hac in re dare Nunciis juriſdictionem, eſt tamen ſignum, eam habere à Papa. Tum quia eſt ſublata à Tridentino per decretum irritans, quod in unoquoque capite Concilii continetur ex Conſtitutione Pii IV. confirmatoria ejuſdem Concilii. Tum quia ex declarationibus Sacrarum Congregationum jam adductis patet à Sede Apoſtolica hujuſmodi conſuetudinem non approbari. Tum quia Nuncii quædam ſpecialia non poſſunt, niſi ipſis expreſsè ſint conceſſa, argum. *cap. Quod translationem* 4. *de offic. legat.* ibi: *Ad ea tamen ſine ſpeciali mandato noſtro non debuiſti manum extendere.* Tum quia Epiſcopi huic abuſui ſemper ſe oppoſuerunt, ut de Archiepiſcopo Taurini conſtat ex citatis declarationibus, & de Archiepiſcopo Toletano ex epiſtola tenoris ſequentis, Nuncio Hiſpaniarum data menſe Septembris 1667. *Haviendo entendido, que V. S. Illuſtriſſima hà dado facultad al Señor Arcobiſpo, Obiſpo de Cartagena para exercer Pontificales en eſta Corte, y celebrar ordenes en ella, y parecidome reſolucion muy diverſa de la que V. S. Illuſtriſſima me inſignuo el otro dia ſobre eſto miſmo punto, debo dezir à V. S. Illuſtriſſima, que ni el pretexto de no haber en eſta Corte quien celebre ordenes, concorriendo en ella muchos, que ſon pobres, ha debido poner à V. S. Illuſtriſſima en nuovo dictamen por tener aqui ſolo para eſte effecto el Obiſpo de Arcadia ſuffraganeo de mi dignidad, y ſi juzzara neceſſaria la aſiſtencia de otro Obiſpo, le huviera llamado, o por mi miſmo las celebrara, pero no le he reconocido, por non haber llegado a mi, ni a mis miniſtros ordenante alguno a quien ſe le haya negado la licentia para ordenarſe, havendoſe hallado capaz, y ſufficiente, ni el Obiſpo de Arcadia, dejara de ordenar a nadie, que tenga eſtos requiſitos, pues fuera ageno de mi obligacion, y de la profeſſion, que hago de Prelado no tener quien pudieſſe ordenar a todos, los que legitimamente devienſen ſer admitidos, tocando tan immediatamente todo eſto al derecho del Ordenario, a quien privativamente pertenece dar la faculdad para el exercitio de Pontificales, y los de mas actos pertinecientes à ordenes: y ſintiendole aſſi ſu Sanctidad hago memoria a V. S. Illuſtriſſima, que hallandome Cardenal, y electo Arcobiſpo de Toledo, y Virey de Napoles, ſuplique a ſu Beatitud ſe ſervieſe de nombrar Prelados para mi conſacracion, y aunque conſtava a ſu Sanctidad la juſta cauſa, que concurrio, entonces para no llegar a pedir al Señor Cardenal Filamarino Arcobiſpo de Napoles, como Ordenario faculdad para exercer Pontifical en ſu dieceſis, no vino ſu Beatidud en concederla por conſervar a los Ordenarios la juriſdicion, que por derecho les pertinece, aun conſtandole, que no nacia mi ſuplica por falta de reconocimiento a lo que les tocava, con que me vi obligado a ſalir de la dieceſis de Napoles, y conſagrarme en la de Puzol con licencia, que dio ſuo Obiſpo. Y haviendoſe da celebrar las honrras del Rey mi Señor, que haya gloria, no ſe hallo medio para excuſar el pedir licencia al Señor Cardenal Arcobiſpo, y aſſi a viſta de eſtos exemplares, que en mi meſma perſona concurriendo tantas circumſtantias no pudieron excuſarla, eſpero, que ſu Sanctidad tendra ſiempre muy preſentes eſtos miſmos motivos para no permetir en caſo tan diferente de todos modos, que en prejudicio del Ordenario ſe den eſtas licentias, y con tantos enconvenientes, como la experiencia mueſtra cada dia. V. S. Illuſtriſſima haziendo reflexion de todo lo que me ha parecido referirle, y a lo particular deſte punto, me prometo no ſe apartar à V. S. Illuſtriſſima de la mente, que tan manifeſtamente ha moſtrado ſu Sanctidad ſobre caſos, en que pueda prejudicarſe el derecho del Ordenario, ni me prometo merecer menos à ſu Beatitud, ni en la atencion de V. S. Illuſtriſſ. que la que ſe tubo con el Señor Cardenal Filamarino, y con eſta confianza me tendra V. S. Illuſt. ſiempre eſperando, que la acreditara V. S. Illuſt. en eſto y en quanto me toccare. Dios guarde &c.*

Reclamantibus etiam Epiſcopis Hiſpaniarum, quod 13
clariſſimè demonſtratur ex proviſione facta in Regio Conſilio Caſtellæ ſub die 27. Martii 1619. his verbis: *Que el Nuncio de ſu Sanctidad no de demiſſorias, ni haga ordenes ſo pena de eſpulſion del Reyno, y para que los Obiſpos de eſtos Reynos no ordenen en virtud de ellas, no ſe haviendo deſpacho en virtud de teſtimoniales de las Yglesias, de cuyas dioceſis fueren.* Quæ proviſio emiſſa fuit propter querelas Epiſcoporum, ac relata eſt in librum primum novarum Recopilationum *tit.* 8. *pag.* 43. Animadvertendo, hanc proviſionem deduci ad effectum excludendi dumtaxat prætenſam conſuetudinem, atque obſervantiam pacificam, etiam cum Epiſcoporum conſenſu, quando quidem Regium Conſilium in hac materia ſe non immiſiſſet.

Et in ordinationibus emanatis ab Eminentiſſimo 14
Cardinali Fachineto ſub anno 1640. quo tempore munus Nuncii Apoſtolici in Hiſpaniis exercebat, pro reformatione Tribunalis Nunciaturæ in exequutionem concordiæ poſt varios tumultus jam excitatos propter abuſum facultatum ſuorum Anteceſſorum inter cætera in titulo. *Deſpachos en materia de gracia* legitur ſequens Capitulum ſub nu. 10. pag. 11. *No queremos dar faculdad*

*para recebir ordenes, ſino conforme al Sacro Concilio di Trento, y ſolamente en caſo de Sede vacante, o en caſo de injuſta renitentia; o juſto impedimento del Ordenario, y oyendole primero ſobre ello, y en tal caſo con las dichas calidades lo cometeremos a los Obiſpos vicinores, y en caſo de Sede vacante tendremos ſiempre atencion a la neceſſidad de la Yglesia y calidad de ella y con los requiſitos del S. Concilio de Trento.* Ex quibus declaratur abuſus id, quod Nuncii faciebant, conferendo ordines, ac dando facultatem aliis Epiſcopis illos conferendi abſque licentia Epiſcopi diœceſani. Quam reformationem Urbanus VIII. anno ſubſequenti 164 .ſub die 27. Aprilis ſuo diplomate, cujus particula eſt hujuſmodi, comprobavit.

15 *Et in concedendis licentiis ſuſcipiendi ordines extra tempora à jure ſtatuta tenorem ſuarum facultatum ad amuſſim obſervet, illarumque fines non excedat, minuſque cuique literas dimiſſoriales ad ſuſcipiendum ordines concedat, ſed hujus rei curam propiis Ordinariis relinquat, quibus qualitas perſonarum, quæ ad ordines volunt promoveri, & neceſſitas ac utilitas Eccleſiarum cognitæ ſunt. Et quoad licentiam de promovendo, non concedat illas abſque clauſula ſolita cum literis dimiſſorialibus Capituli, ſede vacante, prout cenſuevit, mandantes eidem Nuncio, ut Ordinarios, & Capitula moneat, ut illas non concedant, niſi perſonis idoneis, & capacibus, ac prout Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas exegerit, atque in hoc regulas à ſacris Canonibus præſcriptas obſervent, &c.*

16 Tandem non obſtat, quod Legati & Nuncii Apoſtolici omnia illa poſſint, quæ non ſunt excepta, ut tradit Gloſſ. *in c. ſi Abbatem. v. tranſeundi, de elect. in 6* Nam inde non ſequitur, eos exercere poſſe Pontificalia in aliena diœceſi, cùm id munus non ſpectet ad Nuncios, ſed ſit reſervatum Epiſcopis, ut liquet ex locis Tridentini jam relatis.

17 Quæ omnia procedunt non ſolum reſpectu Clericorum diœceſis, ſed etiam exterorum, qui in ipſa reperiuntur, quemadmodum in his terminis loquitur declaratio Sacr. Congregationis, ſuperius adducta, dum firmat, quod Nuncio non competat hujuſmodi facultas ordinandi ne illos quidem, qui habent dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum, ut promoveri poſſint à quocunque Antiſtite. Ratio eſt manifeſta. Quia licet hujuſmodi actus collationis ordinum exerceatur in Clericos extraneos, tamen præſefert uſum Pontificalium, qui in aliena diœceſi vigore cujuſvis privilegii nemini competit abſque licentia Epiſcopi loci ex decreto S. Concilii Tridentini ea *ſeſſ. 6 c. 5. de reform.*

18 E quibus cenſeo, Nunciis Apoſtolicis vel injungendam eſſe obſervantiam decretorum S. Concilii Tridentini, vel diplomatis Urbani VIII. confirmatorii reformationis Tribunalis Nunciaturæ Hiſpaniarum, vel concedendam à Sanctiſſimo expreſſam facultatem hujuſmodi Pontificalia exercendi. Quod an expediat, fierique poſſit abſque eo, quod aliquo modo Epiſcoporum juriſdictio iis præripiatur, aut turbetur, permittendum videtur eorum judicio, qui in illis partibus præſentes adfuere, & ſyncerè judicium ferre poſſint. Illud autem ex ſuperioribus apertè colligitur, niſi neceſſitas urgeat, vel magna utilitas ſperetur, non eſſe hanc facultatem in præjudicium Epiſcoporum Nunciis concedendam.

## CONSULTATIO II.

*An Clericus, ſive miles regularis penſionarius, qui ex diſpenſatione poteſt retinere penſionem in ſtatu matrimonii, & ſine habitu clericali, per aſſecutionem officii laici cum poteſtate ſanguinis illam amittat?*

1 Affirmativè reſpondet S. Rota Romana. Fundatur in incompatibilitate hujuſmodi officii cum clericatu. Illud enim cum mero ac mixto imperio habet mixtam gladii, ac ſanguinis poteſtatem cum jure condemnandi ad mortem, ac mutilationem membrorum, ut de Capitaneatu tradit Thor. *tr. de magiſtr. Regn. Neapol. tit. de Capit. ſive Rector. Regn. pag. 74. & 75.* Clericatus expreſsè ab hujuſmodi miniſteriis militatibus abhorret, *c. Cleri 1, & c. Quicunque 23. q. 8.* & potiſſimum à cauſis ſanguinis, *c. Clerici*, ubi Innoc. & Hoſtien. *eod. tit. ne cler. vel monach.* Diaz. *in prax. crim. can. q. 53. nu. 4.* Majol. *de irreg. lib. 2. c. 5. num. 1.* Barboſ. *de jur. Eccl univ. lib. 1 c. 39. §. 2 num. 79* Unde eo ipſo, quod Clericus, ſive miles regularis ſe hujuſmodi officio ſæculari ſubjecit, juramentumque præſtitit de illo adminiſtrando, ac de facto adminiſtravit, ſtatim, ac ipſo jure privatus remanſit beneficiis, penſionibus, aliiſque privilegiis clericalibus, Abb. *in c. ſed nec procurationes, in fin. ſub num. 7. eod. tit. ne cler. vel Monach.* Joan Andr. *in c. fin. fin. de Cler. conjug.* Clar. *lib. 5. 6e ſentent §. fin. qu. 73. nu. 6* Gigas *de penſ. q. 55. num. 1 3. & 4.* & in puncto de Judice, Notario, & aliis acceptantibus hujuſmodi officia à Regibus, & Principibus laicis Joan. Andr. *in c. ſicut, in fin. eod. tit. ne cler. vel monach.* ibique Butr. *num. 8. in fin.* & Abb. *num. 3.* Diaz. *ubi ſupra qu. 58. num. 4.* Farinac. *in fragm. p. 1. num. 220* Majol. *d. lib. 2. c. 6. num. 5.* Franc. Marc. *dec. 396. num. 3. p. 2.* Petr. Queſad *controv 29 num. 43* & dixit Rota in Cæſarauguſtana penſionis 14. Junii 1660. *§. ſiquidem, & per tot.* coram bo. me Veroſpio, & in durioribus terminis in Firmana penſionis 25 Junii 2649 §. *Ita tamen Clericus* coram Emin. Celſo, confirmata in alia inſtantia 1. Julii 1665. in princ. coram Albergato, & in Romana penſionis 15. Junii 1668. coram eodem. Etenim per electionem novæ militiæ dicitur quis alteri incompatibili renunciaſſe. Egregiè Barbat. *conſ. 11 n. 11. lib. 1.* Lotter. *de re benef. lib. 3. q. 26. n. 7. & 8* Laym. *theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 17. n. 5.* eadem Rot in d. Firmana penſionis *§ nam per electionem* coram Emin. Celſo & in principio coram Albergato, & in d. Romana penſionis coram eodem, §. *fundamentum in fin.*

2 Hinc videmus, Clericum militiam acceptantem ſtatim ipſo jure amittere penſionem ob militiæ ſæcularis cum ſpirituali incompatibilitatem, ut poſt Azor. *inſtit. mor. lib. 8. c 10. qu. 4.* Paul Roman. *de penſ. cap. 3 num. 4. inter tract. magn. tom. 15. fol. mihi 311.* Caccialup. *tit. pariter de penſ. qu. 15. inter eoſdem tract. & eodem tomo fol. 325.* Gigas ubi ſupra *qu. 55. num. 4. & 5.* Gambar. olim Auditor Rotæ in ſuo tract. *de offic. & poteſt. Legati lib. 6. tit. de penſ num. 743. & ſeqq.* Zacc. *de benef. & penſ. Eccleſ. cap. 11. num. 9. v. quando eam amittit,* Vivian. *de jurep. lib. 13. cap. 11. num. 55. in fin. verſ. vel ſi fiat miles,* Ricciul. *de jur. perſon. lib. 7. c. 5. num. 26. cum ſeqq.* Ciarlin. *contr. for. 130. nu. 70.* & firmavit Rota in præallegata Firmana penſionis, ubi agebatur de penſionario, qui cuſtodiam cujuſdam arcis aſſumpſerat coram d. Eminentiſſ. Celſo 25 Junii 1649. §. *& de penſionibus* confirmata 17. Martii 1656. coram eodem, ac in alia inſtantia coram Albergato ſub d. die 1. Julii 1655. *in princip.* & in Cæſarauguſtana penſionis 14. Junii 1660. in caſu, quo quis munus ſcribæ Curiæ ſæcularis obierat, *hinc ex officii ſumptione* coram bon mem. Veroſpio, & in Abulen. penſionis 14. Januarii 1661. coram d. Eminentiſſimo Celſo, confirmata 27. Junii ejuſdem anni coram Reverendiſſimo Minor.

3 Neque obſtat, quod non probetur, clericum, ſeu militem regularem ſæva exercuiſſe. Quia vis non eſt in actu exercito, qui merè accidentaliter ſe habet, ſed in actu primo, quo quis accinctus potentia propoſitum inducit exercendi, quando caſus evenerit juxta doctrinam Specul. *lib. 1. par. 1. de leg. tit. de diſpenſ. §. juxta, num. 10. verſ. Alii etiam tales,* quàm plures ſequuntur *in cap. Ad audientiam, de homic.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. d. lib. 1. c. 39. §. 2. num. 79 & lib. 3. cap. 14. num. 31. & 32* Ricciull. *d. tract. de jur. perſon. lib. 7. cap. 5. num. 22 & ſeqq.* Franc. Marc. *d. dec. 396. num. 3. verſ. Quia irregularitatem, p. 2.* Majol. *de irregul. lib. 2. d. cap. 6. num 5.* & probavit Rota in d. Firmana penſionis 25. Junii 1649. *à §. non obſtat uſque ad §. demum,*

*num*,& in d. Cæſarauguſtana penſionis coram Veroſpio, §.*Hinc ex officii,in fin.*

4 Hinc viſa ſunt non applicari, quæ ad incurrendam irregularitatem ex adverſo deducebantur. Namque aliud eſt, quempiam effici irregularem ob aliquod crimen, & inde deducere privationem beneficiorum. Aliud verò propter aſſumptionem officii incompatibilis. Primo caſu procedunt auctoritates, ut requiratur trina monitio, & lex expreſſa, quæ irroget pœnam privationis, Ricc.*deciſ.*45.*lib.*2.*per tot.* Sperel.*deciſ.*77.*à num.*11. Rot. coram Millino *deciſ.*227.*num.*1.*& ſeqq.& in recent. dec.* 83.*num.*1.*& ſequentibus part.*7. ea ratione, quòd aliqua ignorantia delinquentem excuſare poteſt. Secundò caſu non eſt opus alia monitione, nec lege, dum adeſt voluntaria dimiſſio ſtatus clericalis. Quiſquis enim ſcire debet, non poſſe quempiam dimittere ſtatum clericalem, & adhuc clericum permanere. Ideoque iſto caſu penſionem ſtatim, & ipſo jure extingui, tradunt Gig.*de penſ.d.q.*55.*num.*2. Garz.*de benef.part.*1.*cap.*5.*nu.*11. Barb. *de offic.& poteſt.Epiſcop.par.*3.*alleg.*57.*num.*216. *& de jure Eccleſ.par.*3.*cap.*14.*num.*31. Galerat.*de renunc. cent.*1. *renunc.*31 *numer.*18. Ricciull. qui diſtinguendo in ſpecie ſatisfacit objecto, *d.tr.lib.*7.*cap.*5.*num.*14.*& ſeqq.* Ciarlin.*contr.for.*36.*num.*43.*& d.contr.*136. *num* 5. *&* 6. Tondut.*de penſ.c.*77.*n.*18. Queſad. *controv.for.*29.*nu.*43. Rot. *in rec.deciſ.*118.*nu.*16. *in fin.par.*1.& pro indubitato ſupponitur in omnibus deciſionibus ſuperiùs adductis.

5 Minus urget diſpenſatio gaudendi, ac fruendi hujuſmodi penſione, non obſtante quod clericus, ſive miles regularis non incederet in habitu, eſſetque conjugatus etiam cum vidua. Quia reſponſum fuit, diſpenſationem non trahi de caſu ad caſum, neque extendi ad diverſa, etiam ex majoritate rationis, *cap. Poſtoralis*, ibique Gloſſ.*de privileg.* Abb. *in cap. Ad aures num.*7.*& ſequentibus de reſcript.* Felin *in c. Paſtulaſti num.*3.*eodem tit.* Rebuff.*de diſpenſ.ſuper defect.natal.num.*47. *& ſeqq.* Pont.*de matrim.lib.*8.*c.*21.*num.*2.*&* 3. Barboſ. *vot.deciſ.* 58.*num.*9.*lib.*2. Rot.*in rec.doc.*497.*num.*2.*par.* 1. *& dec.* 99.*num.*4.*&* 5.*part.*6. Et in his materiis tot requiri diſpenſationes, quot reperiuntur obſtacula, tradiderunt Gemin.*conſ.*33.*num.*8. Grat.*diſcept.*597.*nu.*39.*& diſcept.* 827.*nu.*17. Rot. penes Caſſad. *deciſ.*9 *num.*4.*de prebend. & in div.deciſ.*233.*num.*22.*par.*1.& coram Seraph.*deciſ.* 433.*nu.*8.*& in rec.dec.*76.*num.*3.*& deciſ.*87. *nu.*3.*par.*2. & in his terminis in d. Firmana penſionis anno 1649.§. *Demum non obſtat,&* 1656.§ *fin.* coram Em. Celſo & in præallegata Cæſarauguſtana, §.*neque Breve* coram Veroſpio. Præſertim verò ſi cauſa diſpenſationis tempore gratiæ non exiſteret. Quia mens Pontificis ſuper ea cadere non poteſt, ut ſubdit eadem Cæſarauguſtana, *d.§. Neque Breve, verſ. Præſertim quia defectus clericatus*, & aliàs in hujuſmodi ſpiritualibus penſionibus, uti Clerico reſervatis ſemper ineſt tacita conditio, ſi & quatenus Clericus permanſerit, Ciarlin.*d.contr.*36.*n* 37.*& d.contr.* 136.*n.*8.*& ſeqq.*

6 Denique non relevat, quod officium jam terminaverit, & conſequenter, ceſſante impedimento, ceſſat etiam ejus effectus. Quia objectioni reſpondet eadem Rota in d. Cæſarauguſtana ſub §.fin.ut nempè officii dimiſſio poſſit quidem prodeſſe Clerico ad reaſſumptionem habitus Clericalis, non autem ad recuperandam penſionem, jam ſemel extinctam, & quæ, etiam accedente titularis aſſenſu, abſque beneplacito Apoſtolico reviviſcere non poteſt ex Barboſ. & melius *de jure Eccleſ. lib.*1.*dict.cap.*39. §.2.*num.*79.& melius *lib.*3.*cap.*14.*num.* 31.*&* 32.ac Merlin.*deciſ.*382.*numero tertio*, Rot. in Ferrat.penſionis 15.Octobris 1660.§.*non obſtat* coram Bevilaqua, & fuit etiam dictum in eadem Firmana ſub anno 1665.§ 1.coram Albergato.

7 Et ſanè non poſſe clericos exercere hujuſmodi officia, certum exiſtimo. Quia ex eo, quod clerici ſunt, id eis prohibetur ex *d.c.Clerici,de vit.& honeſt. cler.* ibi: *Clerici officia, vel commercia ſæcularia non exerceant, & cap.*1.*Ne Clerici, vel Monachi*, ubi redditur ratio finalis, quia juxta Apoſtolum, *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Idem habetur *in cap.Sacerdotibus eod.tit.* Unde cùm finis legis ſit, ne ob implicationem in negotiis ſæcularibus diſtrahatur à militia Dei, extenditur diſpoſitio ad illa omnia, quæ perſonam diſtrahunt à ſervitio Dei, & Eccleſiæ. Clerici autem penſionarii, quamvis incedant ſine habitu clericali, ſunt tamen revera clerici, cùm ſint ſaltem prima tonſura initiati, & proinde addicti militiæ Eccleſiaſticæ, & per accidens eſt, quod non utantur habitu clericali, cùmque ſint ſub Eccleſiaſtica juriſdictione, non poſſunt ſe addicere alteri, præſertim ſi cum juramento ſe debeant obligare. Et idcircò ſine diſpenſatione non poſſunt talia officia aſſumere. Unde generaliter non poſſe illa exercere, tradunt præter citatos Molin *de juſt.& jur. tract.*3. *diſput.* 108.& Squillant.*de oblig Cler. parte ſecunda, num.* 106. & notant Doctores *in c. Sed nec, ne Cler. vel Monach.* ubi prohibetur, ne clericus fiat juſtitiarius alicujus Principis. Quia exerceret munus contrarium lenitati, quæ eſt debita miniſtris Eccleſiæ. Et ex *d.c.Sacerdotibus, eod.tit.* generaret ſcandalum in Eccleſia, atque adeò peccaret mortaliter, quia læderet in re gravi diſciplinam Eccleſiaſticam. Ut proinde ibi etiam ſtatuatur, quod ſi clerici in adminiſtratione officii in fraude reperiantur, non ſubveniatur eis ab Eccleſia. Et in *d.cap.Sed ne*, decernitur, quod fiant ab Eccleſiaſtico miniſterio alieni. Quod importat pœnam excommunicationis ſecundùm Panormitanum, vel depoſitionis ſecundùm alios. An etiam pœnam amiſſionis penſionis ipſo facto? Nego.

Siquidem rationes, & auctoritates à Rota deductæ, procedunt fortè in clerico penſionario, qui tranſit ad ſtatum incompatibilem, ac omnino cōtrarium clericatui, non autem in milite regulari, qui uti laicus, vel ſaltem ut perſona ad ſummum religioſa officium ſæculare, etiam cum poteſtate ſanguinis, aſſumpſit. Quod autem penſio reſervata fuerit uti militi vel ex eo conſtare poterit, ſi legantur hæc verba. *Tibi, qui ut accepimus, habitum per milites militiæ N. geſtari ſolitum ſuſcepiſti, ac profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam expreſsè emiſiſti, &c.* Quæ verba cùm ſint appoſita in præfatione diſpoſitionis, in qua ponitur cauſa finalis, *l. fin.ff. de hæred.inſtit.*& ſequuntur Doctores communiter, præcipuè Bart.*in l.Cum hi, in prin.ff.de tranſact.* reſtringunt, ac regulant diſpoſitionem ſequentem juxta narrata in ipſa præfatione, *leg.Cum pater*, §. *Dulciſſimis ff.de leg.*2. Item ſi legantur hæc verba: *Et per te, etiamſi habitum ſuſceperis, & profeſſionem emiſeris ante dictos, ac matrimonium etiam plures, etiam cum vidua, ſeu viduis, ſucceſſivè tamen, & legitimè contrahas, & in habitu, & tonſura clericali juxta formam Conſtitutionis fel. rec. Sixti V. Prædeceſſoris noſtri, non incedas, percipiendam, & exigendam, &c.* Ex quibus apertiſſimè patet, penſionem reſervatam fuiſſe non uti clerico, ſed uti militi, ut ſic non vacet per contractum matrimonii, neque per bigamiam. Quia reducitur ad ſtatum, in quo fuit reſervata, atque apparet, mentem Pontificis fuiſſe, penſionem durare toto vitæ penſionarii tempore, etiamſi ut laicus in poſterum ſe haberet, Gig.*de penſ.quæſt.*54.*num.*3.4.*&* 6. Caccialup.*item de penſ.qu.*30. Salzed. Gregor. Lòp. Covar. & alii allegati à Sanchez.*lib.*7.*de matrim.diſput.*44. *numer.*7. Quare cùm penſio non fuerit aſſignata in titulum, uti clerico, certum eſt, quod per actum contrarium clericatui, non remanet extincta, Laur.*in Clem.* 1.§.*eadem, de ſuppl.negl.Prel.* quem ibi ſequuntur Card.*in* 6 *q. num.*5. Imol.*num.*3.& iterùm Card.*in Clem.*1.*q.*18. *num.* 19.*de reb.Eccleſ.non alien.* Paul de Rom.*in tr. de penſ.c.* 3.*num.*4. Caccialup. ubi ſupra *q.*15. Gig. *ibidem quæſt.*65. Nam clericatus non fuit qualitas, ſine qua reſervatio facta non fuiſſet, ſed tantùm profeſſio militaris, quæ non eſt incompatibilis cum adminiſtratione officii laici, ſicuti eſt clericatus. 8

9 Quatenus verò dicatur, penſionem fuiſſe reſervatam uti clerico, illam tamen non eſſe extinctam ipſo facto, ſed prærequiri legitimam monitionem, ut clerico penſionario non parente, & officium ſæculare non deſerente, extingui poſſet, certum omnino exiſtimo. Et licet ex pleriſque Doctoribus allegatis à Rota ſignificari videatur & ſupponi, quod ipſo facto penſio extinguatur, quos etiam affert ac ſequitur Gonzal *gloſſ.15.numero quinquageſimo quarto*, qui Doctores eodem modo loquuntur de clerico uxorem ducente, ac de illo, qui miles fit, aut officium ſæculare aſſumit, ut conſtat ex Gloſſ. in *cap.qualiter, v.quadriennium, & in cap. ultim.v. Redierint*, *de cler.non reſid.* Quare in utroque loco dicitur vacare ipſo facto beneficia. Et quidem de caſu matrimonii contracti omnes ſupponunt ipſo facto vacare, & ubi primum conſtat de matrimonio contracto, poſſe beneficia, ut vacantia, aliis conferri.

10 Attamen alii, iique ſaniores volunt, clericum effectum militem, vel officium ſæculare exercentem, monendum eſſe antequam penſione Eccleſiaſtica privetur, ut militiam, vel officium deſerat, & ad ſtatum clericalem redeat ita Azor.2.*p.lib.*8.*c.*10.*qu.*4.Gigas *de penſ.q.* 55.& Caſtropal.*tract.*2.*tr.*13.*de benef.diſp.*1.*pun.* 11. *§.*10. *nu.*9. & aliquo modo favet Lotter.*lib.*3.*q.*26.*num.*90.*& ſeqq.* ſuffragaturque Theſaur.*in prax.Eccleſ.p.*2.*v. Habitus cap.*1.*§.limita* 4. & colligitur ex *cap. Quicunque* 23. *q.*8.ibi: *Quicunque ex clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant, ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus, & religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tanquam ſacrorum Canonum contemptores, & Eccleſiaſtica ſanctitatis profanatores proprii gradus amiſſione mulctentur. Quia non poſſunt ſimul Deo & ſæculo ſervire.* requiritur ergo monitio, ut reperiatur contemptus. Immò & ſententia, cùm ſine illa mulctari non poſſint. Unde in deciſ. Farinacii 158. *nu.*16. quod quidam Thomas, qui numquam inceſſit in habitu, & tonſura clericali, ſed ſemper uſus fuerat armis militaribus & inſerviverat pro duce, & militum ductore, ſicuti etiam illo tempore exercebat, quia fuit privatus penſione ultra ducat.60. vigore Bullæ Sixti V. fuit tamen habita pro vera communis opinio, quod requiratur ſententia declaratoria, maximè in facto non notorio, & ubi ſunt hinc inde probationes, Hect. Capyc. *dec.*73.*n.* 26.

11 Atque hinc Cardinalis de Lugo *lib.* 5. *reſponſ. moral. dub.*22.*nu.*8. magnam differentiam agnoſcit inter matrimonium & militiam, ſive officium ſæculare. Nam ut ipſe ait, matrimonium affert ſtatum firmum & perpetuum, qualem non afferunt militia, aliaque officia ſæcularia, quæ aliquando aſſumi poſſunt ad aliquod breve tempus, vel durante aliqua brevi expeditione, vel neceſſitate cum animo redeundi ſtatim ad vitam domeſticam, & inermem, ut ſi Princeps in aliqua re urgenti committeret cuſtodiam arcis alicui clerico, quia non haberet alium, cui confideret, tunc clericus excuſaretur ſi per modum proviſionis munus acceptaret. Urget enim neceſſitas, quæ facit licitum, quod alias de jure non eſt licitum, *cap. Quod non eſt licitum, de reg. jur. & cap. Quantò, de conſuet.* & notant Bald. *in l. Divus Pius init. not.* 2. *ff. de petit. hæred.* Felin. *in cap Querelam num.* 19. *de jurejur.* Tiraquel. *de pœn. temp. cau.*33.*num.*3. Tuſch. *liter. N. concluſ.*10.*num.*12. Unde quamvis contracto matrimonio, eo ipſo & ante omnem monitionem & ſententiam vacent beneficia, & extinguantur penſiones; id tamen non videtur univerſim verum, quando aliquis militiam profiteretur, vel officium ſæculare exerceret. Videtur enim vacatio beneficiorum, & extinctio penſionum fundari in præſumptione, qua miles, vel officialis præſumitur deſerere omnino ſtatum clericalem, & aſſumere ſtatum omnino incompatibilem, ut colligitur ex Gloſſa *in d.cap. Qualiter, v. Quadriennium, de cler. non reſid.* ubi dicitur: *Quandiu non renunciat clericus ſemper eſt, & licet vagetur, non habet Eccleſia pro derelicto, niſi contrahat contrariam negotiationem, ut ſi fiat miles, vel ſi contrahat matrimonium*, Et rurſus Gloſſa in *dict. cap. fin. v. Redierint, eod. tit.* ubi habetur: *Super hoc tamen diſtingue. Quia aut habet Eccleſia pro derelicto, aut non. Si habet eum pro derelicto, puta quia contraxit matrimonium, vel factus eſt miles, vel joculator, cum de hoc conſtiterit, Epiſcopus ſtatim poteſt Eccleſiam illam alii conferre &c. vel ſi recepit aliam Eccleſiam habentem curam animarum, cùm prius talem haberet &c. ſi verò non habet eum pro derelicto, monendus eſt.* Totum ergo reducitur ad præſumptionem relinquendi ſtatum clericalem. Ideòque idem Cardinalis de Lugo advertit, quod Judex, ut ritè ac rectè procedat, deberet prius monere ac citare penſionarium antequam penſionem extinctam declaret. Poteſt enim multa penſionarius allegare ad excuſandum ſuam actionem, ut in ordine ad vacationem beneficii ob relictum habitum clericalem, & aſſumptas veſtes laicas monuit Lotter. *d. lib.*3 *quæſt..*26. *à num.*90. Unde in caſu hujus dubii Eminentiſſimi Patres S. Congregationis Concilii cenſuerunt, monendum eſſe Epiſcopum, ut præmitteret monitionem antequam ad declarandum extinctam penſioneob aſſumptam militiam armatam juridicè procederet, quemadmodum refert idem Cardinalis de Lugo, qui dictæ S. Congregationi interfuit, ſuumque votum dedit. Id, quod eſt conforme perpetuæ menti ejuſdem Sacr. Congregationis, quæ ſæpiùs declaravit, Clericum ſemper remanere Clericum, donec non fuerit à jure, vel ab homine per declarationem, ſervatis ſervandis, factam privatus clericatu, ut declaravit præſertim in una *Leodienſi* 12. Novembris 1630. à Sanctiſſimo approbata. Hic autem non adeſt declaratio à jure, cùm ſolùm *in cap. ſed nec, ne Cler. vel Monach.* contra clericos, qui aſſumunt munus judicandi in cauſa ſanguinis nulla alia pœna imponitur, niſi excommunicationis, vel ſuſpenſionis. Requiritur ergo declaratio Judicis, ut proinde ante declaratoriam Clericus hujuſmodi non ſit privatus ipſo facto ſuis beneficiis, aut penſionibus ex ſola præſumptione renunciationis clericatus, quod duriſſimum planè videtur & ab omni jure alienum. Eſt enim pœna privans jure quæſito. Quandoquidem in hoc caſu locum non habet irregulari as ex delicto, cùm in hoc clericus officialis nullum committat peccatum, licet peccaverit acceptando tale munus, nec etiam ex defectu lenitatis, quia, ut ſupponitur, neminem ſententiavit ad mortem cum effectu ſubſequuto, prout requiritur.

Et proſequendo hanc materiam *in cap. Clericis, ne Cler. vel Mon.* hæc habentur. *Jubemus ſub interminatione anathematis, ne quis ſacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpoſiti ſæcularis. Si quis autem contra hæc venire præſumpſerit & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubjaceat.* Hæc autem excommunicatio eſt latæ ſententiæ ob particulam *ſubjaceat*, Gloſſ. ibi: *v. excommunicatio*, Caiet *in ſum. v. excommunicatio* 16. Navar. *c.*17. *man. n.*117. Suar. *de cenſur. diſp.*23. *ſect.* 3.*n.*22. Tolet. *lib* 1. *c.*37.*§.*5. Sayr. *lib.*3.*c.*32.*n.*6. Molin. *tr.* 3.*diſp.*8. Eſtque communis ſententia. Ad eam tamen incurrendam requiritur antecedens monitio canonica, id eſt trina, vel unica pro tribus cum intimatione prædictæ cenſuræ incurrendæ, ut Suar. *loc. cit. num.*23. Gloſſ. *in cap. ſacro, v. competenti, de ſent. excomm.* Laym. *lib.*1.*tr. de cenſur. cap* 6. *num.*4. Et quamvis aliqui extendant hanc conſtitutionem pœnalem ad omnes clericos, ut Hoſtien. *ibi.* & de communi teſtatur Abb. *numer.*8. Alii verò extendant ſolùm ad clericos in ſacris, ut Angel. Sylveſt. & Tabiena apud Sayrum *num.*6. & ſequitur Navar. *ubi ſupra*, Abbas & Toletus locis citatis; verior tamen, & hodiè magis communis tenet, hanc pœnam ſolùm in Sacerdotibus locum habere, Barboſ. *in d.c. Clericis num.*6. cum Suarez & Filiucio, ac de communi teſtatur Sayr. *num.*6. *in fine.* 12

Incurrunt autem Sacerdotes eam pœnam ſolùm ſi 13

ſint

ſint officiales Principum ſæcularium cum juriſdictione ordinaria, Caiet. *loco allegato*, Sylveſt. *ibidem nu.*28. Tolet. §. *Adverte*, Abb. *in d. cap. Clericis num.*10. Unde non prohibentur eſſe Conſiliarii Principum, Abbas, Sylveſter, Sayrus, & Toletus adducti. Neque prohibentur in cauſa civili ſibi ſemel, aut iterùm delegata à ſæculari poteſtate judicare, Cardin. *in d. cap. Clericis*, §. *Jubemus*, Abb. *num.*11.

14 Neque hæc excommunicatio eſt reſervata, Caietanus, Sayrus, & Suarez ſuis locis allegatis. Quia illa monitio prævia non reddit per hoc excommunicationem latæ ſententiæ à jure ſub conditione monitionis monenti reſervatam, Gloſſ. *in Clem. ult. in fine, de ſtat. monach.* Item nec textus irritat acta, ac proinde valent proceſſus ac ſententiæ Sacerdotis illicitè exercentis laicam poteſtatem ordinariam mandatam, Abb *in cap. Decernimus, n.* 7. *de Judic.* ibique Dec. *nu.*78. Covar. *in Clem. ſi furioſus p.*2. §. 5. *n.*8 *in fin.* Niſi tamen fuerit denunciatus excommunicatus ob eam cauſam, aut niſi pars exceperit contra eum de excommunicatione hujus canonis incurſa, Navar. *d. c.*27. *num.*21. Gutier. *can. q. lib.*1. *cap.*1. *n.*82. Leſſ. *lib.*2. *de juſt. cap.*29. *num.*57. textus *in cap. exceptionem, de except. & cap.*1. *eodem tit. in* 6. Quamvis Sanchez *lib.*3. *conſ. cap.*1. *dub.*18. dicat ſententiam excommunicati denunciati, ſeu vitandi validam eſſe pro foro conſcientiæ, ſi alias ſit juſta.

15 Id certum, quod clericus fit irregularis, ſi proferat ſententiam ſanguinis, ſequuto effectu mutilationis, aut mortis, textus *in cap. Ex literis, verſ. Nos autem*, & ibi Gloſſa ult. *de exceſſ. Pral.* Abb *in d. cap. Clericis, numero* 3. ibique Canoniſtæ communiter, ac docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.*40. *art.*2. & tradit Sayr. *lib.*6. *de cenſur. c.*15. *num.*1. ubi multos adducit, & Suar. *de cenſur. diſputat.*47. *ſect.*1. Quæ irregularitas in Clericis non ſolum dicitur ex defectu lenitatis, ſicut in laicis, ſed etiam ex delicto, cùm in eam incidant ex facto contra Canonum prohibitionem gravem, ut *d. cap. Ex literis*, Valent. *tom.*3. *diſput.*3. *quæſt.*16 *pun.*4. Tanner. *tom.*4. *diſp.* 6. *qu.* 10. *num.*211. Avil. *par.*7. *diſp.*6. *ſect.*5. *dub.*5. §. *Sed contra*, qui notat, irregularitatem non dici ex delicto, quaſi ex homicidio injuſto, ſed ex delicto ob Eccleſiæ præcepti tranſgreſſionem.

16 Non autem Clericus, vel laicus fit irregularis ex ipſa aſſumptione officii Judicii Judicis criminalis, etiam non ſequuta morte, vel mutilatione, ut ex communi ſententia tenet Abb *in d. cap. Clericis num.*3. Diaz. *in prax. cap.*102. Farinac. *in fragmen. v. Clericus num.*391. Suar. *d. diſput.*47. *ſect.*1. *num.*3. & Sayr. *lib.*6. *cap.*16. *num.*3. contra multos, qui id affirmant, nempè Hug. antiq. Canoniſt. *in cap. Si quis poſt* 51. *d.* Specul. *tit. de diſpenſ.* §. *juxta, verſ. Sed quid de Judice*, D. Antonin. *p.*3. *tit.*28. *c.*2. Tolet. *lib.* 1. *c.*38. *nu.*9. Salzed. ad Diaz. *loco cit. lit. C.* Foller. *in prax. par.*2. *cap.*24. Maiol. *lib.*2. *cap.*2. *nu.*3 *per d. cap. Clericis, ne Cler. vel Monach.* Quorum ſententia poteſt procedere in eo ſenſu, ut talis cenſeatur irregularis ex præſumptione, donec ipſe docuerit, mortem, aut mutilationem non eſſe ſequutam ex ſua cauſa, vel ratione periculi effectus hujuſmodi futuri. Quia dum pendet judicium coram ipſo inchoatum, non poteſt promoveri, Henriq. *lib.* 14. *cap.*12. *num.*8. vel quod durante tali officio, & non dimiſſo fit irregularis, ſicut alii publica officia exercentes obligati Reipublicæ ratione pacti, vel juramenti, vel ratiociniorum. Sed hæc non eſt propriè irregularitas, cùm tolli poſſit de facto abſque diſpenſatione, videlicet depoſito officio, & rationibus redditis, Suar. *loc. cit. nu.*3. Sayr. *d. lib.*6. *c.*14.

17 Super irregularitate autem prædicta ex defectu lenitatis ſolus Papa regulariter loquendo diſpenſare poteſt, Navar. *d. c.*27 *num.*217. Tolet. *lib.*1. *c.*88. Suar. *d. diſp.*77. *ſect.*6. *n.*12. Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare ſecundum magis communem ad minores recipiendos, vel ad miniſtrandum in iiſdem jam ante ſuſceptis, Anania, Butrius, Hoſtienſis, & Abbas *in c.*2. *de Cler. pugn. in duel.* Maiol. *lib.*5. *c.*51. *n.*4. quod eſt contra Garz. *de benef. p.*7. *c.*11. *nu.* 34. & alios. Poteſtque Epiſcopus diſpenſare cum promoto ad obtinendum beneficium ſimplex *dict. cap.*2. *de Cler. pugn. in duel.* Garzias *ibid.*

## CONSULTATIO III.

*An decretum S. Concilii Tridentini cap.*17. *ſeſſ.*25. *de Regul. & Monialib. diſponens, puellas profeſſionem emittere non poſſe antequam earum voluntatem exploraverit Epiſcopus, vel, eo abſente, aut impedito, ejus Vicarius, comprehendat etiam viros, ſi in ingreſſu Religionis, antequam habitum ſuſcipiant, prætendatur à parentibus, conſanguineis, vel curatoribus non liberos, ſed coactos fuiſſe?*

Ratio dubitandi eſt, quia & ſi id decretum de ſolis 1
mulieribus loquatur, ejus ratio finalis, quæ eſt libertati ingreſſus conſulere, æquè procedit in viris. Decretum autem ex ratione finali, quæ ejus anima eſt, extendi, aut reſtringi debet, ut multis citatis, probat Tiraquel. *tract. ceſſante cauſa in princip. à num.*138. Deinde quia videtur ſolùm puellarum mentio facta, cauſa frequentioris uſus, eo quod illæ frequentius cogantur. At ubi lex gratia frequentioris uſus aliquid decernit, non excludit, caſum minus frequentem, ut probat Sanchez *lib.*3. *de matrim. diſputat.* 20. *numero tertio.* Tandem quia his rationibus ducti Auctores, etiam magni nominis, quos idem Sanchez *lib.*7. *de matrim. diſputat.*12. *numer.*24. refert, pœnas ſtatutas viro rapienti fœminam, extendunt ad fœminam viri raptricem; & pœnam uxoricidio ſtatutam, extendunt alii, quos idem retulit eodem *lib.* 7. *diſputat.*16. *num.*5. ad viricidium; & decretum Tridentini *ſeſſion.*25. *cap.*18 *de Regular.* comprehendere eos, qui cogunt ad Religionis ingreſſum vel ab eo impediunt viros, tenet Palacius *in* 4. *quæſt* 38. *diſp.*1.

Nihilominus dicendum eſt, S. Concilium Tridenti- 2
num circa explorationem virorum nihil innovaſſe. Eo enim loco de ſolis mulieribus eſt ſermo, & redditur ibi ratio, ut earum libertati conſulatur. Quare viros non comprehendit, neque ad alios extenditur. Nam idem Tridentinum *ſeſſ.*24. *de matrim. c.*9. volens comprehendere eos, qui cogunt ſive viros, ſive mulieres ad matrimonium, id expreſſit. Cùm ergo in præſenti decreto exprimat ſolas puellas, non extenditur ad viros. Nec militat eadem ratio. Nam cùm frequentiſſimum ſit, puellas ſic cogi, raro autem id accidat reſpectu virorum, & legis ſit frequenter contingentibus proſpicere, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* conſulto Tridentinum ſolùm explorationem puellarum decrevit. Qua ratione cum multis aliis Sanchez *d. lib.*7. *de matr. diſp.*12. *n.*25. & *diſp.*16. *n.* 6. defendit, pœnas ſtatutas raptui fœminæ non extendi ad raptum viri, nec ſtatutas uxoricidio, extendi ad viricidium, *lib.*4 *c.*4. *nu.*3. *in decalog.* ſuſtinet cum Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. diſp.*23. *ſect.*5. *nu.*8. & Bannez 2. 2 *qu.*62. *art.*3. *dub.*3. *ad fin.* decreto ejuſdem Tridentini *d. ſeſſ.*25. *c.*18. *de Regular.* non comprehendit illos, qui cogunt viros ad Religionis ingreſſum, vel ab eo impediunt. Accedit, quod ex Conſtitutione Sixti V. circa receptionem Novitiorum inter alia præcipitur Regularium Superioribus, quod conſtare faciant, intrare volentem, ſuſcipere habitum ſponte ſua, non inductum neque coactum. Quare libertati virorum etiam conſultum videtur.

Atque ita S. Congregatio Concilii de prima Octo- 3
bris 1667. in una Calaritana explorationis cenſuit, decretum S. Concilii Tridentini *in d. c.*17. *ſeſſ.*25. *de Regul. & Monial.* non comprehendere viros.

## CONSULTATIO IV.

*An Epiſcopus poſſit eodem contextu, atque unico decreto mulctare Canonicum, qui per ferè tres annos abfuit à ſua Eccleſia, privatione medietatis fructuum primi*

*anni, integris fructibus ſecundi anni, & Canonicatu tertii anni?*

1 Affirmativè videtur reſpondendum. Quia cum dictus Canonicus citatus fuerit ad valvas Eccleſiæ, in qua acceptavit beneficium, requirens perſonalem reſidentiam, fuit profectò ſatisfactum juris diſpoſitioni, præſcribenti hunc verum modum citandi clericos non reſidentes. Ita enim ſtatuitur *in c. Ex tuæ*, ibi: *In Eccleſiis eorum*, ubi Abb. *num. 2. de Cler. non reſid. c. fin.* & ibi Gloſſ. *v. Eccleſia, de dolo & contum.* Gloſſ. *in c. cauſam, eod. tit. v. Ad demum*, ibi: *Denunciationibus ad domum, vel ad Eccleſiam partis abſentis.* Quod planè certum eſt, quando præceſſerint diligentiæ reperiendi abſentem per plures dies, factæ à nuncio per totam civitatem & ſuburbia, & non fuit repertus, ut habetur in *d. cap. fin.* & apud Put. *deciſ. 287. lib. 3.*

2 Quare juſtitia decreti erit perſpicua, & quoad primum & ſecundum annum abſentiæ res caret difficultate. Quoad tertium verò annum intrat diſpoſitio Concilii Tridentini, quod non dicit, illum privandum eſſe, qui abeſt per totum annum, ſed dicit, non licere abeſſe ultra tres menſes quolibet anno, & ſic ad incurrendam pœnam ſatis eſt, ut quis abſit ultra tres menſes quolibet anno, Navar. *con. 3. de Cler. non reſid.* & Garz. *de benef. part. 3. cap. 2. num.* 142.

3 Quod autem iſte ſit germanus ſenſus Concilii patet ex eo, quod dicit, privetur primo anno medietate, & ſecundo anno omnibus fructibus, quos etiam illo anno, in quo abfuit ultra tres menſes ratione reſidentiæ fecit ſuos. Signum evidens, quod etiam ſi per aliquod tempus illo anno reſederit, ſi tamen ultra tres menſes abfuerit, eſt privandus. Id ipſum obſervat P. Theſaur. *de pœn. Eccl. p. 2. v. Reſidentia, c. 3. nu. 4.* Ugolin. *de offic. Epiſc. p. 1. c. 19. n. 3.* Antonel *de regim. Eccleſ. lib. 3. c. 12. n. 1.* & declaravit Sacr. Congregatio his verbis: *Si Canonicus ultra tres menſes uno anno à ſervitio Eccleſiæ abſuerit, dimidia parte fructuum pro illo anno privandus eſt.* Quod adeò verum eſt, ut ad effugiendum dictam pœnam ſit neceſſaria quolibet anno reſidentia novem menſium, ut declaravit eadem Sacr. Congregatio ad *dict. cap. 12. ſeſſion. 24. v. fructuum*, ac tradit Squillan *de obligat. Cler. part. 1. num.* 120.

4 Et hæc opinio corroborari poteſt ex eo, quod notat Abb. *in c. Reprehenſibilis, de appell. in* 2. *notab.* Ubi quando à jure communi, vel ſtatuto imponitur pœna ipſo jure, tunc in ejus executione non requiritur citatio. Quod ſequitur Soc. *in rub. citationib.* poſt alios per eum relatos, traditque Neviz. *conſ. 6. n. 3. & ſeqq.*

5 Equidem non eſt dubitandum, quin poſſit Epiſcopus pro abſentia primi anni procedere ad pœnam ſtatutam pro primo anno. Quod autem expectaverit abſentiam ſecundi anni non inde ſequitur, ut prima, & ſecunda pœna ſit remiſſa. Nam Epiſcopus hujuſmodi remiſſionem nec expreſsè, neque tacitè facere poteſt, Garz *de benef. par. 3. c. 2 num.* 149. Immò ex reiteratione, ſeu continuatione delicti, Canonicum gravius puniendum eſſe, tradit Farinac. *q. 23. num.* 12. ubi quod eſſet abſurdum cogitare, quod ſtante continuatione, ſeu reiteratione delicti, mitius cum delinquente procedendum ſit, per *leg. Illud, §. ſi idem*, & ibi Bartol. *ad l. Aquil.* eoque magis, quia de jure, licet decretum ſit emiſſum uno actu, tamen retrahitur ad tempus culpæ, ſeu delicti, propter quod eſt facta condemnatio, *lege prima, ff. de pœn.* Boſſ. *in praxi titul. de pœn. num.* 37. Jodoc. *in pr. crim. cap. 77. num.* 32.

6 Neque obſtant verba Concilii, ibi: *Si eadem uſus fuerit degligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.* Ex quibus infertur, quod primo anno eſt monendus. Nam hujuſmodi privationes non ſunt inductæ à Concilio pro monitionibus, neque ex forma Concilii requiritur monitio. Quia ad prædictam pœnam fructuum non eſt neceſſaria monitio, ut redeat, ſicuti clarè colligitur ex dictis verbis Concilii, & cenſuit ejus Sacra Congregatio, nempè, *Sacra &c. cenſuit, Canonicos non eſſe citandos, aut monendos ad reſidentiam, neque opus eſſe monitione, ut deſerviant juxta formam hujus decreti*, & refert Garz. *d. par. 3. cap. 2. numer.* 147. Abb. *in cap. qualiter, de Cler. non reſid, num.* 2. Privatio enim fructuum eſt inducta pro pœna delicti abſentiæ, & proinde condemnatio fieri poteſt, etiam poſtquam Canonicus redierit ad reſidentiam, Abb. *in d. cap. qualiter, de Cler. non reſid.* Innoc. *in d. c. Ex tuæ num. 4. eod.* Unde non ſolùm non eſt neceſſaria monitio, ſed etiam poteſt Epiſcopus ad dictas pœnas iterùm procedere. Præſertim, quia Concilium hac diſtinctione non utitur, & licèt utatur verbo *privetur*: quia tamen habet rationem privationis ipſo jure, Theſaur. *de pœn. v. Reſidentia cap. 3. nu. 4. in fin.* Judex videtur potius declarare, quàm privare, & propterea hoc judicium eſt conſiderandum tanquam declarationis, quæ non requirit tot terminorum obſervationes, ſed ſufficit unica citatio ad dicendum cauſam, quare, ut abſens alleget impedimenta abſentiæ.

7 Verùm reſpondeo negativè. Primò, quia, quando lex præfigit tempus, qui non ſervat tempus, nec etiam obſervat legem, ita Baldus, Salycetus, Jaſon, & Surdus *deciſ. 80. num.* 8. Siquidem lex non ſervatur, quando non ſervatur quod in ipſa præcipitur. Præcipitur autem actus non quomodocumque, ſed affixus tali tempori. Unde non ſervat jejunium, qui alio die à præſcripto jejunat. Nam quando lex præfixit tempus actui, inducit ipſum pro forma. Et regula eſt, quod quando aliqua diſpoſitio requirit certum tempus, extra illud locum non habet. Ita Doctores apud Surdum *conſ. 125. nu.* 4 & *conſ. 88. n.* 8.

8 Deinde, quia non poteſt quiſquam dici creſcere in contumacia juxta mentem Tridentini, niſi prius citetur, Mantica *deciſ. 206. numer. 6.* Nam contumacia conſiſtit in eo, quod quis voluntariè nolit facere, quod ſcit, ſe debere facere, ut deſumitur ex *capite ſecundo, de dol. & contum.* & notat Gloſſ. *ibidem, v. Contumaciter.* Nequit enim dici, quod quiſquam ſit contumax, niſi doceatur, quod voluntariè nolit facere, quod ſcit ac debet facere.

9 Poſtremò, quia S. Concilium, mandans eo caſu privationem fructuum ac beneficiorum, id agit propter contumaciam partis non opponentis, vel non deducentis cauſas ſuæ abſentiæ. At in hac ſpecie Canonicus non poteſt dici contumax, cùm Epiſcopus illum non citaverit pro primo & ſecundo anno ad reſidendum, & per conſequens non accuſaverit contumaciam, quod facere debebat, ut illum conſtitueret in contumacia, *l. Properandum, §. Et ſi quidem, Cod. de Judic.* quam ad hoc notat Bartol. *in leg. Conſentaneum in fin. Cod. quomodo & quando Judex, & in leg. ſi finita, §. Julianus numero* 10. *ff. de damn. infect. & in l. 2. in 1. lect. ff. ſi quis in jus voc. non ier. Et in auth. ei, qui in fin. Cod. de temp. appell. & in l. Arbiter calend. ff. de recept. arbitr.* Anchar. *conſ. 97. num.* 8. Roman *conſ. 454. numero quarto*, Paul. de Caſtro *in d. §. Et ſiquidem numero tertio*, & ibi Alex. *in 6. notab. & in conſ. 100. volum. 5.* ubi etiam Jaſ. *numero ſeptimo*, Facitque regula *l. ſi ambo, in princ. ff. de compenſ.* ubi negligentia mutua compenſatione tollitur, quam notat Rot. *dec. 886. in antiq.*

10 Nec obſtant in contrarium adducta. Non quidem illa de citatione. Quia, ut quis poſſit privari beneficio propter non reſidentiam, requiritur trina monitio, & poſt ultimam, adhuc per ſex menſes debet expectari, *dict. cap. Ex tuæ*, & ibi Joann. Andr. Joann. de Anan. & cæteri, *de Cler. non reſident.* Hæc autem forma in hoc caſu non eſt obſervata, & ideò ſententia Epiſcopi non poteſt ſuſtineri, Mantic. *deciſ. 67. num.* 4. Et licet trina monitio cum ſpatio ſex menſium poſt ultimam requiratur, quando quis perſonaliter non poteſt citari, & unica ſufficiat, ſi perſonaliter fuerit executa, *dict. cap.*

*Ex*

*Ex tuæ*,& ibi Abb.*num.*10.*&* 13.Gloſſ.*in cap.Quoniam frequenter*,§.*Porrò,verſ.Canonibus,ut lit.non conteſt.* Jo. de Selva *de benef.part* 4 *qu.*4 *& ſequentibus*. Cùm tamen Canonicus iſte non ſit tanquam abſens per trinam monitionem, aut per unicam perſonaliter monitus, neque adhuc per ſex menſes à ſuo Ordinario expectatus, utique non poteſt beneficio privari Item,quamvis juxta eandem Rotæ deciſionem apud Manticam numer.6. non refragetur, quod priuſquam procedatur ad privationem, procedendum ſit ad ſubtractionem fructuum & excommunicationem,*d.cap.Ex tuæ*, §.1. cùm ſit in electione Epiſcopi,ut declarat *ibidem* Joan.de Anan.& Imola, & hoc modo eadem Rota dixerit,intelligendum etiam eſſe Concilium Tridentinum *d.ſeſſion.*24.*cap.*12. §.*Præterea*, quemadmodum per ejuſdem Sacr.Congregationis Interpretes fuit declaratum, ut non afficiat Epiſcopos, qui poſſunt procedere ad privationem ob non reſidentiam, tametſi illa temporum intervalla non fuerint obſervata; id tamen intelligendum eſt, dummodo trina monitio in abſentem, vel unica in perſonam præceſſerit, juxta jam dicta.

11 Atque ex his eliditur corroboratio. Quia intelligitur ubi lex ſecum affert executionem, ſecus autem in caſu,in quo decretum non habet effectum, niſi ſecuta ordinatione Judicis, cùm tal s privatio non intelligatur ipſo jure, ſed per ſententiam juxta Gloſſam communiter approbatam *in leg.Jubemus* 2 §.*Oeconomus*, *v. Privetur*,*C.de Sacroſ.Eccleſ.& in leg. In criminali,v.Habetur,C.de juriſdict.omn.Jud.*Bartol. *in l. E us,qui in* 2. *notab.ff.de jur.fiſc.& in l.fin.*§. *Quod ſi actor,C.de jurejur.propter calumn.dand.* quem refert ac ſequitur Felinus *in cap.& ſi Clerici*, §. *de adulteriis numero quarto, & in cap. Cùm non homine numero* 9.*&* 10. *de Judic.* Abb. *in cap. Clericis in* 1.*notab.de Cleric.vel Monach.* ubi diſtinguit, aut verba futuri temporis denotant executionem actus, & tunc intelliguntur ipſo jure; aut non denotant executionem actus, & tunc requiritur miniſterium Judicis. Et in terminis decreti loquentis de executione ipſo jure, conſuluit Nevizan. *d. conſ.*6.

12 Et quatenus replicetur, privationem propter lapſum terminum cenſeri factam ex diſpoſitione decreti Tridentini,ac proinde non requiri præſentiam partis ſecundum Baldum, Jaſonem, & alios in locis pròximè citatis. Reſponderi poteſt; hoc intelligi debere, quando lex, ſive decretum habet actum pro perfecto quoad effectum juris, quod non eſt in decreto Tridentini, cùm factum Judicis requiratur; vel intelligi debet, prædicta procedere revocabiliter uſque ad ſubſecutam declaratoriam; *argument. leg.Sancimus,Codice de fidejuſ.*quam ad hoc adducit Hippol *in prax. v. Aggredior numero centeſimo quinto*, poſt Paul. de Caſtr. per eum allegatum,eſtque de mente Felini *in dict.*§. *de adulteriis numero* 4.

13 Et ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una *Aquipendii* die 9.Decembris 1662.nempè,non potuiſſe D. Epiſcopum eodem contextu, atque unico decreto mulctare Archidiaconum ejus Cathedralis, qui per ferè duos annos abfuerat à ſua Eccleſia,privatione medietatis fructuum primi anni, & integris fructibus ſecundi anni.At quæres,

## CONSULTATIO V.

*An idem Epiſcopus ex integro poſſit ipſum Canonicum,nunc tandem reſidentem, mulctare ſaltem privatione medietatis fructuum primi anni? Et quatenus negativè reſpondeatur,*

*An poſſit illum ratione prænarratæ longæ abſentiæ mulctare ſaltem aliis pœnis ad præſcriptum ſacrorum Canonum, vel etiam arbitrariis?*

1 AD utrumque affirmativè videtur reſpondendum. Quia culpa abſentiæ eſt graviſſima, ut apertè colligitur ex Sacro Concilio Tridentino,& toto titulo *de Cleric. non reſid.* Quare punitio vel eſt facienda juxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum, vel per privationem fructuum ad præſcriptum Tridentini per novum decretum. Quia talis punitio non fit ſub conditione futuri redditus, ut ſit punitio privationis beneficii, ſed ob culpam commiſſam abſentiæ præteritæ, & pœnam jam incurſam, ut docet praxis ipſa Nam quando agitur de privatione beneficii, ut *in cap. Ex tuæ, de Cleric. non reſid.* abſens debet citari ad redeundum, & illum expectari, & ſine tali citatione decretum eſt nullum. Quando autem agitur de privatione fructuum, tunc non fit citatio ad redeundum, ſed ſolummodo ad dicendum cauſam, quare non debeat puniri. Quæ citatio non fit ad effectum monendi, ut redeat ad reſidentiam, ſed ad docendum de legitimo impedimento, quo non juſtificato declaratur incurſus in pœnas ad præſcriptum Concilii,à quo fit privatio ipſo jure,nec eſt neceſſaria monitio,ut firmat Garzia *de benef.parte tertia,cap.* 2.*num.*135.

2 Quatenus verò hæc non ſufficiant,ut Epiſcopus poſſit ad præſcriptum Concilii novas decernere condemnationes,videtur,poſſe Epiſcopum exequi pœnas decretas *à cap.Si quis in Clero* 92. 7. *quæſt.*1. *cap.Contumaces* 50. *dict.& tot titul.de Cler.non reſid.* cum ibi notatis, aut alias pœnas Synodales,& in ſubſidium arbitrarias, quas omnes,licet Concilium dederit novam formam puniendi *d.cap.*12.*ſeſſion.*24.*de reform.* non tamen ſuſtulit, Bellet. *diſqu.Cler.de pœn.Cleric.*§.3.*numero quinto*, Navar. *conſ.*8.*numero* 2.*de offic. Jud. Ordin.* ubi quod lex nova, remedium adducens, non cenſetur tollere quicquid per alias leges fuerat ſancitum. Et repetit *conſ.*1. *num.*3.*de cler.non reſid* ac tradit Antonel.*de regim.Eccl.lib.*6.*cap.* 29.*num* 4.

3 Et quidem Epiſcopus ſicuti peccaret,ſi non condemnaret,Navar. *d conſult.*3.*de Cler. non reſid. num.*2. Garz. loco allegato *num.*151. Ugolin.*de offic.Ep part* 1 *cap.* 19. *num.*3. ita etiam,ſi poſt condemnationem,per quam fuit quæſitum jus Eccleſiæ, pœnam remitteret, Navar.*d.conſult.*3 Garz.*ibid.n.*149 Ugolin.eodem loco *n.*5.

4 Neque obſtat,quod redierit ad reſidentiam Quia punitio fit,ut delinquens in futurum non delinquat, & hac de cauſa non eſt abſolvendus à delicto præterito. Ita in terminis de Clerico non reſidente,ſi revertatur, quod ſit puniendus pro modo culpæ,& habito reſpectu ad quantitatem moræ,ſeu abſentiæ,tradit Abb. *in c.Ex parte n.*3.*& in c.Qualiter n.*4.*de cler. non reſid.* Innoc.*in d.c Ex tuæ n.*4.*eod.tit.*

5 Nihilominus dicendum eſt,non poſſe. Quia requiritur citatio. Nam licet pœna privationis fructuum, aut beneficii non ſit latæ ſententiæ, ut ipſo facto amittantur, tamen habet rationem latæ ſententiæ, quatenus non requiritur ad hanc privationem fructuum monitio,ſed ſufficit citatio ad dicendum cauſam, quare non debeat privari,Garz.*eo loco nu.*145.Cùm Sacra Congregatione,cui ſubſcribitur P.Theſaur *de pœn.Eccleſ.part.* 2.*v.Reſidentia c.*3.*nu.*4. Atque ita declaravit eadem Sacra Congregatio Concilii in eadem *Aquipendii* die 17. Februarii 1663.

## CONSULTATIO VI.

*Cùm juxta declarationem Congregationis ſacrorum Rituum ſub die* 24.*Aprilis* 1627. *& ſub Alexandro VII. non poſſint celebrari Miſſæ de Requiem,quando occurrit feſtum duplex in die aſſignato pro altare privilegiato, quæritur,an celebrando Miſſas de feſto occurrenti in eodem altari,ſatisfiat voluntati teſtatorum,& eorum animæ lucrentur Indulgentias?*

Conve

1 CONveniunt communiter, quod quando teſtator, ſive dans ſtipendium petit Miſſam, quæ aut juxta decreta Congregationis Sacrorum Rituum non poteſt celebrari, aut nec ſecundum rubricas Miſſalis, ut ſi pro die feſto, aut duplici peteretur Miſſa de Requiem in altari privilegiato, non conſurgit obligatio quoad qualitatem Miſſæ. Nam quamvis accipiatur legatum, ſive ſtipendium, cenſetur tantùm præberi conſenſus in celebratione Miſſæ, quatenus permiſſa eſt, cùm quælibet voluntas debeat regulari à jure juxta aliàs dicta. Et ideò ſatisfiet obligationi, ſi celebretur Miſſa, quæ eo die ſecundùm Rubricas celebranda eſt. Unde difficultas remanet circa Indulgentias.

2 Quare dicendum eſt. Quando in conceſſione altaris privilegiati non exprimitur aliqua ſpecialis Miſſa, ſed tantùm dicitur, quod celebrando pro aliquo defuncto, ejus anima liberetur à pœnis purgatorii, tunc pro lucrandis Indulgentiis, celebranda eſt Miſſa de Requiem. Nam in tali caſu mens Pontificis recipit interpretationem à jure. Mens enim, præſertim Principis, ſi oppoſitum non conſtet, præſumitur eſſe conformis juri ut obſervant Jaſon *in leg. Cauſas nu. 6. de tranſact.* Gozad. *conſult.*101. *numer.*10. Decian.*conſ.*64. *num.*7. & Grammat. *conſ.*34.*numer.*3. Et proindè cenſetur præſcribere celebrationem pro defunctis juxta præſcriptionem Eccleſiæ. Eccleſia autem præſcribens celebrationem pro defunctis præſcribit ſpecialem Miſſam. Et licèt non obliget abſolutè ad illam celebrandam, quando eſt offerendum Sacrificium pro defunctis, declarat tamen ſuam intentionem, & diſponit, quod ſit illa ſpecialis Miſſæ, quæ pro defunctis celebranda eſt. Præſertim quia intelligitur de celebratione pro defunctis ſecundùm modum conceſſum Eccleſiæ, qui conſiſtit in Miſſa de Requiem, quia alio modo celebrare provenit ex privata electione celebrantium. Conceſſiones enim per modum privilegii debent ſtrictè accipi, ut præ cæteris obſervant Decian.*in c.*1.*de reſcript.* & Surd.*conſ.*422.*num.*12. *lib.*3.

3 Verùm hodie non eſſe amplius hac de re dubitandum aliqui aiunt. Nam Alexander VII. pientiſſimæ memoriæ ſub die prima Decembris *1666.* ex voto Congregationis Sacrorum Rituum declaravit in una Hoſtunenſi, celebrantes in altari privilegiato Miſſas de feſto occurrenti pro defunctis ſatisfacere obligationi, & privilegium habere locum pro conſecutione Indulgentiarum; etiamſi Miſſæ non eſſent de Requiem. At adverto, hanc conceſſionem fuiſſe localem, quam vidi, ac legi. Eam beatiſſ. recordat. Clemens IX. ex voto Sacr. Congregationis Indulgentiarum nuper abs ſe rectæ, publicari volebat, ac declarari eſſe intelligendam generaliter pro omnibus locis. Ego tamen illam adhuc non vidi. Quare incertum.

## CONSULTATIO VII.

*De virtute heroica Chriſtiana in canonizando prærequiſita. In quo formaliter conſiſtat: Quando, atque unde cognoſcatur, quod ſit in gradu heroico.*

1 VIrtutis in heroicam, & communem diſtributio aſſumpta eſt ex 7.eth.initio, ubi Philoſophus cum diſtinxiſſet tria circa mores fugienda, vitium, incontinentiam, feritatem, vitio ait opponi virtutem, nempè vulgarem, & communiter dictam, continentiæ verò incontinentiam, tandem feritati, quæ eſt ſtatus vitii deterrimus, & immanis, quo homo in beſtiam propè degenerat, virtutem heroicam, *Feritati,* inquit, *maximè convenire*, nempè ex diametro quiſpiam diceret, *virtutem, quæ ſupra nos eſt, heroicam quandam, ac divinam.* Conveniunt autem omnes communiter, quod tunc virtus ſit in gradu heroico, quando eſt ſummè excellens, itaut habeat eminentiam quandam ſupra ordinarias virtutes, & excedat modum communem operandi. Ita inter alios notant Almain.*tract.moral.cap.*12. Ocham *in* 3. *q.*15. Angeſt.*c.*12.*moral.tit.*1. Aſpaſ. *in c.*1.*d.lib.*7. *moral.* Ariſt. ad Nicom. qui habetur ſimul cum Euſtratio, Lambinus *in ſchol.* & Faber *in comment.* ad eumdem locum juxta quos virtus heroica dicitur, quæ ſive ob excellentiam operis, ſive ob circumſtantiam intervenientem, quæ opus reddat difficillimum, erumpit in actum ſuperantem communem modum operandi humanum. Difficultas verò eſt in quo formaliter conſiſtat ratio iſta heroicitatis, ex qua tanquam ex propria, & ſpeciali notione cognoſcatur, quod virtus ſit in gradu heroico.

Franciſcus Piccolomineus *in Philoſ. moral. tit. de virtut. heroica grad. 6. c 5.* Caſtellinus *de certitut. glor. Sanctor. cap. 4. ſect. 2 append. 1. numer.3.* aliique non pauci volunt, quod virtus heroica conſiſtat in eo, quod ſit ſupra communem, & ordinariam hominis virtuoſi conditionem, elevando ipſum ad finem ultimum ſupernaturalem, & proindè fundetur in flagranti amore charitatis; itaut charitas ſit forma, per quam virtus heroica habeat ſplendorem, & eminentiam. Ab his parum diſtat explicatio Fortunati Scacchi *de not. & ſign. Sanctor. ſect.* 2. *cap.*4. ubi aſſerit, virtutem heroicam eſſe illam, quæ habet eminentiam ex habitu charitatis, & quæ importat gradum quendam intenſioris charitatis, quo operationes potentiarum ex imperio voluntatis diriguntur ad eminentiſſimnm finem ſupernaturalem, nempè Deum, ut de proximo illum attingit. Ex quo concludit, quod dum potentia ex frequentatis actibus charitatis, & divini amoris acquirit augmentum charitatis infuſæ, & ratione hujus augmenti actus aliarum virtutum diriguntur in Deum, fiunt heroici, quatenus conjunguntur cum augmento prædicto charitatis. 2

Verùm hæc explicatio nihil ſpeciale tribuit virtuti heroicæ, quod non conveniat etiam virtuti, quæ non ſit heroica. Omnes enim virtutes, ut ſint perfectæ virtutes chriſtianæ, debent dirigi in Deum per charitatem, ſine qua virtutes non proſunt, & proindè non ſunt perfectæ virtutes juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. *c.*13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Hinc D. Auguſtinus hanc doctrinam, quod nimirum ſine charitate non poſſint haberi perfectæ virtutes chriſtianæ, per quam referatur in Deum paſſim inculcat, *lib.*1.*de nupt. c.*3. & *lib.*4.*contra Julian. cap.*3. & *lib.*21.*de civit. cap.*25. docens, virtutes non eſſe veras, & perfectas, niſi referantur in Deum. *Licet,* inquit, *à quibuſdam tunc veræ, & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, & ſuperbæ ſunt, & ideò non virtutes, ſed vitia judicandæ ſunt.* Idem repetit eodem *cap.*3.*contra Julianum*, ubi docet ſine amore Dei neminem benè uti creaturis, nec etiam exercere actus veræ, ac perfectæ virtutis, quia omnis actus virtutis fundatur in bono uſu creaturarum. Similiter *lib.*3.*de doctr.Chriſ.cap.*10. diſtinguit charitatem, & cupiditatem, & ait, quod Scriptura informando mores hominum non præcipit, niſi charitatem, nec culpat, niſi cupiditatem, quia ſcilicet, ubi ſunt virtutes ſine charitate non ſunt veræ, & perfectæ virtutes, & ſubdit: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & in ſe, atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum. Et de gratia Chriſti cap.*21 non agnoſcit bonam voluntatem, niſi ſit informata charitate, qua operetur propter Deum. 3

Id ipſum colligitur ex alio principio doctrinæ ejuſdem D. Auguſtini, quòd nempè perfectæ virtutes non ſint, aliud quam charitas, ſeu amor Dei, quo diliguntur bona honeſta creata in ordine ad Deum. Unde *de morib.Eccleſ.cap.*15. habet, *quod ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò eſſe virtutum affirmaverim,* 4

*niſi*

*niſi ſummum amorem Dei.* Clarius id explicat *epiſt.* 29. ubi ait, *quod ad rectè vivendum attinet, virtus eſt charitas, qua id, quod diligendum eſt, diligitur.* Rurſus, ac luculenter *epiſt.* 52. *Quamquam*, inquit, *& in hac vita virtus non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus eſt.*

5 Ratio autem eſt, quia virtus eſt actus voluntatis rectus, & bonus, quo homo fit bonus. Non poteſt autem animus eſſe verè rectus, & bonus, niſi ordinatè ſe habeat. Quia ſi non ſervat ordinem debitum inordinatus eſt. Nequit autem ordinatè ſe habere in ſuis actibus, niſi teneat illum ordinem, cum quo à Deo inſtitutus eſt. Eſt autem inſtitutus cum ordine ad ultimum finem, qui eſt ordo amoris ipſius. Id, quod explicat idem Auguſtinus *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 7.

6 Quo modo autem quælibet perfecta virtus ſit amor quo homo in Deum ſe convertit, declarat ipſe Auguſtinus *lib. de Eccleſ. morib. cap.* 15. his verbis: *Namque illud quatripartita dicitur virtus, & ipſius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ſit in mentibus vis, ut nomina in ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem, ut Temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur. Juſtitia amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans. Prudentia amor, ea quibus adjuvatur ab eis, quibus impeditur, ſagaciter ſeligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Quæ definire etiam ſic licet, ut Temperantiam dicamus eſſe amorem Dei ſeſe integrum, incorruptumque ſervantem. Fortitudinem amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Juſtitiam amorem Deo tantum ſervientem, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ hominibus ſubjecta ſunt. Prudentiam amorem diſcernentem ea, quibus adjuvetur in Deum ab iis, quibus impediri poteſt.*

7 Hoc ipſum pergit explicare in ſingulis virtutibus eodem *lib. de morib. Eccleſ. cap.* 21. ut proindè *cap.* 25. dicat: *Quid amplius de moribus diſputem? Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum, quod negare non poteſtis, ſequitur profectò, quod ſummum bonum appetere eſt benè vivere, ut nihil ſit aliud benè vivere, quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere, à quo exiſtit, ut incorruptus in eo amor, atque integer cuſtodiatur quod eſt Temperantiæ; ut nullis frangatur incommodis, quod eſt fortitudinis; nulli alii ſerviat, quod eſt juſtitiæ; vigilet in diſcernendis rebus, ne fallacia paulatim, doluſque ſubrepat, quod eſt prudentiæ. Hæc hominis eſt una perfectio, qua ſola impetrat, ut veritatis ſinceritate perfruatur.*

8 Denique ponit diſcrimen inter virtutes Gentilium, quas paſſim, præſertim *lib.* 4. *contra Julian. cap.* 3. docet, non eſſe veras, & perfectas virtutes, & Chriſtianorum. Quod illæ ortum habent à cupiditate, quæ à Scriptura culpatur, ut habet. *lib.* 3. *de doctr. Chriſt. c.* 10. Chriſtianorum verò originem ducunt à charitate. Quod regerit *lib.* 1. *oper. imperf.* contra Julianum. Quam ſententiam Concilium Arauſicanum *canon.* 17. aſſumpſit pro determinatione Conciliari, & ſtatuit, eſſe de fide. Cùm ergo omnis virtus, ut ſit vera, & perfecta virtus, debeat radicari in charitate, & elevare hominem ad finem ſupernaturalem, non poteſt per hoc, quod proveniat à charitate conſtitui in gradu heroico.

9 Neque etiam ex intenſione, ſeu augmento charitatis, quod ex frequentatis actibus habetur, habet virtus ſuum peculiarem characterem, ratione cujus conſtituatur in eſſe heroico. Eſt enim certum de fide, quod gratia augetur per bona opera, ut definit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *canon.* 24. & 32. Et proindè quilibet juſtus exercens bona opera recipit ex actibus augmentum gratiæ, & charitatis juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Veritatem facientes in charitate creſcamus.* Quia ſicuti homo per actus bonos ſe diſponit ad gratiam, ita etiam per eoſdem fit dignus, ut Deus conferat majorem gratiam. Charitas igitur in nobis augeri poteſt, non quidem per hoc quod charitati charitas additur, ſed per hoc quod charitas intenditur in ſubjecto, ſic quod ſubjectum magis, ac magis charitatem illam participat, ſecundùm quod magis reducitur in actum illius, & illi magis ſubditur, ſicut ferrum in igne poſitum magis, ac magis ignitur. Unde quilibet actus charitatis diſponit ad augmentum charitatis in quantum ex uno actu charitatis pronior redditur ad agendum ſecundùm charitatem, atq; ita habilitate creſcente, prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis perfectionem, & tunc charitas augetur in actu, cui augmento charitatis nullus terminus poni poteſt in ſtatu viæ. Tum quia charitas ſecundùm rationem propriæ ſpeciei terminum augmenti non habet, eò quòd eſt participatio quædam infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus ſancti. Tum etiam quia cauſa agens caritatem eſt infinitæ virtutis ſcilicet Deus. Tum denique quia creſcente charitate, ſemper in ſubjecto ſupercreſcit habilitas ad ulterius augmentandum charitatem, quia capacitas creaturæ rationalis per charitatem augetur, & per ipſam cor dilatatur, juxta illud: *dilatamini in charitate* 2. Cor. 6. & rurſus, *Cor meum dilatatum eſt*, & ideò ſemper remanet habilitas ad majus augmentum. Quare ait D. Bernardus: *Neceſſe eſt, animam creſcere, & dilatari, ut ſit capax Dei.* Porrò latitudo ejus, dilectio ejus, ut inquit Apoſtolus: *dilatamini charitate.* Nam & ſi anima, cùm ſit ſpiritus, non recipiat corpoream quantitatem, tamen illi confert gratiam, quod negatum eſt à natura. Creſcit itaque, & extenditur, ſed ſpiritualiter, non in ſubſtantia, ſed in virtute. Ex quibus ſequeretur, quod omnium juſtorum virtutes eſſent in gradu heroico, ſi augmentum charitatis ex frequentatione actuum acquiſitum, tribuerit ipſis hanc eminentiam, & dignitatem. Deinde virtus heroica, licèt non ſit diverſæ ſpeciei, cùm ejus præſtantia major non eſt eſſentialis, ſed dumtaxat accidentaria, quia eſt eadem virtutis communis, & heroicæ ratio motiva, eadem item utriuſque natura, & ſubjectum, attamen eſt in diverſo gradu, & ordine ſuperiori. Intenſio autem hoc non præſtat, quia non dat eminentiam ordinis, ſed tantùm auget, ſervato eodem ordine.

Itaque aſſerendum eſt, quod virtus conſtituatur in 10 gradu heroico per id, quod ita in ratione virtutis pura, & defæcata ſit, ut non habeat admixtum quicquam cupiditatis mundanæ ſive ratione objecti, ſive finis, ſive circumſtantiarum, & proindè dicat modum operandi ſupra conditionem humanæ naturæ corruptæ, quæ cùm prona ſit ad bonum concupiſcibile, trahit voluntatem operantem ad ipſum, & facit, quod etiam in exercitio virtutum interveniat aliquid concupiſcentiæ. Unde quando voluntas ſe elevat per gratiam ſupra impreſſionem, quam faciunt cupiditates in operationem virtuoſam, operatur heroico modo. Et hoc pacto tunc homo habet virtutes in gradu heroico, quando operatur cum perfecto dominio ſuarum paſſionum, ita ut in nullo inficiant exercitium virtutis.

Deſumitur ex Ariſtot. *eo lib.* 7. *c.* 1. *moral.* Quam doctrinam approbat etiam ad illum locum D. Thomas, inquiens: *Conſiderandum eſt, quod anima humana media eſt inter ſuperiores ſubſtantias, & divinas, quibus communicat per intellectum, & animalia bruta, quibus communicat in ſenſitivis potentiis. Sicut ergo affectiones ſenſitivæ partis aliquando in homine corrumpuntur uſque ad ſimilitudinem beſtiarum, ita etiam rationalis pars quandoque in homine perficitur, & formatur ultra communem modum humanæ perfectionis, quaſi ad ſimilitudinem ſubſtantiarum ſeparatarum. Et hæc nominatur virtus divina ſupra humanam virtutem, & communem.* Huc ſpectant, quæ D. Bernardus *d. lib. de dilig. Deo*

nunc

nunc in modum expreſſit: *Quando*, inquit, *hujuſmodi experitur affectum, ut divino inebriatus amore animus, oblitus ſui, factuſque ſibi ipſi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum; & adhærens Deo unus cum eo ſpiritus fiat & dicat: Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Beatum dixerim, & ſanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita, rarò interdum, aut ſemel, & hoc ipſum raptim, atque unius vix momenti ſpatio experiri donatum eſt. Te enim quodammodo perdere, tanquam qui non ſis, & omninò non ſentire te ipſum, & à temetipſo exinaniri, & penè annullari, cœleſtis eſt converſationis, & non humanæ affectionis.* Conſentiunt præſertim in hac virtutis heroicæ notione antiqui illi, qui ut eſt apud Almainum *tract.* 3. *moral. cap.* 12. heroicam virtutem appellabant eam, quæ abſque paſſionum motu operatur, quod is modus operandi ſit ſupra communem hominum facultatem. Eodemque reipſa recidit Piccolomineus dicto *grad.* 6. *cap.* 5. *&* 7. tametſi diſtinctiones fruſtra multiplicat, remque non nihil implexam reddit, eſtque in eo planè improbandus, quod *cap.* 6. virtutem heroicam reſtringit ad appetitum ſenſitivum. Et quidem dominari appetitui concupiſcentiæ, dum homini inſurgunt motus ejus, nihil animo moveri, ſed ita amovibilem perſeverare in ſuſcepta deliberatione Deo placendi, ac ſi extra ipſum perturbationes exiſterent, nec ipſe agere in ea re quicquam, ſed pati potius, omninò heroicum eſt, quare inquit D. Auguſtinus ep. ad Galat. *cap.* 5. *Cæterum qui tanguntur hujuſmodi motibus, immobiles, & in majore charitate conſiſtunt, non ſolùm non eis exhibentes membra corporis ad malè operandum, ſed neque nutu conſenſionis ad exhibendum conſentientes, non hæc agunt, & ideò regnum Dei poſſidebunt.*

11 Difficultatem autem hujus imperii non diſſimulat Dio Chryſoſtom. *orat.* 49. Nam pulcra, & eximia quæque difficilia. Eo enim loco pronunciat, illum, qui hoc imperium fortiter, & moderatè regit, non difficile jam eſſe, omnium hominum fieri ſupremum; hoc eſt arduitatem negocii qui pervicerit, ad ipſum verticem inter homines pertingit, idoneuſque cenſetur, qui ſupra omnes emineat, id eſt conſtituatur in gradu heroico; ut proindè graviſſimè S. Chryſoſtomus *homil.* 3. *in* 2. *Corinth. in morali*, demonſtraverit, hac affectuum compreſſione hominem verè Regem effici. Et mox id comprobat exemplo Abrahami, qui accepto dilectiſſimi filii mactandi præcepto, tot cogitationibus, ſive naturalibus affectibus obſiſtentibus dominatus eſt generoſiſſime, ſicque ait: *Attamen tum tot cogitationibut in illum armatis, multa erat tranquillitas, ſtabant tranquillæ omnes, ornantes illum verius, quam metuentes. Itaque ſpecta jam illum extendentem gladium, & quotquot volueris Reges in medium producito, Auguſtos, Cæſares; nihil tamen ſimile dixeris, neque poteris talem exhibere ſpeciem, adeò magnificam, ac cœlis dignam.* Idem pulcherrimè *homil.* 48. *in Matth in fin.* proponit. Eleganter præterea oſtendit Damaſcenus hoc eſſe hominis Regnum, & hac ſui ipſius repreſſione, & ut ad idem inſtitutum loquitur D. Chryſoſtom. *homil.* 2:. *ad popul.* belluarum, quæ in nobis ſunt, frænatione, vigere legis divinitus impoſitæ poteſtatem, hominique magnam gloriam parari, quod rebellante licet inteſtino hoſte, divinis nihilominus mandatis contrarium ferentibus inhæſerit. Similiter philoſophatur Philo *lib. de Agric. ſub init.* Syneſ. *orat. de Regn.* Nyſſen. *orat.* 1. *de homin. orat.* & latè Dio Chryſ. *orat.* 5. Seneca item *Ep.* 113. *ſub finem*, verum hoc eſſe regnum hominis confirmat exemplo; atque hanc eſſe publicam omnium ſapientum vocem, ait Dio Chryſoſt. *orat.* 1. & apud eundem proſequitur Socrates *orat.* 3. *de Regno*, ac brevius, ſed optimè *orat.* 14.

12 Nec ſit qui obmurmuret nos inducere impaſſibilitatem illam, juxta nonnullos ethnicos, & hæreticos ab Eccleſia damnatam; quo nomine multa in eos diſputant Lactantius *lib.* 6. *inſtitut. cap.* 15. & Proſper. *lib.* 3. *de vit. contempl. cap.* 31. D. Hieronym. *epiſt. ad Cteſiphontem*, Joann. Climacus, & Baronius anno Chriſti 388. in fine, apud quem legere licet, eam ſententiam de Stoica indolentia fuiſſe aliorum, Evagrio, & Pelagio affinium, quibus alios inſuper addit S. Hieronymus *in proœm. dialogorum adverſus Pelagianos.* Quoniam in hoc illi à nobis differunt, quod illi hominem ex homine tollunt, nos in corpore conſtitutos nolumus eſſe ſine corpore. Noſter heros vincit quidem affectus omnes, ſed ſentit, illorum ne ſentit quidem. Illi ſuum heroem conſtituunt in evulſione affectuum, nos in dominio. De hac virtute heroica agit doctè, ac fusè P. Branchatus de Laurea in opere de virtutibus *diſput.* 32. cujus ego veſtigia procul adoro.

## CONSULTATIO VIII.

*Utrum in muliere ſit admittenda virtus heroica?*

NEgat Ariſtoteles. Quia cùm heroica virtus ſit ſive eminentia, & ſplendor virtutis, ſive dominium concupiſcentiæ pro attingendo fine ultimo, nempè Deo, egeatque inſtrumentis, & conditionibus illuſtribus, ſolum, aut ſaltem maximè in illuſtrium inſtrumentorum facultate munitis, quorum actiones ſplendidiores ſunt, locum habebit: at mulier eſt animal læſum, & per naturam impotentius viro. Neminem enim latet, quanta ſit ſexus illius fragilitas; atque mollities, à qua etiam derivatum nomen *mulieris* voluerunt. Uſque adeò ſanè infirmitati, & imbecillitati immergitur fœmina; ut tradat Philo *lib. de profugis*, quicquid creatum eſt, quia infirmum, & fragile eſt, fœmineum haberi, & fœmineo nomine in Scripturis appellari. Nec diſſimili ratione S. Ambroſius *lib.* 1. *de Cain. cap. ultim. in fin.* pravos affectus, & vitia, fœmineos animæ fœtus nominat, virtutes autem maſculinos. Quod idem tradit S. Cyrillus *homil.* 10. *Paſch.* Rationem infirmitatis, & mollitiei muliebris reddit S. Baſilius *hom.* 21. ex variis, quod ita congruum fuerit, ut mulier, quam idcircò vocat tenerum animal, magis afficeretur ad puerorum educationem, & in tantis circa eos laboribus ſubeundis non faſtidiret ætatem teneram, curæ maternæ egentiſſimam. Nec minores ſunt in illa cæteri defectus. Plato enim in Timæo ſub fine injuſtitiam, intemperantiam, inhoneſtatem, atque timiditatem, tamquam fœminarum elementa poſuit, & in brutorum, & hominum confinio ita collocat, ut incertum ſit, rationalem ne velit, an brutam eſſe fœminam. Quod *ſi virum bonum unum de mille*, reperit Salomon, *mulierem autem nullam*, meritò adducit Hieronymus, *mulierem eſſe omnium malorum caput*, Longum eſſet enarrare cæteras mulierum imperfectiones. Adi Tertullianum *lib. de habit. mulieb.* Origen. *in homil. Canan. & in* 2. *tractat. comment. in Job*, Cyprian. *in lib. de ſingul. fœmin.* ac Chryſoſtom. *in Matth. cap.* 19. *homil.* 32. 1

Tenendum tamen eſt cum ſententia Theologorum, 2 dari in muliere virtutem heroicam. Omnis enim homo valet heroice ad futuram vitam diſponi, omniſque capax eſt infuſarum virtutum. Deus enim vult omnes ſalvos fieri. Item in omni hominum gradu feritas locum habet, ac proindè heroica virtus, quæ ei opponitur. Et licèt Ariſtoteles obſcurius id concedere videatur, cùm fœminam ſtatuat animal quaſi læſum, & per naturam impotentius viro; tamen quia ipſe in fœmina quoque conſideravit feritatem, & oppoſita in eadem nata ſunt fieri, ideò admittenda in ea eſt virtus heroica. Quare S. Baſilius *homil.* 10. *in Geneſ.* cùm exponeret verba illa, *maſculum, & fœminam fecit eos*, atque item propius illis occurreret, qui imaginem, & ſimilitudinem non ad fœminam, ſed ad ſolum virum pertinere arbitrabantur, hæc addit: *Habet & mulier nihilo minus quàm vir, quod ad imaginem Dei facta eſt, honor utrique natura nihilo diſpar, æquales virtutes,*

*utrique in agone virtutis decertandi propoſitum, par præmium, conſimilis utrique peccati decreta condemnatio. Nolim dicat mulier imbellis ſum, & infirmæ conditionis, hæc infirmitas carnis eſt; nam in anima ſibi ſedem fixit virtus firma, ac potens. Divina igitur imago hæc cum in utroque ſexu peræquè honoretur, ſit & compar in utroque virtus, quæ per bona opera vim ſuam exerat, & explicet.* His accedat, quod mulierum virtus cenſenda ſaltem erit heroica, facta inter virtutes mulierum comparatione. Ut enim viri herois officium eſt inter viros excellere, ita mulieris inter mulieres, quæ etiam in patefacienda heroica virtute virilitatem præſeferunt, & ob id viriles nuncupantur.

3 Alexander de Ales *p.* 2. *quæſt.* 88 *membr.* 5. quatuor aſſignat cauſas, cur mulier corpore infirmior facta fuerit, vir autem fortior. Prima eſt ex parte actionis, & paſſionis, altera ex parte regiminis, & ſubjectionis, tertia ex parte nutriendæ prolis, quarta propter ſpiritualem quandam ſignificationem. Hanc tamen tantam mollitiem, ac teneritudinem ſexui ſuo veluti nativam ſanctæ pleræque mulieres, ac virgines chriſtianæ ſupra ſexum, & conditionem, non paucæ etiam, quod Origenes *homil.* 9. in Judices rectè conſiderat, ſupra ætatem audentes, inſignibus, ac, ſi rem humano modo metiare, propè incredibilibus factis, & fortitudinis, qua agendo, qua patiendo perilluſtribus argumentis exornarunt. Quæ enim & quanta Julittæ ſanctiſſimæ martyris fortitudo, animique generoſitas apud eundem Baſilium in ejus encomio? Agens enim S. Baſilius de impii Judicis decreto, quo ad vivicomburium ob cauſam fidei chriſtianæ damnabatur, *Hæc,* inquit, *nullam ad rem earum, quæ interim dum vivitur, oblectare nos aſſolent, viſa eſt feſtivè adeò excurrere, atque ad deſtinatam ſibi flammam concita perrexit, facie, habitu, ipſis, quæ depromebat, verbis, alacritate inſuper eſfloreſcente, palam indicans, quod in animo deliteſcebat profuſiſſimum gaudium. Mulieres quotquot ſibi aſtabant proximè, obſecrabat, ne ad tolerandos pro tuenda chriſtiana Religione labores, animos ſinerent remolleſcere, neu cauſificarentur, aut prætexerent infirmam fœmineæ naturæ conditionem. Eadem quippè maſſa, qua & viri, & ipſæ conſtamus, dicebat. Ad imaginem Dei perindè, ac iſti, & nos conditæ ſumus. Et ſanè mulier ab opifice creata peræquè ac vir, capax virtutis. Quid enim miri eſt? An non conſanguineæ, & ipſæ ſumus viris per omnia? Non enim ad conſtituendam mulierem ſola eſt aſſumpta caro, ſed & os ex oſſibus. Quo fit, ut & ipſæ Domino non minus, ac viri, redhibere debeamus firmitatem fidei, atque conſtantiam, necnon in adverſis patientiam. His dictis, in lignorum ſtruem accenſam, inſilivit.* Non minorem animi fortitudinem oſtendit fœmina chriſtiana apud Baronium anno 371. Valens Imperator Arianus, cùm Edeſſæ congregatos in campum chriſtianos (deſtructæ quippè fuerant eorum Eccleſiæ) animadvertiſſet, ira excandeſcens colaphum Præſidi Modeſto incuſſit, quod ejuſmodi conventum permitteret, juſſitque ut militum cohortem colligeret ad illos virgis cædendos, fuſtibuſque tundendos. Quod ubi divulgatum eſt, ecce chriſtiana fœmina infantulo onuſta accurrit, & militum agmina penetrat. Rogata quò tenderet, velle ſe reſpondet unà cum infantulo ſuo participem fieri mortis, ac coronæ Chriſtianis præparatæ. Quibus auditis confuſus Imperator deſtitit, furoremque ſuum univerſum in Presbyteros, & Clericos convertit.

4 Sanè S. Auguſtinus *lib. de morib. Eccleſ. cap.* 21. exhibita luculenter fortitudine Jobi, non obſcurè ei præfert fortitudinem matris Machabæorum. Quo ipſo chriſtianarum parentum fortitudinem antepoſuiſſe videtur fortitudini reliquorum Chriſti pugilum, cùm non alibi fortitudo Jobi ad reliquorum in veteri Teſtamento virorum fortitudinem, ſe habere videatur, quàm generoſitas excellentiſſimi inter Chriſtianos martyres ad fortitudinem cæterorum, qui ſub Chriſto, ac pro Chriſto paſſi, interierunt. Unde nemò eſt, qui ſanctas virgines, pudicitiæ ac Religionis cauſa concertantes, & omni carnificum ingenio, ac Præſidium rabiei fortiſſimè illudentes, ſatis demiretur. Nolò res omnibus pervulgatiſſimas deterere dicendò, præſertim cùm S. Ambroſius magnam partem floridiſſimæ ſcriptionis de virginibus his ſertis venuſtarit. Tantum revoco lectori in memoriam, ut mentis oculum in ea, quæ chriſtianis auribus perpetuò inſonant, & libris, picturis, & narrationibus cuivis perſpectiſſima ſunt, tantillum reflectat. Agnoſcet enim quantam fortitudinem chriſtiana Religio viris inferat, quæ fœmineum ſexum, ipſam inquam fragilitatis, & mollitiei imaginem, tanto robore communivit, ut illud S. Ambroſius *epiſt.* 7. anteponat celebratiſſimæ fortitudini Calani, inter Gymnoſophiſtas eo nomine celeberrimi. Lege D. Chryſoſtomum *homil.* 8. *in Matth. in moralis & in homil. decollation. S. Joannis,* Hieronymum ſuper pſal. 44. & Valerium quendam in epiſtola ad Rufinum, & Nazianzenum *in ſententiis diſtichis*, atque inter profanos Plutarchum *de mulierum virtutibus.*

Platonem, quod attinet, nugæ ſunt, quæ delectant imbecilla ingenia, ſicut monſtra in picturis. Nos hæc melimela mulierculis, & ambagioſis ingeniis relinquamus. Satis enim eſt ipſum inconſtantiæ notare. Nam in ſua Republica, & in libris de legibus affirmat fœminas ad eadem eſſe aptas, & idoneas, ad quæ accommodati ſunt viri. Dixi inconſtantiæ, an non etiam ſtultitiæ, & impietatis, ita quòd Tertullianus *in lib. de anima*, Platonem exagitet, ut omnium hæreſum ſeminarium. (Ibi enim illum appellat omnium hæreticorum condimentarium. Idem confirmat D. Hieronymus in Naum Prophetam ad Cteſiphontem, ad Marcellam, ad Anapſychium, & ad Pammachium. Mulier enim Platoni non fuit producta in prima rerum productione. Nobis Heva in prima rerum creatione. Mulieris materia adulterina Platoni, quo quidem modo realem ſe feciſſe nolens, deceptus eſt. Nobis Heva ex vera coſta. Generationes hujuſmodi migrationes potius ſunt Platoni. Quas tamen Eccleſia, & naturalis ratio veras generationes exiſtimat. Agentis, & materiæ fœmineæ obſcura prorſus, aut indifferens aſſertio Platoni. Deus tamen, & ille quidem ſummus, Hevæ animam creat, & ex Adami coſta Hevæ corpus producit. Trium, aut etiam quatuor hominum, ſi tanquam duos Androgynos enumeres, Platoni apud convivium fit mentio in prima rerum à ſuo Deo productione, & ægrè ſibi apud Timæum reſpondet. Unus tamen nobis eſt Adam, una hominis productio. Dii juniores Platoni aliquid hominis concreant, vel ſaltem comproducunt. Pater autem nos creans, Deus eſt nobis unus.

Dicimus igitur atque credimus mulierem ex viro pro- 6
ductam eſſe in hunc modum apud Scripturam *Eccleſiaſt.* 17. *Creavit ex ipſo*, ſcilicet viro, *adjutorium ſibi*, ſcilicet mulierē. Paulus *in act. Apoſt.* 17. *Deus fecit ex uno ſang. omne genus hominum.* Gen. 2. *De viro ſumpta eſt.* Hujus veritatis quatuor perſuaſiones vide apud D. Thomam 1. *p. quæſt.* 92. *art.* 2. & Alphonſum de Caſtro, qui *lib.* 13. *adverſus hæreſes tit. de reſurrect. hæreſ.* 5. qua aſſerebatur omnes homines in ſexu virili eſſe reſurrecturos, exponens illud Geneſis 1. *Maſculum, & fœminam fecit eos*, ſic inquit, *ex quibus verbis conſtat, ſexum fœmineum non eſſe vitium, aut ex vitio, ſed ex natura. Quoniam cùm ante peccatum fœmina erat, non ex vitio contigit, ut fœmina fieret. Nec ſexus ipſe vitium eſt, quoniam non fuiſſet à Deo factus, conſequens eſt, ut qui utrumque ſexum fecit, utrumque etiam reficiat, & qui utrumque inſtituit, utrumque ſimiliter reſtituat.* Et quidem mulierem debuiſſe produci in prima rerum productione habetur Geneſ. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Et poſt reformationem mulie-

tis ſtatim dicitur: *Erunt duo in carne una.* Unde evertitur Platonis de fœmina generatio in ortu ſecundo. Probationes vide apud D. Thomam *loco citato art.* 1.

Simile quiddam, etſi non idem, generationi fœminæ ex quatuor illis Platonicis elementis profertur de ſententia Manetis, Manichæorum Principis. Nam inter cæteras hæreſes aſſeruit, hominem non à Deo, ſed à principe materia factum eſſe, & Hevam ſimiliter ſed inanimatam, & immobilem creatam eſſe, Adam verò formæ feræ. An verò intemperantia, & malitia, aliaque mala ſint fœminæ efficientes cauſæ, ut in hoc cum Manete Plato concordet, an potius materialis, alii viderint. Cùm verò interim Platoni nulla ibidem fiat mentio de Deo, tanquam de fœminæ efficiente cauſa, quemadmodum in hominis productione dictum fuerat, in hoc etiam ab Eccleſia diſſidet, quæ Deum credit feciſſe virum ex limo terræ, mulierem verò ex coſta viri, cujus probationem habes ex D. Thoma loco ubi ſupra *art.* 4. Jam vides quomodo Plato fuerit ante Manetem Manichæus. 7

## CONSULTATIO IX.

### *De Virtutibus Theologicis in gradu heroico.*

1 HOmo ad imaginem Dei factus ad finem homine multò ſuperiorem inſtitutus eſt, & quem propriis viribus conſequi nullo modo poteſt, ac propterea ad eum eſt ſublevandus non modò ope virtutum moralium, ſed etiam virtutibus ſupra humanis, quales ſunt Theologicæ, nimirum Fides, Spes, Charitas, quarum actiones ſupernaturales ſunt, nec à prudentia naturali imperantur, quamvis ſine prudentia exerceri non debeant, ex quibus conſtituitur gradus virtutis omnium perfectiſſimus, ac planè divinus, quo non ſolùm propter Deum officia virtutis obimus, ſed id divinè quodammodo facimus; quod infinitè Dei liberalitatis maximum munus eſt. Movet enim tunc Deus ſolus per ſe ipſum animum hominis ne dum per virtutes theologicas, & morales infuſas, ſed etiam per Spiritus ſancti dona, quæ in Iſaiæ libro *cap.* 11. numerantur Sapientia, Intellectus, Conſilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, Timor Domini. Qui ſunt ſupernaturales habitus excellentiſſimi, ſemperque charitatem comitantur. Quamvis enim apertum aditum Deus habeat in hominis animum per virtutes infuſas, ſive theologicas, ſive morales, ad quædam tamen altiſſima virtutis officia exercenda immittit in hominem altiſſima illa dona, quibus quaſi vinculis ſibi maximè colligatum verſet in omnem partem animum. Ut igitur ad miracula, & ſimilia munera explicanda utitur Deus gratuitis illis chariſmatibus, quæ dona gratis data nominantur, ſic actiones humanas præſtantiſſimas dirigit per dona Spiritus ſancti. Unde, ut oſtendatur, quid ſit diſcriminis inter actionem virtutis, doni ſancti Spiritus, & beatitudinis illius, cujus octo partes Dominus in Evangelio recenſet, dicitur, virtutem, verbi gratia fortitudinis, efficere, ut patienter res adverſæ tolerentur, donum verò fortitudinis, ut alacriter, beatitudinem verò, quæ de perſecutionibus eſt, ut etiam appetantur propter Deum.

2 Appellarunt forſan hujuſmodi actiones Philoſophi *heroicas*, *& purgati animi*. Sancti Patres, *ſpirituales*, *Deificas*, *& divinas* dixerunt. Qui enim hoc divino ſpiritu afflantur, non tam homines, quàm quaſi Dii ſunt, quales fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & viri Apoſtolici tam multi, qui præſtantiſſimorum horum munerum beneficio à mortalibus, & pluſquam homines, & tanquam cœleſtes viri ſuſcipiuntur. Itaque ad virtutes proprio conſilio, & deliberatione, adjutus tamen à Deo, ſeſe incitat homo, ad actiones autem has ſupernaturales impellitur à Deo, quod expreſſit Apoſtolus *Rom.* 18. cùm dixit: *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Moventur verò non lege, aut ordine communi, ſed inſtinctu divino ſingulari, & extraordinario.

Sunt igitur tres modi exercendæ virtutis, quos gradus nominamus. Primus cum exercetur virtus propter virtutem. Secundus cum exercetur virtus propter Deum ſupernaturalem cognitum. Tertius cum divinis illis donis imbuti à Deo ad actiones ſuper humanas, & heroicas inducimur, quales ſunt rerum humanarum contemptus, perpetua caſtitas, injuriarum oblivio, inimicorum amor, mortis denique appetitio propter Deum, quod eſt divinè agere. Hos gradus in ſingulis virtutibus, quoad fieri poterit, breviter inveſtigabimus. 3

### *De Fide theologica.*

Fides eſt virtus theologica, quæ de Deo eſt, rebuſque à Deo revelatione traditis, eidemque uni Deo nititur, tanquam vera dicenti, & qui mentiri nequeat, quia eſt lux infinita, & prima, princepſque veritas. Eſt de fide, & traditur communiter à Patribus, nominatim Ambroſio, Athanaſio, Anſelmo, Chryſoſtomo, Auguſtino, & probatur ex Apoſtolo 2. ad Timoth. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.* Infert autem fidelitatem ex impotentia negandi ſeipſum. Unde cùm impoſſibile ſit, quod Deus ſeipſum neget, erit etiam impoſſibile, quod mentiatur. Idem ſequitur ex ejus immutabilitate. Sicut enim à Deo removetur mutabilitas, ita capacitas mendacii, quod importat defectum, nam deficit ei fidelitas. Itaque non poteſt provenire, niſi à natura defectibilis. Deus autem eſt omninò indefectibilis. 4

Magnum Dei donum, & primum, quod animæ infundit Deus, Fides eſt. Quia eſt primus actus circa finem ſupernaturalem. Nam actus voluntatis ex natura ſua ſupponit actum intellectus. Inter actus intellectus primus eſt fides. Per ipſam enim primo innoteſcit objectum, in quo creatura debet ſe promovere. Definitur autem ab Apoſtolo Epiſt. 2. Heb. 11. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, hoc eſt, fundamentum omnium earum rerum, quæ à Deo revelatæ, & promiſſæ ſunt, adeòque ipſius æternæ vitæ quaſi principium, pignus, & via. *Argumentum*, hoc eſt, ut ait D. Bernardus *epiſt.* 190. *certitudo eorum, quæ non videntur.* 5

Actus igitur fidei eſt credere, quia Deus dicit. Nam omnis actus fundatur in ſuo objecto formali, à quo ſpecificatur. Ideò eſt habitus intellectus fides certior, quam quælibet alia cognitio, aut certitudo naturalis. Quippè certitudo fidei innititur teſtimonio divino, à quo cauſatur. Certitudo verò naturalis cauſatur ab objecto naturali, & à lumine naturali intellectus. Hæc autem eſt minor, quia habet cauſas inferioris ordinis. Obſcura tamen, quia fides debet eſſe ex teſtimonio dicentis, quod facit tantùm rem innoteſcere in revelatione, ac propterea dicitur argumentum non apparentium, ſed ita efficax, & potens, ut teſte Apoſtolo 2. Corinth. 10. in captivitatem redigat omnem intellectum in obſequium Chriſti. 6

Ad hanc autem captivitatem ſtabiliendam utitur quidem Deus miraculis, aliiſque argumentis, & rationibus, quæ à Theologis motiva credibilitatis dicuntur, præcipuè tamen voluntate ipſiuſmet hominis, qua intellectum movet, & flectit ad aſſentiendum iis rebus, quæ fide proponuntur, ad quam rem adfert Deus voluntati ſingulare auxilium ſupernaturale, quo eam ad id ſuaviter impellit, ſive id faciat virtute charitatis, & religionis, ſive peculiari habitu, & adhuc innominato, quem in ipſam voluntatem divinitus immittit, ut ad id præſtandum, eam juvet. 7

Duplex eſt. Una dicitur informis eſtque illa, quæ ſine Dei gratia, & charitate reperitur in peccatoribus. Altera formata. Informatur autem Dei gratia, & charitate, & Ab Apoſtolo propterea Gal. 5. per charitatem operari 8

operari dicitur. Et hæc eſt fides proficientis, de qua multa Patres. Ejus progreſſus ex tribus gradibus conſtatur, qui auctore D. Gregorio *lib. 22. moral. cap. 21. &* 22. in ſingulis virtutibus inveniuntur, nempè Propoſito, Fortitudine, Alacritate.

9 In fidei exercendæ propoſito, quod eſt primus gradus virtutis, prima actio fidei eſt credere, quia Deus dicit. Secunda actio eſt, mente ita adhærere rebus à fide propoſitis, ut nihil homo dubitet, nihil omninò hæſitet. *Huic unitati*, inquit S. Leo, *inconcuſſis mentibus inhærete.* Legendus D. Bernardus *Serm. 4. Nativ. Chriſt. ſerm. de fid. Confeſſ. & epiſt.* 190. Tertia eſt actio, ſumma animi ſimplicitate, & humilitate ſe fidei, & per fidem Deo, & Eccleſiæ tanquam idiotam, puerumque inſtituendum ſubjicere, omni prorſus curioſitate abjecta. Sic habet D. Chryſoſt. *homil.* 10. 1. *Corinth.* 3.

10 Fidei ſecundus gradus continet fortitudinem ejus, de qua S. Petrus 1. 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Sicut contra, qui imbecillæ ſunt fidei, modicæ fidei arguuntur. Ad hunc gradum potiſſimum ſpectat confeſſio fidei etiam cum vitæ diſcrimine, quà hominem teneri vult Dominus *Matth.* 10. & Apoſtolus *Rom.* 10. Atque ad hunc gradum pertinent illuſtriſſima propè, & infinita Martyrum exempla.

11 Tertius gradus fidei eſt Alacritas, quam fortaſſis Apoſtolus appellat plenitudinem fidei Hebr. 10. Et hic eſt gradus heroicus Certè Philippenſibus ita ſcribit: *Manebo, & permanebo ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* Alacritatis hujus effectus ille eſt, quem idem Apoſtolus commemorat Hæbreis 10. cùm ſic ait: *Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes*, per fidem nempè, *vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.* Ad eandem igitur ſuo modo pertinent actiones omnes hæroicæ, quæ ob bona inviſibilia ab hominibus exercentur, præſertim autem mundi contemptus, & humanarum divitiarum, ac rerum omnium perfecta abdicatio. Siquidem ita ſcribit de Moyſe Apoſtolus ibidem: *Fide reliquit Aegyptum, non veritus animoſitatem Regis, in inviſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit.* Et paulò ante: *Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere incunditatem; majores divitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.*

12 Ad hunc gradum pervenitur exercitatione, & oratione, maximè verò oratione. Quia hæc alacritas plerumque eſt fructus Spiritus ſancti, numeratus ab eodem Apoſtolo inter duodecim illos, quos ponit *in epiſt. ad Galat.* 5. & appellat fidem delectationem, ut inquit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 4. *ad* 5. quam ex fidei certitudine percipit fidelis, oppoſitam illi carnis operi, quæ ſectæ nominantur. Signum Fidei perfectæ ponitur à S. Hieronymo in dialogo adverſus Luciferianos, fervor operis, & puritas intentionis.

### *De Spe theologica.*

13 Spes nihil aliud eſt, quam expectatio boni futuri. Ejus objectū materiale debet eſſe aliquod bonum. Quia ſpes eſt motus quidam appetitus deſiderantis. Appetitus autem deſiderans eſt determinatus, ut tendat tantum in bonum. Hoc autem bonum debet eſſe futurum reſpectu ſperantis ſecundum quod ſperatur, non quoad exiſtentiam. Quia ſperamus etiam ea, quæ jam exiſtunt, ſed ſufficit, ſi ſit futura poſſeſſio. Nam ſpes excludit tantum fruitionem, quæ per id ſolum excluditur, quod non ſit præſens poſſeſſio boni fruibilis. De ratione verò objecti ſpei eſt, ut habeat annexam aliquam arduitatem. Hæc autem arduitas non eſt aliqua ratio objecti, quia nec ſperamus ipſam arduitatem; neque eſt ratio movens ad ſperandum, quia potius retrahit; ſed eſt conditio quædam per ſe connexa cum objecto. Fundamentum tamen talis conditionis importat aliquid pertinēs ad objectum. Hoc determinatur ad eſſe arduum ex eo, quod ipſius aſſecutio non dependet totaliter à nobis, ſed etiam ab alterius voluntate. Ex quo fit, ut non poſſit appetitus moveri ad ſperandum, niſi cum dependentia ab eo, à quo dependet aſſecutio.

Hæc ſpes theologica verſatur circa noſtram beatitudinem, prout complectitur omnia, quibus integratur. 14
Nam tendit in bonum ſupernaturale. Bonum autem ſupernaturale hominis eſt beatitudo ipſius. Nec ſolùm beatitudo, ſed etiam media ad ipſam continentur ſub objecto ſpei. Unde etiam bona naturalia, quatenus conducunt ad beatitudinem, pertinent ad objectum ſpei.

Ejus objectum materiale immediatum eſt ipſe Deus. 15
Merces enim eſt objectum ſpei. At Deus eſt merces noſtra. Item & ſummum bonum, quod ſolùm per ſui communicationem poteſt ſatiare noſtrum appetitum. Atque ideò beatitudo formalis eſt ratio, qua objectum materiali modo completur in eſſe objecti ſperabilis. Nam objectum ſpei debet eſſe aliquid abſens, & futurum, ita tamen ut poſſit fieri præſens. Deus autem non eſt objectum proximè ſperabile, niſi ratione beatitudinis formalis. Quia reſpectu noſtri non poteſt habere rationem abſentiæ, & futuritionis, niſi ratione poſſeſſionis, quæ dicit beatitudinem formalem.

Formale verò objectum ſpei eſt bonum, ut conſequendum ex divina voluntate; itaut divina voluntas de 16
communicando tali bono ſit ratio motiva ſpei. Nam illud eſt objectum formale, quo formaliter movemur ad ſperandum. Movemur autem ex divina voluntate de conferendo tali bono. Quia ſpes eſt motus quidam voluntatis expectativus boni deſiderati. Ideò autem expectamus, quia Deus vult illud communicare.

Duplex, & ipſa eſt, ſicut fides. Informis ſine Dei gratia, & charitate, qualem habet peccator. Et eadem Dei 17
gratia, & charitate formata, qualis eſt in viris probis, & præſertim in proficientibus.

Primus gradus ſpei eſt propoſitum firmum ſperandi 18
ea, quæ ſub ſpem cadunt. Quo autem modo ad primum hunc gradum aſcendatur, docet D. Bernardus de Evang. 7. panum ſerm. 2. Ad primum hoc propoſitum omnes iſtæ ſpes, ſive ſpei actiones ſpectant. Prima actio eſt ſpes beatitudinis æternæ. Secunda actio eſt ſpes eorum omnium, quæ nobis neceſſaria, & utilia ſunt ad beatiſſimam illam felicitatem obtinendam, qualia ſunt Dei gratia, ſupernaturalia auxilia, & merita. Tertia actio eſt firma opinio prædeſtinationis, & electionis divinæ, qua Dominus miſericordia ſua infinita elegit nos in Chriſto, ut eſſemus ſancti, & immaculati, ac demum æternæ ſalutis in conſpectu ejus participes. Quarta actio eſt firma item animi conceptio, hæc omnia per Chriſtum Salvatorem noſtrum à Deo nobis fieri, ut ait apoſtolus Epheſ. 1. & 2. Timoth. 1. Qui propterea ab eodem Coloſ. 1. dicitur Chriſtus in nobis ſpes gloriæ, & abſolutè 1. Timoth. 1. Spes noſtra, & in quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus.

Secundus ſpei gradus eſt fortitudo ſpei, quæ idcircò 19
ab Apoſtolo 2. Theſſ. 5. & 2. Cor. 1. comparatur galeæ, & alibi Hebr. 6. nominatur anchora tuta, & firma. De quo robore, ſimulque de rationibus, quibus homo id poſſit adipiſci legendus D. Bernardus *ſer. 3. de 7. panibus.*

Tertius gradus eſt alacritas, de qua D. Paulus Rom. 20
15. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio in credendo, ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.* Hac perfuſus dicebat David pſal. 90. *Quoniam tu es Domine ſpes mea.* In quæ verba idem S. Bernardus *ſerm. 9. in pſalm. Qui habitat* poſt multa ſic: *Salvabit eos. Quare? Quibus meritis? Audi quid ſequitur: quia ſperaverunt in eo. Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. De quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos. Ecce numera tribulationes, ſecundùm multitudinem earum conſolationes ejus lætificabunt*

*animam tuam ; dummodo ad alium non convertaris, dummodo clames ad eum, dummodo ſperes in eum, nec humile aliquod, vel terrenum, ſed altiſſimum ponas refugium tuum.* Hac itaque ſpe homo efficiet actiones illas heroicas, quibus propter Dei gloriam ſeipſum, reſque humanas omnes animosè, fortiterque contemnit, adjuvaturque ad perſeverandum conſtantiſſimè in lege Dei.

*De Charitate erga Deum.*

Charitas tertia theologica virtus eſt major reliqua-
21 rum ut ait Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap.* 13. *v.* 12. Nam Deus, quem fides cognoſcendum nobis proponit in ænigmate, & ſpes deſiderandum, ut ſummum noſtrum bonum, charitas offert, & dat amandum, ut ſummum bonum per ſe, & in ſe ipſo. Quare mandatum de ea dicitur à Domino, *primum, & maximum*; Matth. 22. & ipſa à D. Auguſtino *ſerm.* 53. *de temp.* appellatur *arx virtutum*, ab Apoſtolo verò *Rom.* 13. *& Coloſ.* 3. *plenitudo legis, & vinculum perfectionis.* Definitur ab Auguſt. *lib.* 3. *de doctr. Chriſt. cap.* 10. motus animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum. Eſt habitus creatus infuſus actû ex Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Habet enim eſſe magis, & minus perfectum, ita ut ſit capax intenſionis ad *Phil.* 1. Ut charitas veſtra magis, ac magis abundet, atque adeò eſt aliquid creatum inhærens. Item eſt omnium virtutum perfectiſſima ex Auguſt. *lib.* 15. *de Civit. cap.* 18. Ambroſio *epiſt.* 74. Leone Papa *ſerm. de S. Laurentio.* atque earum forma. Nam attingit Deum nobiliori modo, & nos ipſi conjungit, ut ſummo bono, eſtque radix omnium virtutum moralium 1. ad Corinth. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c.* Quia in moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis, eò quòd principium actuum moralium eſt voluntas, cujus objectum, & quaſi forma eſt finis. Semper autem forma actus conſequitur formam agentis. Unde oportet quod in moralibus id, quod dat actui ordinem ad finem, det ei formam. Per charitatem autem actus aliarum virtutum ordinantur ad ultimum finem, ac proindè ipſa dat formam actibus aliarum virtutum, ſicque dicitur forma illarum, & quoniam conjungit nos Deo, habet rationem amicitiæ, Pſalm. 39. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*, Joan. 15. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Hæc autem amicitia eſt ſupereminentiæ. Nam Deus longè ſupreminet creaturis, & amor habet diverſum fundamentum ex parte Dei, & hominis. Ex cujus parte adſunt omnes conditiones neceſſariæ pro amicitia. Amat enim Deum propter ſe, & Deus redamat ipſum. Hic autem amor nititur communione alicujus boni, nempè participatione divinæ naturæ ratione gratiæ, 2. *Petr.* 1. Ex parte verò Dei intervenit effectus amicitiæ erga nos. Quia vult bonum congruum nobis, & communicat ſeipſum, unde intervenit fructus amicitiæ. Charitatis vim, proprietates, & effectus egregiè S. Proſper. *lib.* 3. *de vit. contempl. cap.* 13. deſcribit.

22 Ejus objectum primarium Deus eſt. Quia Deus eſt objectum ſuperexcedens naturalem facultatem. Unde cùm charitas elevet voluntatem ad illud, quod naturaliter non poteſt, oportet, ut reſpiciat Deum, ut objectum primarium. Ejus verò objectum formale eſt divina bonitas cognita lumine ſupernaturali, ut in ſe, & propter ſe amabilis. Talis enim bonitas ſpecificat amorem ſupernaturalem, contradiſtinctum ab amore concupiſcentiæ, quæ tendit in bonum, ut eſt conveniens concupiſcenti, ac proindè ſpecificat charitatem, cùm dicat novum motivum ſupernaturale amandi Deum. Hic ut ultimus finis ſupernaturalis dicit ſpecialem rationem bonitatis, nempè illam, ad quam ſe movet homo, ut conſtitutus in ſtatu ſupernaturali, ideòque, ut talis, eſt ſpeciale objectum amoris. Quia, ut talis, eſt propter ſe diligibilis, & debent omnia ad ipſum ordinari.

23 Primus gradus amandi Deum eſt propoſitum amandi, cui conjunctus eſt ipſemet amor. Prima actio hujus gradus eſt amare Deum quidem, ſed propter beneficia accepta, vel ſperata. *Diligam te Domine*, inquit David pſalm. 17. *fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Ad hanc actionem quomodo perveniat homo, docuit D. Bernardus de diligendo Deum. Secunda actio eſt amare Deum propter ſe ipſum, & hæc ſuperiore eſt longè perfectior, de qua S. Auguſtinus *hom.* 38. *lib.* 50. *homil.* & D. Bernardus *ibidem.* Tertia actio eſt imperare officia, & actus omnium aliarum virtutum, efficereque, ut exerceantur propter Deum ſolum. Eſt enim Charitas arx, & regina virtutum. Hæc autem actio, ſi rectè obeatur, gratiſſima Deo eſt, & homini utiliſſima. Quippè, quæ totum hominem Deo dedicat, & complet innumeris, magniſque meritis, bonorum omnium.

Secundus charitatis gradus eſt fortitudo, quæ ſanè 24
par eſt dignitati ejus, hoc eſt maxima. Audiatur D. Auguſtinus in pſalm. 47. Scriptura ſacra, *Intellige*, inquit, *vim charitatis. Ipſa eſt virtus, quam nemo vincit. Hujus ignem nulli fluctus ſæculi, nulla flumina tentationis extinguunt. De hac dictum eſt. Valida eſt ut mors dilectio.* Ad hunc gradum maximè ſpectat nobiliſſima omnium actionum, quæ propter Deum obiri poſſunt ab homine mortali, nempè martyrium, de quo Dominus dixit: *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et qua proximè Chriſtum imitamur, qui poſtquam de ſua morte, & paſſione locutus eſſet, addidit: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & qui perdiderit animam ſuam, inveniet eam.* Nec martyrium ſolum, ſed etiam ſpiritualis mors, qua homo moritur mundo, ut Chriſto vivat in perfectionis ſtatu. *Ob id*, pergit D. Auguſtinus ibidem, *per charitatem multi mortui ſunt ſæculo, ut viverent Deo. Hac charitate accenſi martyres, non ſimulati, non vanagloria ventilati, ſed tales, quos vera Chriſti charitas perduceret ad paſſiones.*

Tertius gradus eſt alacritas. Copulatur enim ab Apo- 25
ſtolo Charitas gaudio, & prædicatur ab eodem gaudens, immò ipſemet de ſe teſtatur Galat. 5. *Gaudeo in paſſionibus*, ſine dubio Dei amore toleratis, propter quem etiam 1. Corinth. 13. Coloſ. 1. Act. 5. *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Et martyres in tormentis lætitia ſumma, & inexplicabili perfuſi, ſe nunquam lautius affirmabant epulatos eſſe. Quod etiam accidit illis, qui genus vitæ humile, & abjectum propter Chriſtum diligentes, poſthabuerunt omnia mundi gaudia, deliciaſque, *omnia ut ſtercora arbitrantes, ut Chriſtum lucrifacerent.*

*De Charitate erga proximum.*

Certum eſt de fide, etiam proximum pertinere ad 26
objectum charitatis, 1. Joan. 4. *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.* Perfectus enim amor erga alterum non ſolum tendit in ipſum, ſed etiam in ea, quæ quocumque modo ad illum pertinent. Amor autem Charitatis eſt perfectus, & proximus pertinet ad Deum. Nomine verò proximi intelligitur rationalis creatura, ut docet Auguſtinus *cap.* 23. *de doctr. Chriſt.* Quia creatura rationalis eſt apta participare ſimul cum alia in eadem beatitudinem, ex quo conſurgit approximatio, qua omnes uniuntur in eodem ultimo fine. Unde peccatores quoque, quandiu ſunt in hac vita, ſunt diligendi ex charitate, cùm ſint capaces beatitudinis. Damnati verò non pertinent ad objectum charitatis, quia non habent amplius ordinem ad ultimum finem tanquam beatificandi. Eadem enim ratio eſt de reprobis, quatenus tales ſunt. Unde ſi de aliquo per revelationem certò conſtaret, quod eſſet damnandus, non poſſet amari ex charitate. Nec tantùm ſecundum animam, ſed etiam ſecundùm

corpus

corpus homo eſt objectum charitatis. Quia corpus eſt pars illius naturæ, quæ ordinatur ad beatudinem. Bona item ſupernaturalia. Nam ſunt media, quæ conferunt ad bonum, quod in proximo diligimus, quare poſſunt amari ex motivo charitatis. Ac tandem res omnes poſſunt aliquo modo pertinere ad objectum charitatis, quatenus pertinent ad eos, quos ex charitate diligimus, & conferunt ad beatitudinem.

27 Proximus igitur amandus eſt ex charitate theologica, quatenus ſubſternitur divinæ bonitati propter ſe diligibili. Dicit enim proximus habitudinem ad Deum, quatenus pertinet ad bonum ipſius, nempè ad gloriam, & quatenus participat bonitatem ipſius quoad eſſe ſupernaturale. Po eſt itaque terminare ut objectum materiale ſecundarium actum charitatis Quia divina bonitas, ut propter ſe amabilis, ſubſternit ſibi quicquid pertinet ad bonum Dei. Omnis autem virtus poteſt attingere quicquid ſubſternitur ſuo objecto formali.

28 Actus autem charitatis, quo amatur Deus propter ſe, & proximum propter Deum, non differt ſpecie incompleta, ut partes integrantes eundem actum. Nam actus, qui ſeorſim elicitur eſt in ſpecie completa, quia ſpecificatur ex ſuo motivo formali. Non poteſt igitur ſe habere ut ſpecies incompleta, cum habeat ſuam adæquatam differentiam. Hi autem actus poſſunt ſeorſim elici. Nec differunt ſpecie differentia formali. Quia verſantur circa idem objectum formale, & ab eodem motivo ſpecificantur. Differunt verò differentia eſſentiali materiali. Tunc enim actus differunt eſſentialiter materialiter, quando differunt ratione objecti materialis. Hi autem actus habent diverſum objectum materiale. Nam unus attingit ſolum Deum, alter Deum ſimul cum proximo.

29 Eadem igitur eſt theologica virtus, qua Deus, & qua proximus diligitur propter Deum; utriuſque enim amoris Deus unus ratio eſt, & cauſa. Hæc propriis laudibus laudatur ab Apoſtolo cùm ait 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

30 Primus gradus charitatis erga proximum eſt propoſitum firmum diligendi gratis, & propter Deum proximos omnes. Gratis, inquam, quia, ut ait S. Bernardus lib. de diligendo Deo, *Licet vera charitas vacua eſſe non poſſit, non eſt tamen mercenaria.* Quippè indigna res eſt charitati alium finem, quàm Deum conſtituere. Hæc autem dilectio qualis ſit, indicat D. Proſper. *lib.* 3. *de vit. contempl. cap.* 15. Prima hujus gradus charitatis actio eſt, amando non aliud quam proximi bonum propter Deum quærere. Nam Charitas, inquit Apoſtolus. non quærit quæ ſua ſunt. Et alibi 1. Corinth. 10. præcipit, nemo quod ſuum eſt quærat. Quæ pertinent ad avertendum amorem proprium, qui ſeſe facillimè ingerit in hujuſmodi actiones, & efficit charitatis amicitiam non gratuitam, ſed mercenariam. Secunda actio eſt amare proximi ſpirituale bonum, ad quam ſpectant omnia miſericordiæ ſpiritualia opera, de quibus Apoſtolus Epheſ. 4. & 1. Theſ. 5. *Eſtote invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut Deus in Chriſto donavit vobis, & corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.*

Tertia actio eſt opitulari proximo in iis omnibus, quæ ad ejus reliqua bona pertinent, ſive corporis, ſive externa bona ſint. Et huc referenda ſunt omnia miſericordiæ opera, quæ corporalia nominamus *Filioli mei*, inquit S. Joannes 1. 3. *non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Quarta actio eſt ædificatio ſpiritualis. Unuſquiſque, ait D. Paulus Rom. 15. *proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.*

Secundus gradus eſt fortiter, conſtanterque proxi- 31
mum diligere. Ad hunc gradum pertinent Apoſtoli verba: *Charitas omnia ſuffert*, animo videlicet: *Et omnia ſuſtinet*, etiam corpore, ſi opus ſit. Et quamvis ad primum etiam gradum ſpectet dilectio inimicorum, maximè propria tamen eſt hujus ſecundi, qui facit, ut homo vim ſibi afferat adverſus tentationes odii, & vindictæ, ſi quæ inſurgunt nobis in eos, qui nos perſequuntur, aut injurias nobis, damnaque afferunt. Ratio autem diligendi inimicum explicatur ab Auguſtino *ſer.* 50. *de temp.* Hujus etiam actus eſt tolerantia imbecillitatum, erratorumque proximi noſtri. *Debemus enim*, inquit D. Paulus Rom. 15. *nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* Et Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Tertius gradus eſt charitas erga proximum juncta 32
gaudio, prout etiam conjungitur ab Apoſtolo, cum numerat fructus ſpiritus, dicens Gal. 5. *Charitas, gaudium, pax.* Ac ſi charitatem perfectam conſequatur, illicò gaudium. Certè idem valdè vult Rom. 12. ut charitatem exerceamus alacriter: *Qui miſeretur*, inquit, *in hilaritate.* Et alibi 1. Cor. 9. *Non ex triſtitia, hilarem enim datorem diligit Deus.*

Indicium utriuſque charitatis eſt in primis zelus ani- 33
marum, qui effectus amoris eſt, ut ſcribit S. Auguſtinus *in pſal.* 18. *concl.* 18. Quare cùm charitas ſit amor, & amicitia quædam excellens, ex ea etiam exiſtet zelus. Et quia duplex eſt charitas, erga proximum una, altera erga Deum, duplex etiam zelus eſt. Alter, quo bonum proximi procuratur, & ejuſdem malum avertitur. Alter, quo Dei gloria quæritur, & repellitur id, quod contra dignitatem ejus eſt. Qua de re D. Thomas 1. 2. *qu.* 38. *art.* 3. Hunc zelum Sancti Patres commendant. Nihil, inquit D. Chryſoſtomus *hom.* 3. *in Geneſ.* ita gratum eſt Deo, & ita curæ, ut animarum ſalus. Et mox exponens illud Hier. 15. *Qui educit precioſum à vili, quaſi os meum erit*, ita inquit: *Quid hoc? Qui ab errore ad veritatem, ait manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit pro virili humano, me imitatur.* Et ad Hebr. appellavit opus Angelicum. S. Gregorius verò *in pſal. pœnit. Miſerere*, ait, nullum tam gratum Deo eſſe ſacrificium, quàm zelus animarum. Quod etiam dixit D. Dionyſius, Nazianzenus *orat. in* 5. *lum.* Abbas Berengoſius *in ſerm. de uno Confeſſore*, Beda relatus ab Albero Magno *cap.* 26. *Parad.*

Primus zeli animarum gradus eſt propoſitum hoc tam inſigne charitatis officium obeundi, quacumque occaſione oblata. Prima actio zeli hujus timor eſt hac de re reddendæ rationis Deo, ſi id, quod tam facilè, tantoque proximi emolumento præſtare potuerimus, negligamus. *Nemo dicat*, inquit D. Gregorius *hom.* 6. *in Matth. admonere non ſufficio, adhortari idoneus non ſum. Quantum potes exhibe, ne male ſervatum talentum, quod acceperas in tormentis pendere exigaris.* Secunda actio eſt tantum induſtriæ in re hac collocare, quantum ſuggerunt gratiæ divinæ vires, quibus nos à Deo præventos, corroboratoſque eſſe intelligimus. Neque enim eadem ab omnibus expectanda ſunt, ſatiſque eſt, ſi ſe quiſque pro acceptæ gratiæ viribus exerceat. Tertia actio eſt oratio pro iis, quos ope noſtra ſpirituali indigere cognoſcimus. *Orate*, inquit D Jacobus 5. *pro invicem, ut ſalvemini.* Quarta actio eſt ædificatio ſanctæ converſationis. Hac enim plerumque magis

quam verbo peccatores incitantur ad pœnitentiam. *Sanctificatur*, ait Apoſtolus 1. *Cor.* 7. *vir infidelis per mulierem fidelem*, & S. Petrus 1.2. *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam.* Quinta actio eſt correctio, de qua Dominus in Evangelio *Matth.* 18 præcipit, & poſt præceptum ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

35 Secundus gradus eſt fortitudo, & conſtantia zeli qualis fuit in Apoſtolo, cum ait *Gal.* 2. *Reſtiti ei in faciem, quia reprehenſibilis erat.* Qualis in S. Joanne Baptiſta, cùm dicebat Herodi *Marc.* 6. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Quod ſi accidat, ut labori noſtro fructus, quem optamus, non reſpondeat, hincque in animo exoriatur mœror, & gemitus, id non tam detrimentum zeli eſt, quàm indicium fortitudinis, & conſtantis charitatis, cujus eſt, ut diximus, omnia ſufferre. Hoc enim eſt, quod ait David *pſal.* 78. *Zelus domus tuæ comedit me*, & alibi *pſal.* 118. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.*

36 Tertius zeli gradus eſt alacritas, quæ in Apoſtolo Paulo excellentiſſima fuit. Optabam, inquit Rom. 9. anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, & 2. Cor. 12. *Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licet plus vos diligens, minus diligar.* Ad hunc gradum pertinet Oratio Moyſis ad Dominum Ex. 32. *Aut dimitte illis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et facinus admirandum S. Paulini, qui ſe vendi voluit pro filio viduæ redimendo, ut narrat D. Gregorius *lib.* 3. *dialog. cap.* 1.

## CONSULTATIO X.

1 PRæter virtutes Theologicas requiruntur etiam in Canonizando virtutes morales, de quibus inquirendum eſſe, tradunt Doctores *in cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanctor.* Gloſſ. *in cap. un. eod. tit. in* 6. S. Antonin. *in Sum. p.* 3. *tit.* 12. *cap.* 8. §. 1. Goffred. *in Sum. nu.* 2. *de reliq. & vener. Sanct.* Hoſt. *in Sum. eodem tit.* Alber. *v. Canonizatio*, Chaſſan. *in Catal. glor. mundi p.* 3. *conſid.* 59. Triumph. *de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 15. *& ſeq.* Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ p.* 1. Malvetius *de Canon. Sanct. dub.* 3. *num.* 4. Caſtell. *quæſt.* 5. *in princ.* Signius *in Reliquiar. cap.* 4. Anfoſius *de reliq. cult.* §. 23. *nu.* 27. Maſcard. *de probat. concl.* 262. *num* 4. *& ſeq.* Azor. *inſtit. moral. p.* 12. *lib.* 5. *cap.* 5. Tuſchus *in repert. v. Canonizatio num.* 7. Contilotius *de Canon. Sanct. c.* 15. *num.* 9. *aliique.* Licèt non ſit neceſſe, quod Canonizandus in ſingulis virtutibus ſe exercuerit, ſed ſatis eſt, quod ſe exercuerit in eis, de quibus oblata ſibi fuit occaſio. Quod notavit etiam Concil. *loc. cit.* & tradunt Collect. *in cap.* 1. *de rel. & ven. Sanct.* Panuin. *in d. relat. S. Bonav. p.* 1. *q.* 4. *&* 9. *ſub princ.* Simonetta *in relat. S. Franciſci de Paul. fol.* 39. Caſtell. *ubi ſupra ſub init.* Bellam. *in d. cap.* 1. *q.* 11. *de rel. & ven. Sanct.* & patet ex relationibus, quas Auditores Rotæ offerunt Summo Pontifici, in quibus non fit relatio ſingulatim, niſi de illis virtutibus, in quibus ſecundum gradum ſuæ perſonæ canonizandus ſe exercuit, ut in relatione B. Corſini *p.* 1. *& p.* 3. §. S. Bonaventuræ, B. Thomæ de Villanova, B. Bertrandi, B. Paſchalis, S. Iſidori, S. Thereſiæ, B. Aloyſii. Ideò quæritur, *an cum virtutibus theologicis virtutes etiam morales, ſeu Cardinales per ſe infundantur? Ita ut conſtito de virtutibus theologicis in gradu heroico, conſtet etiam de virtutibus Cardinalibus in eodem gradu?*

2 Virtutes Theologicas eſſe per ſe infuſas, ac proindè de facto dari, eſt veritas certa apud omnes Theologos. Deſumitur ex *cap.* 4. *ad Rom.* ex Innoc. III. *cap. Majores, de bapt.* ex Concilio Viennenſi *in Clem. un. de ſum. Trin.* ac præſertim ex Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Unde propterèa oppoſitum habetur, ut error, ſeu periculoſum in fide. At verò de virtutibus moralibus,

3 Prima ſententia eſt negativa. Ita Scotus *in* 3. *diſt.* 36. *quæſt. un.* Durand. *diſt.* 35. *quæſt.* 2. & ibi Argentina *quæſt.* 1. Lichetus *diſt.* 33. *quæſt. un.* Baſſolis *quæſt.* 2. *art.* 3. Gabriel. *in* 3. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 2. *&* 3. Ochamus *quæſt.* 3. Henricus *quodl.* 6. *qu.* 12. & communiter Scotiſtæ. Probant. Vel habent eadem objecta cum virtutibus moralibus, & tunc erunt virtutes naturales, vel diverſa, & tunc non erunt virtutes, quia acquiſitæ ſufficienter perficiunt in ordine ad materiam moralem. Secundò. Actus harum virtutum poſſunt eſſe propter finem ſupernaturalem ex ſolo imperio charitatis: ergo ex hoc capite non ſunt neceſſariæ virtutes ſupernaturales. Tertiò. Juſtificatio ſufficienter completur per virtutes theologales; ergo non ſunt neceſſariæ morales ſupernaturales. Quartò. Hæ virtutes non ſemper infunduntur in juſtificatione, ut conſtat in adultis, qui baptizantur, in quibus nullum apparet veſtigium harum virtutum, cùm nec facilè operentur, nec ſentiant affectus moderatos, & permaneant vitia oppoſita. Si autem darentur, ſemper infunderentur. Quintò. Non poſſunt hæ virtutes eſſe in appetitu, quia non attingunt honeſtatem ſupernaturalem; nec etiam in voluntate, quia deberent eſſe in eodem ſubjecto, in quo ſunt acquiſitæ. Ergo cùm non poſſint habere ſubjectum, nec etiam ſunt admittendæ.

Secunda ſententia eſt affirmativa. Ita D. Thomas 1. 2. 4
*qu.* 5. *art.* 3. *& qu.* 63. *art.* 3. *&* 4. *& qu. un. de virt. in com. art.* 10. *& in* 3. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. *&* 4. Caietanus, Medina, & Corradus *ad d. art.* 4. Hiſpalenſ. *quæſt.* 1. *concl.* 3. *& notab.* 6. Eandem ſententiam tenuit ibi D. Bonaventura *art.* 1. *quæſt.* 5. Gabriel. *art.* 3 *dub.* 2. & Ochamus *in* 3. *quæſt.* 12. *art.* 4. *dub.* 5. quamvis hi duo ſententiam poſtea mutaverint, Alvarez *diſp.* 109. Lorca *diſp.* 17. *de virtutib.* Vaſquez *diſp.* 86. *cap.* 5. Capreolus *in* 3. *diſt.* 36. *quæſt. un. art.* 2. *&* 3. Paludanus *quæſt.* 1. *art.* 2. Richardus *art.* 1. *q.* 2. Suarez *lib.* 6. *de gratia cap.* 9. Coquetus *lib.* 1. *de gratia juſtific. diſp.* 15. *cap.* 3. Vega *lib.* 7. *in Trid. cap.* 24. & alii innumeri.

Tenendum eſt cum communi, & vera ſententia, om- 5
nibus juſtis infundi cum virtutibus theologicis virtutes Cardinales, ſive morales. Probant primò ex locis Sac. Scripturæ juxta probabilem ſatis plurium expoſitionem, nempè Sapient. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, id eſt cum gratia, *& innumerabilis honeſtas*, harum ſcilicet virtutum, *per manus illius.* Sap. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet*, ſcilicet divina Sapientia, *& juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Ubi per ſobrietatem, prudentiam, juſtitiam, & virtutem intelliguntur quatuor virtutes Cardinales, ad quas morales omnes reducuntur. Ad *Galat.* 3. *Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis.* Secundò ex *Clem. un. de Sum. Trinit.* in qua Clemens V. cum Concilio Vienenſi approbat opinionem, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam, & virtutes tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Theologorum magis conſonam, & concordem. Quo in loco cùm generaliter ſit ſermo de virtutibus, immeritò reſtringitur ad ſolas theologicas. Tertiò ex Patribus, præſertim Auguſtino circa illa verba pſalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, ubi numeratis quatuor virtutibus Cardinalibus, dicit: *Iſtæ virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei donantur nobis.* Quartò ex Catechiſmo Romano juſſu Pii V. edito qui in *cap. de baptiſmo*, numerans effectus illius, ait: *Huic additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ cum gratia divinitus infunduntur.* Quintò ratione D. Thomæ, quia non minus decet hominem perfici, & eſſe rectè diſpoſitum in ordine ſupernaturali, quoad finem, & media ſupernaturalia, quam in ordine naturali, aliàs non ita perfectè providiſſet Deus homini in ordine gratiæ, quàm in ordine naturæ. Sed in ordine naturali homo perficitur, & eſt rectè diſpoſitus non ſolùm quoad finem naturalem per virtutes naturales, ſcilicet ſyndereſim, inclinationem, & appetitum naturalem, ſed etiam quoad media per virtutes morales acquiſitas. Ergo etiam perfici debuit, & diſponi in ordine ſupernaturali eodem modo quoad finem, & media ſupernaturalia.

ralia. Sed in hoc ordine perficitur, & diſponitur quoad finem per virtutes theologicas, quæ attingunt Deum, ut finem ſupernaturalem: ergo in illo etiam debuit perfici, & diſponi quoad media ſupernaturalia, quæ ſunt virtutes morales infuſæ, & ſupernaturales.

6 Confirmatur. Quia homo per gratiam, & virtutes theologicas elevatur ad novum eſſe ſupernaturale, vitam ſcilicet deificam, & ſpeciem participationis divinæ naturæ. Ergo debuit etiam habere media proportionata ad talem finem. Sed talia media non ſunt virtutes naturales, & acquiſitæ. Quia quamvis ordinari poſſint in talem finem ex imperio charitatis; nihilominus talis ordinatio ſolùm eſt extrinſeca, & non immutat eas ſaltem quoad ſubſtantiam, ſed potiùs eas relinquit in ſuo eſſe naturali. Aſſignari ergo debent aliquæ virtutes ſupernaturales intrinſecæ, & quoad ſuam ſubſtantiam proportionatæ tali fini, quod habet virtutes morales infuſæ.

7 Denique ſexto, & veluti à priori, quia virtutes morales debent aſſignari juxta diviverſitatem objectorum formalium ipſarum. Atqui objectum formale virtutis moralis acquiſitæ eſt honeſtas naturalis talis virtutis regulata, per rationem, & prudentiam naturalem acquiſitam, & ordinata ſolùm ad finem naturalem Objectum autem formale virtutis moralis infuſæ eſt honeſtas ſupernaturalis ipſius regulata per fidem, & prudentiam ſupernaturalem, & ordinata in finem ſupernaturalem. Ergo ſicut primum objectum formale conſtituit virtutes naturales, ita ſecundum conſtituet ſupernaturales, & per ſe infuſas.

8 Et ſanè præter Charitatem, ejuſque prævias, & neceſſarias comites ſpem, ac fidem, omnes in animam virtutes accerſit gratia, non ex humano ſtudio, vel ingenio, ſed è cœlo petitas, cœlituſque infuſas ad exemplum pulchritudinis divinæ, cujus deſertori Angelo jacturam exprobrans Propheta, inquit: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, & japſis, chryſolithus, & onyx, beryllus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus.* Quibus temperantiæ venuſtas, juſtitiæ vigor, & fortitudinis, prudentiæ, obedientiæ, humilitatis chriſtianæ, patientiæ, religionis, & caſtimoniæ pretioſa lumina deſignantur, quorum ſpectans Apoſtolus copiam, genitali lavacro Spiritum, ſanctum in nos *abundanter effuſum* ſcripſit. David Reginam ſponſam aurea varietate circundat. Salomon auroræ, ac lunæ ſimilem, ſoli uni ſecundam fecit, acieſque inſtructas inceſſu terribili referentem, hoc eſt ſpe fide, charitate inſignem, armatiſque cinctum virtutum manipulis, non gregariis, & trivialibus, ſed cœleſtibus & divinis. Audiatur Agnes: *Dexteram meam*, inquit, *& collum cingit lapidibus pretioſis. Tradidit auribus meis ineſtimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus, atque coruſcantibus gemmis. Annulo fidei ſubarrhavit me, & tanquam ſponſam decoravit me corona. Induit me cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me.* Atque alia, aliaque quæ in hanc ſententiam illa experta addidit, non optima Gratiæ adſcribens, ſed varia. Ipſa quidem una eſt, aut ut maximè trina, ſed tercentum gratias una Gratia facit. Unica ipſa, & conſtans plurima habenti præſtat, intellectui fidem, concupiſcentiæ ſpem, arbitrio charitatem moralium virtutum ſatellitio circumfuſas.

9 Et quidni hac pompa procederet is, quem Deus amicitia ſua dignatur? Scimus enim amicitiæ primum ſacramentum eſſe ſimilitudinem, & communionem bonorum, ut non abſurdè quis dixerit, amicos chorum agere. Itaque non potiùs quiſquis in fauſtiſſimos illos faſtos eſt relatus, protinus & pius, & prudens, & continens, & ſobrius cenſeri poſſit, quia eſt, eſſe autem, quia debet. Conſtat enim per juſtificationis gratiam reparari in nobis ſimilitudinem Dei, & reddi ei poſtliminium pulchritudinis ſuæ, ac proinde nemo ambiget animam ea gratia dignatam pigmentorum omnium arculas ornatu ſuo abſumpſiſſe. Nam quid eſt caſto ſimile, niſi caſtum eſſe, prudenti, niſi prudentem? Quis juſto æquat, niſi ſit juſtus? Paradiſum olim plantavit Deus, tot illecebris charum, arborum ordinibus frequentem, ordinum frequentia æqualem, fructu divitem, flore blandum, verbo, patriam ac domicilium voluptatis. Quorſum credimus? Excipiendo homini, quem colonum ei, ac dominum deſtinavit. Et ambigemus, an ipſum ea varietate induerit, quam calcandam ei præparavit? Et ut abſint omnia, amicitia pares hinc inde aut invenit ſemper, aut facit. Fateor, Deus invenire pares non poteſt, quia nec Deos, ſed poteſt reddere ipſe divinos. Sufficit, ut diligat; non enim amicus eſt, niſi æquali, eſt autem amicus par alter, quia amicus. Equidem non poteſt ad divinam benevolentiam ſubrigi conditione depreſſus, niſi dignatione erigatur, atque ita aut deprimit ſe Deus, quod pati non poteſt, aut erigit nos, quod facere conſuevit. Erigit ergo amicos, & quia tales non invenit, facit nec ſine amantibus Deum eſſe decet, nec amicum Dei eſſe ſine virtutibus divinis, atque adeò ſine deitare. Cùm amamus vicem recipimus, cùm diligimur, ſumus divini. Ducit nos in ſponſas Deus, ſed dotatos, & quia indotatos reperit, ditat. Dat ille, quod in nobis videre ipſe vult, & inveniri illum decet, non aliter ac olim Alexander Rex amicitiam cum Jonatha ſancivit, ac ne quid ſuo honori ejus ſocietate decideret, miſit ei purpuram & coronam, hoc eſt Regem eum dixit. Ita ſanè Deus, qui cùm optimus ſit, maximus etiam eſt, ne quando amicitia majeſtati detraheret, quod privatis nobis jungatur, Reges nos dicit, ſceptro, & corona omnium virtutum ſertatos.

Nunc jam ad argumenta reſpondemus. Ad primum, 10
habere quidem diverſa objecta motiva, neque hinc fit, quòd non ſint virtutes, ſed quod ſint tales in ordine ſuperiori, ſicuti etiam ratio motiva eſt ſuperioris ordinis. Ad ſecundum negatur aſſumptum. Quia cùm actus ſint ex motivo ſupernaturali, debent elicitè provenire à virtute ſupernaturali. Ad tertium negatur etiam aſſumptum. Quia juſtificatio importat ſtatum ſupernaturalem perfectum, & integrum, atque adeò requirit vires ſupernaturales ad omnes actus ſupernaturales. Ad quartum negatur item aſſumptum. Nam ſemper ſicuti infunditur charitas, infunduntur etiam hæ virtutes, cùm ſint cum ipſa arctiſſimè conjunctæ. Ad probationem non conferre ſenſibilem facilitatem, quia non tollunt impedimentum, ex quo provenit difficultas, ut ſunt fomes concupiſcentiæ, &c. neque etiam moderantur affectus, nec habitus vitioſos expellunt, quia non ſunt illis ſimpliciter contraria; nam non ſunt ſub genere. Virtutes enim illæ ſunt ſub genere habitus ſupernaturalis, vitia verò ſub genere habitus naturalis, atque adeò poſſunt eſſe ſimul, ſaltem aliquo modo. Sic etiam in ordine naturali virtus naturalis ad eliciendos hos actus non expellit vitia. Ad quintum negatur ſecunda pars antecedentis. Nam ſubjectum harum virtutum eſt voluntas: formale enim objectum pertinet ad voluntatem, cùm ſit aliqua ratio boni honeſti.

Conſtito igitur de virtutibus Teologicis in gradu he- 11
roico, utique cenſendum eſt conſtare etiam de virtutibus Cardinalibus in eodem gradu propter conjunctionem, ac quandam ſocietatem, & communicationem inter ſeipſas. Ita ſanè, ut Auguſtino virtutes Cardinales non videantur diſtinctæ à virtute charitatis, ſed in illa contineri. Quod *de moribus Eccleſ. cap.* 15. plenè explicat. Idem habet *cap.* 21. ejuſdem operis, & repetit *ep.* 29. *ep.*52. & *ep.*120. & *lib. muſices cap.* 15. & 16. *ac lib.* 1. *de libero arb. cap.* 13. Quorum plura nos adduximus in *Conſult. de virtute heroica* §. *Quomodo autem.* Quibus in locis abſolutè negat dari, aut reperiri veras, aut per-

fectas virtutes in peccatoribus, & infidelibus. Ex eo enim, quod ſtatus, & perfectio virtutum in homine elevato ad finem ſupernaturalem conſiſtit in hoc, quod rectificent, juvent, atque perficiant illum in ordine ad talem finem. Hoc autem non habent virtutes Cardinales, niſi conjunctæ cum theologalibus, præſertim Charitate. Igitur quantum ad hunc ſtatum, & perfectionem ſunt cum illis connexæ. Unde infertur hujuſmodi virtutes ſeparatas à Charitate debere dici imperfectas theologicè. Quia deficit illis illa perfectio ſupernaturalis, quam à Charitate participant, etſi philoſophicè, quantum ad ſuam naturam, & ſubſtantiam naturalem perfectæ dici poſſint in genere virtutum naturalium.

## CONSULTATIO XI.

*Utrum præter virtutes omnes infundantur cum gratia habituali dona Spiritus Sancti, quæ ſint etiam habitus ſupernaturales à virtutibus diſtincti?*

1 DIſtinguūtur dona à virtutibus. Quia important extraordinarium, atque heroicum modum operandi, videlicet ex ſpeciali motione Spiritus ſancti, per quam homo potiùs agitur, quàm agat, peculiaremque addunt perfectionem in ordine ad ſingularem motionem, ex qua cenſentur propria filiorum Dei, in quibus Spiritus ſanctus inhabitat. Ea ſunt Sapientia, Intellectus, Conſilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, Timor Domini. Atque dona Spiritus ſancti vocamus hos habitus, infuſis virtutibus excellentiores, ditanteſque animam pulchritudine majori, ac fortitudine dotibuſque aliis præſtantioribus perfectiori gratiæ debitis. Ex quibus futuri Meſſiæ dum ſanctitatem Iſaias prædicat, eorum etiam beatitatem laudat, quos in corpus ejus inſerendos eadem manebat inſerturi ſpiritus ſeptemgemina largitas. Ex unius verò inter dona illa ſapientiæ celebratione à Jobo edita, intelligitur quanta ſit omnium amplitudo. Copioſius autem ex illo ſeptemplici candelabro Dei ipſius inventione, deſcriptioneque conſecrato. Ardebant interdiu tres ejus lucernæ, trium umbræ donorum ad voluntatem ſpectantium, quam oportet eſſe ſemper ad opus expeditam, reliquæ dumtaxat noctibus tentationum, ut reor, variarum, in quibus animus luce quadruplici ex cæteris quatuor Spiritus ſancti radiis, recreatur. Porrò in auro, & ex auro gratiæ ſymbolo tota candelabri ſurgebat fabrica. Ellychniorum autem calices cùm notent aliqui fuiſſe auricularum ſpecie effictos, ſcitè horum finem chariſmatum videntur indicaſſe. Ut enim homini virtutes inſtillat Deus, quibus agendi præſtantiam attingat, quam pro naturæ imbecillitate aliter nequiret attingere; ſic menti auditus dona hæc ſeptem quaſi navibus vela aptat, quibus Spiritus ſancti afflatus excipiat, exceptoſque alacriter audiat, & ſequatur. Horum auxilio probi tanquam nubes cœlo propius volant, virtutum ope veluti columbæ humum volatu radunt. Duobus enim ad rectè agendum moveri principiis hominem refert ex Philoſopho D. Thomas, ratione & Deo, ac debere moventi proportione quadam quæcumque moventur reſpondere, qua tantò majore opus eſt, quantò eſt moventis natura ſublimior. Ut ergo virtutes rationis imperio nos ſubdunt, ſic dona Spiritus ſancti nos Dei gloriæ, ac nutibus ſubjugant facilitate mira capeſſendis, nulla conſilii ambiguitate, ut in Phineis, ac Samſonis vindicta, Danielis ac Salomonis judicio videmus.

2 Sapientia ſiquidem illuminata mens Deum, ac divina cognoſcit. Res autem creatas ſcientia, vero de iis, uſuque illarum judicio, intelligentiæ perſpicacitate in Dei myſteria penetrat. Conſilio denique juvatur ad has notitias prudenter operi adhibendas, perficiturque in ea ſumma prudentia quatuor his veluti partibus. Voluntatem tres aliæ divini hujus ſeptenarii abſolvunt cum adjunctis ad eam virtutibus, compoſita ritè iraſcendi, appetendique facultate.

Tradit præterea Gregorius Magnus apud Dionyſ. Carthuſ. *tr.* 1. *de don. Spiritus ſancti art.* 10. utcumque 3 diverſam horum efficaciam donorum ad debellanda tentationum totidem capita. S. Bonaventura ad impedimenta ſanctioris vitæ removenda. S. Thomas 1. 2. *q.* 69. *art.* 1. ad conſequenda octo illa, quibus plena Chriſti imitatio continetur, & quorum beatos pronunciavit Chriſtus poſſeſſores.

Quare gratiam habere annexa dona ſupernaturalia 4 Spiritus ſancti, realiter diſtincta à virtutibus, docent D. Thomas 1. 2. *q.* 68. *art.* 1. *&* 3. Caietanus, & Medina ibidem, Alvarez *diſp.* 117. D. Bonaventura *in* 3. *diſt.* 34. *art.* 1. *q.* 1. Richardus eo loco, Albertus *art.* 1. Suarez *lib.* 6. *de gratia cap.* 10. Coquetus *lib.* 1. *de gratia ſanctificante diſp.* 15. *cap.* 3. quos ſequuntur Valentia, Tannerus, Joannes à S. Thoma, Salmanticenſes, & alii. Probant Iſaiæ *cap.* 11. *Requieſcit ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, Intellectus &c.* Quod licet de Chriſto intelligatur, extenditur, tamen etiam ad cæteros juſtos. Quia participant eandem gratiam ſanctificantem. Unde etiam Joan. 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Requieſcere autem importat habitum. Vocantur enim *Spiritus*, ideſt inſpirationes, ſeu motiones, ad denotandum, quod altiori modo, & ſuper alias virtutes movent ad rectè operandum. Secundò. D. Gregorius *lib.* 1. *Moral. cap.* 28. diſtinguit dona à virtutibus. Tertiò ex Ariſtotele, qui quamvis ea non cognoverit, utpotè ſupernaturalia, tamen in naturalibus aliqua, quæ cum ipſis proportionem habent, agnoviſſe videtur 7. *ethic. cap.* 1. dum inquit præter virtutes communes, eſſe alias heroicas, quæ reddunt homines quodammodo divinos. Et 7. *magn. moral.* dum ait, eos, qui divino inſtinctu impelluntur, rationem humanam conſulere non debere: *principium enim*, inquit, *habent intellectu, & voluntate præſtantius.* Quartò. Quo movens eſt nobilior, eo nobiliori modo debet homo diſponi, ut ſequatur motus ipſius. Ergo cùm per virtutes diſponatur ad ſequendum motum rationis, debet per alios habitus diſponi ad ſequendum motum Spiritus ſancti. Denique. Actus donorum diſtinguuntur ſpecie ab actibus virtutum. Nam habent diverſum modum tendendi. Ergo debent etiam provenire à diverſis habitibus. Quia actus, ſeu operationes virtutum proveniunt ab illis ſecundùm regulam rationis, aut prudentiæ humanæ, prout ſunt actus virtutum naturalium, vel prudentiæ infuſæ, prout ſunt virtutes ſupernaturales. Actus autem donorum neque procedunt ab ipſis ſecundùm prudentiam humanam, vel ſecundùm prudentiam infuſam, ſed extraordinario modo ſuperhumano, juxta Durandum, inhumano juxta Henricum, & ex ſpecialiſſimo inſtinctu Dei, juxta ſuum beneplacitum ad eos moventis. Atque adeò realiter diſtinguuntur.

Hæc ſententia eſt contra Scotum, Majorem, Gabrielem, Almainum, Ochamum, quorum rationes 5 diluit Suarez loco allegato.

Ex dictis infertur in particulari, *Sapientiam* eſſe donum 6 inclinans intellectum ad cognitionem rerum altiſſimarum propter altiſſimas cauſas, non ex regulis communibus prudentiæ etiam infuſæ, ſed ex ſpeciali Dei motione. *Scientiam* donum, inclinans ad cognitionem etiam ſupernaturalem ob motiva inferiora quàm Sapientia, ſed non regulata per communem regulam dictæ prudentiæ, ſed ex ea ſpeciali motione Spiritus ſancti. Pariter *Intellectum* eſſe donum ad prima principia ſupernaturalia penetranda, etiam ex peculiari motione. *Conſilium* eſſe donum inclinans ad rectè, & ſupernaturaliter dirigendum hominem in ſuis actibus ſupra communes regulas. *Fortitudinem* ad aggrediendum res arduas. *Pietatem* ad colendum Deum, & *Timorem* ad ipſum reverendum ſupra dictas regulas communes,

& ex

& ex ſpeciali illa motione. De quibus inter alios Joannes à S. Thoma, Granadus, Salmanticenſes, & Suarez *lib. 2. de gratia cap.* 78. *& ſeqq.* ubi more ſuo fusè ac ſolidè.

## CONSULTATIO XII.

### *De Beatitudinibus.*

1 TRactat hoc argumentum egregiè, ut ſolet D. Thomas 1.2.*q.*60. *&* 70. Adeò ut non tam explicatione, quàm meditatione, atque exercitatione egeant.

Sunt autem Beatitudines quidam præſtantiores actus virtutum, ſeu donorum Spiritus ſancti, per quos homo valdè appropinquat in ſpe, & inchoativè veræ beatitudini alterius vitæ. Eſſe autem actus, & non habitus rectè probatur ex eo, quod cùm Beatitudo, ſeu felicitas conſiſtat in operatione, quia debet eſſe ultimus actus, & ultima perfectio beati, oportet etiam, quod ea, quæ inchoativè & in ſpe ſunt beatitudines, conſiſtant etiam in operatione. Quod verò ſint actus præſtantiores colligitur ex eodem principio, quia ſcilicet ſunt in ſpe, & inchoativè veluti præambula quædam beatitudinis Patriæ, quæ eſt perfectiſſima operatio. Ac tandem, quòd ſint actus virtutum ac donorum Spiritus ſancti, manifeſtè etiam deducitur eo eo, quod virtutes, & dona ſunt præſtantiſſimi habitus, ac proinde ab illis beatitudines emanare petunt.

2 Numerantur autem *Matth.*5. octo Beatitudines, nempè. *Paupertas ſpiritus*, cui promittitur regnum cœlorum; *Mititas*, ſeu *manſuetudo*, cui promittitur terræ poſſeſſio; *Luctus*, cui conſolatio; *Fames & ſitis juſtitiæ*, cui ſaturitas; *Miſericordia*, cui offertur miſericordiæ conſecutio; *Cordis munditia*, cui Dei viſio; Pax, cui appellatio filiorum Dei, & denique *Pati propter juſtitiam*, cui rurſus promittitur regnum cœlorum.

3 Quomodo autem Beatitudines correſpondeant donis rectè D. Auguſtinus lib. 1. ſerm. Domin. in monte, dicens: *Timor Dei congruit humilibus. Pietas mitibus. Scientia lugentibus. Fortitudo eſurientibus, & ſitientibus. Conſilium miſericordibus. Intellectus mundis corde. Sapientia pacificis.* Paulò aliter alii.

## CONSULTATIO XIII.

### *De fructibus Spiritus ſancti.*

1 FRuctus Spiritus ſancti ſunt etiam actus virtutum, ſeu donorum Spiritus ſancti. Appellantur fructus, quatenus, ſuavitatem, & delectationem afferunt, ſuntque veluti ultimi effectus, procedentes à ſemine gratiæ. Unde ſunt dulcedo quædam in præſenti, vel refectio, ſive prægustatio ineffabilis delectationis vitæ futuræ, ſubſequens in anima beata ex adeptione finis ultimi expectati. Sicut enim fructus corporalis ab arbore procedit ad finem, ut quis eodem fruatur, ſic actus noſtri procedunt à Spiritu ſancto, ut mens hominis benè ordinetur, & eiſdem delectabiliter fruatur. In iis enim præſens miſeria fit tolerabilior, & operatione fit homo ferventior; quia coauget operationem propria delectati, & finiſortius adhæret, ab omni alio ſubtractus. Eò quòd anima ſancta perfectioni ſuæ conjungitur, & in delectationem veriſſimam immergitur. Quod autem ampliùs delectat, id ferventiùs operemur neceſſe eſt. Unde ſicut fructus Spiritus ſancti eſt ultimum expectatum in vita ſpirituali, ut ſcilicet fruibiliter quis virtute poſſideat, tam in agendo quàm in cavendo, & patiendo: ſic etiam in homine ſummam videtur exigere perfectionem. Sic fermè communiter Theologi cum D. Thoma 1. 2. *q.* 70. & ſpeciatim Salmanticenſes, Valentia, Suarez, & Tannerus.

2 Numerantur à Paulo *ad Galat.* 5. duodecim, dum inquit: *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* De quibus Expoſitores. Nos verò mirari hìc oportet aſſiduitatem occupatiſſimam divini Spiritus tot modis, officiis, manibus animã ſibi gratam elaborantis, & perpolientis.

## CONSULTATIO XIV.

### *De differentia inter virtutes, dona, beatitudines, & fructus ſecundùm gradum.*

VIrtutes, & dona ſunt habitus, beatitudines ſunt 1
actus, fructus verò ſunt delectationes in actionibus illorum circa objectum provenientes. In quolibet genere virtutis dicitur eſſe opus virtutis, ut virtus eſt, cùm illud agit, ut homo, & humano modo. Dicitur autem opus eſſe doni, ut Donum eſt, cùm illud agit, ut homo, ſed modo ſuperhumano, & heroico, quia fit potiùs habitu divino, quàm humano. Dicitur autem opus eſſe beatitudinis, ut beatitudo, cùm illud agit ut homo, ſed ut jam deificatus, juxta illud Pſalmiſtæ *Pſal.* 80. *Ego dixi dii eſtis.* Atque ex his patet, quod donum poteſt in id, in quod non poteſt virtus, & beatitudo in id, in quod non poteſt donum ſecundùm rationem doni, & fructus in id, in quod non poteſt beatitudo ſub ratione beatitudinis. Quia non ſemper beatus beatitudine vitæ percipit fructus. Omnis beatitudo eſt etiam fructus Spiritus ſancti. Quia omnis illa eſt veluti ultimus effectus delectabilis à ſemine gratiæ procedens. At verò è contra non omnis fructus Spiritus ſancti eſt beatitudo. Quia non omnis habet ſpecialitatem, quod ſit in ſpe, & inchoativè beatitudo.

## CONSULTATIO XV.

### *Qua certitudine tenendum ſit infundi juſtis virtutes morales, & habitus donorum Spiritus ſancti diſtinctos virtutibus ſimul cum gratia, & charitate?*

QUoad virtutes infuſas nonnulli ex Diſcipulis D. 1
Thomæ cenſent, id eſſe tenendum ferè certitudine fidei. Capreolus enim *in* 3. *diſt.* 33. *quæſt. un. art.* 3. *ad* 2. erroneam vocat contrariam ſententiam, quamque Conradus 1. 2. *quæſt.* 62. *art.* 3 exiſtimat eſſe contra definitionem Eccleſiæ. Medina verò *art.* 3. dicit id eſſe ſecundùm fidem Catholicam certum de quibuſdam virtutibus, de aliis verò eſſe ingentem temeritatem id negare. Pleríque dubitant, an contraria ſententia ſit probabilis, aut potiùs cenſura digna. Communiter tamen aiunt, eſſe minus probabilem. Quòd verò ad dona Spiritus ſancti rem eſſe incertam.

Verùm id tenendum eſt tanquam opinionem theologicam probabiliorem, utque à pluribus, & melioribus 2
Theologis probatam, & ratione melius fundatam, magiſque piam, & modo etiam loquendi Sanctorum, atque Conciliorum magis conſentaneam. Ita ſenſiſſe videtur Caietanus, Sotus, Valentia, & ferè omnes moderni, quos ſequitur Suarez *lib.* 6. *de gratia cap.*9. qui *cap. ſequent. num.* 5. idem cenſet de donis Spiritus ſancti. Tractant de hac re ex inſtituto Valentia *tom.* 2. *diſp.* 4.*quæſt.* 3.*punct.* 4. Vega *lib.* 5. *de loc. cap.* 2. *& relect. de ſacram. part.* 4. *poſt concl.* 5. Vaſquez 1. *part. diſp.* 42. *&* 1. 2, *quæſt.* 113. *art.* 2. *diſp.* 79. *cap.* 1. *diſp.* 85. *cap.* 1. *&* 2. Salas *tr.* 10. *diſp.* 3. *ſect.* 4.

Cùm igitur non ſit de fide, infundi virtutes Cardinales ſimul cum gratia, ideò ſit,

## CONSULTATIO XVI.

### *De virtutibus moralibus in gradu heroico?*

DE quibus diſſerendum nobis eſt non quidem ſcholaſticas ſubtilitates omnes inquirendo, ſed parcè, 1
ac raptim deſcribendo potiùs, ut hactenus fecimus, eas virtutum actiones, & gradus, quæ ad inveſtigandum earum heroicum ſplendorem, atque excellentiam proximè juvant, proindeque non omnes omnino virtutes, quas

quas exquiſitè, & more ſuo S. Thom. in diviniſſima Summa proſequitur, explicandæ à nobis ſunt, ſed illæ dumtaxat, quas noviſſe oportet, ut in Canonizando accuratè examinentur, quaſque Scriptura divina, in primis verò Dominus, & Apoſtoli memorant, & inculcant Chriſtianorum auribus.

2 Hæ autem præcipuè ſunt Cardinales, ſic dictæ per ſimilitudinem ad cardinem in corporalibus, eò quòd ſicut in cardine fundatur motus oſtii; cujus interventu patet aditus in interiorem domum; ita per has virtutes acceditur ad id, quod eſt in homine intimum, hoc eſt ad rationem rectè compoſitam, tandemque ad ipſum hominis finem Ita colligit Durand. *in* 3. *diſt.* 33 *quæſt.* 5. *num.* 5. Verùm S. Ambroſius, qui primus virtutum Cardinalium appellationem invexit *l.* 5. *in Luc. ad cap.* 6. & qui eum ſunt imitati Proſper 3. *de vit. contempl. cap.* 18. & S. Gregorius 2. *moral. cap.* 36. intelligunt eas, quæ inter virtutes morum primariæ ſunt, ac principales, eaſque appellaſſe Cardinales tanquam primariæ, & in quibus volvantur cæteræ.

3 Has S. Nilus *lib. de orat. cap.* 1. ait, eſſe tanquam divini thymiamatis quatuor particulas. S. Gregorius loco allegato *cap.* 3. ait, eſſe veluti quatuor angulos ſpiritualis ædificii. Hildebertus Cenom. *ep.* 31. eum quatuor currus unius rotis componit. Eandem comparationem adhibet Mancinus *lib. de quatuor virtutibus in proœm*, & addit, hoc curru vectum, indubiè triumphaturum. S. Ambroſius interpretatur in hunc ſenſum quadriformem illam ſpeciem Ezechieli exhibitam, & hominis, leonis, vituli, & aquilæ formas exponit Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Juſtitiam. Aliter hoc quadriforme ſymbolum ad quatuor has virtutes aptat Pineda *lib.* 6. *de Salom. cap.* 1. *num.* 5. & 6. Item S. Ambroſius *lib. de Parad. cap.* 3. hæc ait, eſſe quatuor fluenta, fontis ſpiritualis Paradiſi. Quòd de more deſumpſit ex Philone, qui in hoc multus eſt *lib.* 1. *alleg.* Idipſum uſurpavit Manaſſes *in annal.* agens de Joanne Zimiſce Imperatore.

4 Definitur virtus purè moralis ab Ariſtotele, habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum, 2. *Eth. cap.* 6. In hanc definitionem recidit illa alia, quam ut brevem, & veram commendat D. Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. cap.* 23. *Virtus eſt ordo amoris*, aut ut *lib.* 1. *de morib. Eccleſ. à cap.* 15. latè tradit, *Amor Dei*. Nam eo ipſo, quod res quælibet ordinatè amatur, quod fit, cum ejus amor virtualiter ſaltem tendit in Deum, voluntas benè affecta redditur, & opus ſuum bonum efficit, quæ eſt propoſita ab Ariſtotele definitio. Quam non eſt quod quis reprehendat, quia ex mente Philoſophi dumtaxat cadit in virtutes morales naturales, præter quas dantur aliæ, & quidem nobiliores. Si enim revelationis divinæ cynoſura dirigamur, transcendamuſque naturæ ordinem, veriſſimè dicemus, non eſſe virtuti morali peculiare ac proprium, reddere habentem, bonum, & opus ejus bonum efficere. Multò enim ſublimius, ac perfectius id præſtant virtutes infuſæ, quæ moralibus longè ſunt ſublimiores, & omnino diverſæ rationis ab eis. Quippe in eadem materialia alia objecta tendentes ſub altiore ratione formali, & cum ſubordinatione ad longè ſublimiorè regulam. Permultum ſiquidem differt operari circa aliquam materiam, quia actus circa eam eſt conformis naturæ ſenſitivæ, vel rationali per merum naturale lumen directæ, & operari, quia actus circa eam materiam eſt conformis naturæ, ut evectæ ad divinitatis participationem per gratiam, & ut directæ per lumen ſupernaturale prudentiæ infuſæ, dictantis de mediocritate in tali materia ob tale, vel tale motivum, excedens naturæ fines. Ut proinde jure paſſim explodantur Ochamus *in* 4. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 4. *dub. lit. S.* & Durandus *in* 3. *diſt.* 33. *quæſt.* 6. *n.* 7. qui virtutes morales infuſas ejuſdem cum acquiſitis ſpeciei eſſe cenſuerint. In has igitur virtutes morales à naturalibus diſtinctas, non cadit ex Philoſophi mente definitio virtutis, ſed benè illa, quæ eſt de mente Auguſtini, atque iſta, quæ eſt omnium Theologorum: *Eſt habitus per ſe infuſus, quo benè diſponimur in ordine ad ultimum finem.*

Dividuntur à D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 61. *art.* 5. in Exemplares, Politicas, Purgatorias, & Purgati animi. Dicuntur exemplares, quatenus ſunt in Deo, modo eminentiſſimo. Eſt enim idea, & exemplar omnium virtutum. Politicæ, quatenus ſunt in homine ſecundum conditionem ſuæ naturæ. Purgatoriæ, quatenus animum abſtrahunt à rebus mundanis. Purgati animi, quatenus per eas jam homo divinum veluti quemdam ſtatum acquirens, habet animum omnino pacatum, & liberum à paſſionum perturbatione. Unde iſtæ virtutes purgati animi dicuntur heroicæ, & divinæ, ac ſolùm competunt hominibus perfectiſſimis. Hanc partitionem antiquorum jam olim fuiſſe ſcribit Euſtratius 1. *Eth. cap.* 13. Eam verò ita intelligit Paſchal. *in op. de vit. & virt. cap.* 8. ut Politicæ, ſive purè morales ſint in virtutum exercitu contra agmina vitiorum, quaſi levis armaturæ milites; his ſuccedant reliquæ. Primum purgatrices, quod animi ſordes defricent. Tum animi purgati, quod in animo undecumque puro, & mundato luculentius aſpiciantur. 5

Tandem verò Exemplares, quæ ſint animi à terrena aſpergine ita preſſi, atque deterſi, ut nihil apud ipſum terrenæ fœcis ſubſidat. Quod commendatur à Niceta *lib.* 2. *Theſaur. cap.* 68. à Caietano ad dictum locum D. Tomæ, & à D. Bonaventura *tom.* 1. *opuſc. lib. de quatuor virtut.* annuitque Suarez *tr.* 10. *de Relig. lib.* 9. *cap.* 5. *nu.* 25. Et confirmat Porphirius *lib. de occaſionib.* apud Strobæum *ſer.* 1. & latè tradit Plotinus *lib.* 2. *de virtut. Ennead.* 1. quem exſcripſit Macrobius *lib.* 1. *in ſomn. Scrip. cap.* 8. & obſervat Proclus Marini *num.* 20. ac Ficinus, aliique Platonici.

*De Prudentia.*

Prudentia eſt habitus cùm vera ratione activus circa ea, quæ humana bona ſunt. Hæc definitio eſt Ariſtotelicap. 6. *Eth. cap.* 5. Quæ ſanè coincidit cum illa alia: Prudentia eſt virtus intellectualis directiva morum. Omninò multas coacervavit Picolom. *gr.* 5. *cap.* 29. Optima eſt illa, quam tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 47. *art.* 5. his verbis: *Prudentia eſt recta ratio agibilium.* Cùm qua recidit definitio, quàm Ægid. *lib.* 1. *de regim. Princip. p.* 2. *cap.* 6. tradit, ac illa S. Baſilii *homil. in princ. proverb.* & D. Auguſtini *lib* 1. *de liber. arb. cap.* 13. & *lib.* 83. *qq. q.* 30. 6

Ejus ſummum decus ex Ariſtotele 6. *Eth. cap.* 12. licèt perſpicere. Eſt enim *anima ex virtute operantis veluti oculus.* Eſt mater, & dux virtutum omnium, ut loquitur Crito Pythagoræus *lib. de prud. & felic.* & ut Chryſoſtomus *in Pſal.* 13. ſcitè dixit, eſt lucerna animæ, regina cogitationum, magiſtra eorum, quæ bona ſunt, & honeſta. Sine illa alias virtutes, præſertim Fortitudinem fieri vim conſilii expertem, mole ſua ruentem, præclare ex Ægyptiis expreſſit Syneſius *orat. de Regno.* Quod repetit *lib. de provid. lect.* 1. *poſt med.* habetque Themiſtius *orat.* 7. Aliter hoc dixit Philoſophus 6. *Eth. cap.* 13. nempè virtutem abſque prudentia non aliud eſſe, quàm celerem hominis validi viſu deſtituti progreſſionem, quæ illi in præcipitium, & exitium expeditiſſima prolapſio eſt. Luculenter etiam 1. *magn. moral.* in ipſo fine eam commendat, tamquam architectum quendam virtutum, & ſapientiæ velut atrienſem, toti virtutum familiæ præfectum, diſpenſantemque in ea, & præſcribentem munera ſingulorum, ut ſapientiæ tanquam dominæ, cohibito affectuum tumultu, & omnibus domi rectè compoſitis, otium ad functiones ſuas, & liberum, enubilatis iis, quæ efficere poterant, altiſſimarum rerum proſpectum paret. Ut videas meritò Prudentiam à S. Ambroſio *lib. de Paradiſo cap.* 3. *divitem utilitatem* nominari. Immò Nazianzenus *Jambico de fortun. & Prud.* & approbat dictum illius, qui avaro reſpondit ſe prudentiæ ſtillam pleno fortunæ Oceano prælecturum. Tantæ ſunt Prudentiæ utilitates. Quas ob cauſas à Caſſiano

*collat.* 1. *cap.* 13. *& collat.* 2. *p.* 2. commendatur, & plurima habet Laur. Juſtin. *in lign. vitæ tract.* 4. *cap.* 1. & 3. & D. Gregor. *lib.* 2. *mor. cap.* 25. illam appellans normam virtutum, & D. Bernardus *ſer.* 49. *in Cant.* ordinem virtutum. Sed nemo magnificentius hujus virtutis decus expoſuit quam Jamblicus *ep.* ad Aphaleum de prudentia.

8 Eſt igitur prudentia virtutum princeps, reliquiſque omnibus utitur, ipſarumque ordinem, modum, & occaſionem in præſentia tamquam oculus quidam mentis undequaque lucidiſſimus oſtendit. Generatur primum quidem à ſincera, perfectaque mente, atque ſic genita in ipſam mentem intuetur, à qua perficitur, modumque, & exemplar inde ſibi pulcherrimum omnium ſuarum actionum habet. Quòd ſi qua nobis, etiam cum Deo, intercedit communitas, ea maximè virtutis hujus gratia inſiſtit, & per hanc in primis ipſi aſſimulamur. Hujus beneficio bona & utilia, honeſta, & turpia diſcernimus, factaque convenientia judicamus, ac emendamus.

9 Objectum materiale Prudentiæ, proximum quidem, eſt actio externa, virtutibus purè moralibus proximè objecta; remotum autem materia mediocris, externam illam actionem terminans, habenſque rationem finis reſpectu virtutum purè moralium, quibus proinde Prudentia finem, prævia conſultatione & omnium, quæ ad finem illum conſtituendum conferunt, accurata diſcuſſione, præfigit. Ejuſdem formale objectum eſt vera honeſtas ex mediocritate illa quaſi reſultans, interventu judicii prudentialis, tanquam regulæ, & cauſæ, honeſtatem operi, ejuſque objecto imprimentis.

10 Actus prudentiæ ſunt conſultatio, judicium, imperium. Judicii veritas non conſiſtit in conformitate cùm appetitione recta, ſed proximè per conformitatem ad principia ſyntereſeos, tanquam per regulam; remotè autem ac ultimò per conformitatem cum natura radicaliter rationi conſtituitur.

11 In actu primo ſupra naturalis potentiæ, ac ſpecierum impreſſarum entitatem, poſita frequentatione actuum addit habilitatem, quæ rectè definitur habitus cum ratione vera activus circa, ea quæ humana bona ſunt 6. *Eth. cap.* 5.

12 Subjectivarum Prudentiæ partium atomarum non poteſt iniri certus numerus. Subalternæ generatim duæ numerantur. Monaſtica ſcilicet, & Gubernatrix. Quarum hæc in œconomicam, militarem, legiſlatricem, & politicam ſubdividitur. E tribus vulgatis potentialibus Prudentiæ partibus Eubulia, Syneſi, ac Gnome. Eubulia conſultationem principali prudentiæ actui præviam reſpicit. Syneſis judicium de recto alterius judicio. Gnome reflexum judicium de recta legis extenſione, vel reflexione.

13 Quæ dicuntur integrantes Prudentiæ partes non aliunde rectè conſtituuntur, quàm ex ſubſidio, quod ad perfectum Prudentiæ exercitium præbent, aut ex perfectione, qua idem cumulant, & abſolvunt undecumque. Octo numerantur. Memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, providentia, circumſpectio, cautio.

14 Ejus partitio varia eſt. Alia carnis. Alia ſpiritus, de utraque S. Baſilius *hom.* 12. *in princ. proverb.* Poteſt etiam rectè dividi in naturalem, & ſupernaturalem, ſive in acquiſitam, & infuſam. Naturalem voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc ſolam Pilosophi agnoverunt. Pendet ex ſyntereſi, quæ eſt notitia principiorum practicorum, ut Decalogi & ſimilium, & ex virtutibus moralibus ſui ordinis, comparaturque uſu, naſcitur enim ex actibus. Supernaturalis eſt, quæ limites notitiæ naturalis excedit. Pendet ex fide, & ex virtutibus moralibus ſui ordinis. Sicut enim ſunt aliquæ virtutes morales commenſæ prudentiæ naturali, & tendentes ad honeſtum naturale, quod eſt conſentaneum naturæ rationali, quæ talis eſt: ita etiam videntur eſſe quædam virtutes morales commenſæ dictamini prudentiæ infuſæ, tendentes in honeſtum ſupernaturale, quod eſt conſentaneum ſtatui hominis Chriſtiani, filii adoptivi Dei, de quo plura 1. 2. *q.* 58.

Hæc autem ad rem noſtram ſic deſcribitur à D. Au- 15
guſtino *lib. de morib. Eccleſ. cap.* 22. *Prudentia eſt amor ea, quibus adjuvatur in Deum, ab his, quibus impeditur, ſagaciter eligens. Et hunc amorem non cujuslibet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ.* Non deſcribit autem Auguſtinus prudentiam per amorem, quod exiſtimet, eam non eſſe intellectus habitum. Nam eodem libro *cap.* 24. ſic habet: *Ad prudentiam pertinet dignoſcentia appetendorum, & vitandorum.* Sed potiùs, ut ſignificet, eam ab amore, quem ſummi Dei appellat, hoc eſt à charitate profiſci, vel ad prudentiam ſpiritus pertinere ex amore agere, charitateque ferri ad ea eligenda, quibus adjuvatur in Deum.

Gradus in Prudentia aliter accipiendi ſunt, atque in 16
virtutibus aliis, quæ vel in appetitu ſunt tam rationis, quàm ſenſus, vel ab eo magis pendent, quàm Prudentia, quæ habitus intellectus eſt, ideò penes actiones mentis quæ propriè prudentiæ ſunt, conſiderantur, quaſque tres eſſe diximus conſilium, judicium, imperium. Adverto tamen, etiamſi Prudentia ſit eſſentialiter virtus intellectus, tamen ratione materiæ, & finis meritò ponenda eſt inter virtutes morales, ut rectè docet D. Thom. 1. 2. *q.* 58. *art.* 3. *ad.* 1. quia tota verſatur in conſideratione, & directione morum. Dicitur autem moralis, non quod ſit elicitiva morum, ſicut Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, ſed quia morum directrix.

Primus igitur Prudentiæ gradus eſt conſilium de re 17
agenda, vel non agenda, cùm videlicet nos per nos ipſos id cogitamus, vel adhibitis conſiliariis inquirimus idem. Huic prudentiæ parti adjungit Deus Spiritus ſancti donum, quod idcircò conſilium etiam dicitur, quòd nobis à Deo tamquam conſiliario datur in iis rebus, quas humana ratione conſequi non poſſumus.

Prima Conſilii hujus regula eſt divina lex, ad quam 18
cogitatio, & deliberatio omnis dirigenda eſt. *Et conſilium meum*, ait David *pſal.* 118. *juſtificationes tuæ.* Et Apoſtolus 2. *Cor.* 5. *Contendimus placere illi.*

Secunda regula eſt oratio ad Deum, qua impetretur 19
auxilium ejus ad ea cogitanda, & conſtituenda, quæ ejus voluntati, legive conſona ſint. *Dirige me*, ait idem *pſalm.* 142. *in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.* Et: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Tertia regula eſt diligens inquiſitio, & meditatio eo- 20
rum, de quibus conſilium capitur. Hanc enim induſtriam exigit à nobis ille, de quo ſcriptum eſt *Pſalm.* 88. *Poſui adjutorium ſuper potente.* Et Salomon *Proverb.* 9. *Labia juſti conſiderant placita.* Et David beatum cum dixiſſet hominem, qui non abiit in concilio impiorum, ſubjungit *pſal.* 118. *Sed in lege Domini meditatur die ac nocte.*

Quarta regula eſt, ſibi, ſuiſque cogitatis non mul- 21
tum tribuere. *Ne innitaris*, inquit Sapiens Prov. 3. *prudentiæ tuæ.* Quod vitium inſectatur acerrimè D. Bernardus *de reſurrect. ſer.* 3.

Quinta regula in rebus gravibus, adhibendi ſunt in 22
conſilium alii. Siquidem ſapientia de ſe ait apud Salomonem: *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.*

Secundus gradus prudentiæ ſpiritualis eſt, rectè de iis 23
omnibus, quæ in conſilium allata fuerint, dijudicare. Quæ propriè diſcretio eſt, qua diſcernuntur vera à falſis, certa à dubiis, inutilia ab utilibus, intempeſtiva ab opportunis, honeſta ab inhoneſtis, incunda à triſtibus, bona denique à malis, & inter hæc, quæ magis, minuſve bona, & quæ loco, tempori, perſonæ, rei agendæ magis, minuſve conveniant. Nec quid ſolùm, ſed quantum, & quatenus in unaquaque re ſtatuendum, & progrediendum ſit. Quàm rem amplè Albertus Magnus

*in Parad. animæ cap.* 34. Diſcretionis autem neceſſitatem, & utilitatem maximam eſſe docent Patres apud Caſſianum *collat.* 2. *cap.* 4. *& collat.* 24. *cap.* 8. De qua etiam D. Bernardus *ſer.* 19. *in Cant.* D. Gregorius *lib.* 30. *moral. cap.* 14. & D. Chryſoſtomus *lib.* 2. *de Sacerdotio.*

24 Tertius gradus prudentiæ eſt imperium, quo magna vi, & efficacitate imperat animus ſibi, & intellectus voluntati ad ea complectenda, & perficienda, quæ poſt conſilium ad rem agendam neceſſaria, & opportuna cenſentur. *Accidere enim ſolet*, ait D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 51. *art.* 3. *ad* 3. *ut quod rectè judicatum eſt, differatur, vel negligenter agatur, vel inordinatè, & ideò poſt virtutem, quæ eſt benè judicativa, neceſſaria eſt finalis virtus principalis, quæ eſt benè præceptiva, ſcilicet prudentia.* Ex quibus intelligitur, imperativi, & poteſtate efficaci eſſe primam prudentis hominis actionem, munuſque præcipuum. Ad quam rem neceſſarium eſt magnum animi robur, quo ſuperentur omnia, quæ quominus exequamur, quod prudentia præcipit, quodque intelligimus eſſe faciendum, impediunt. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus, & validus*, ait Salomon *Proverb.* 24. hac videlicet fortitudine. Quia mens prudenti conſilio, rectoque judicio inſtructa, voluntatem prorſus adigit ad parendum; neque enim præceptio hæc tam ſuaſio eſt, quàm vis, & actio, qua intellectus voluntatem movet, ut accipiat, exequaturque mandatum, quod ipſe proponit. Ad quam formandam quia maximi momenti, & difficillima eſt, comparatum, & inſtitutum divinitùs videtur univerſum illud donorum Spiritus ſancti præſidium, quo mens adiuta, & roborata concipiat primum proprium hominis bonum, deinde reipſa perfici magna efficacitate jubeat. Ita ſentire videtur D. Gregorius *homil.* 19. *in Ezechiel.*

## *De Juſtitia.*

25 Virtutis hujus dignitatem ſummam non minori cum fructu conjunctam, ut appareat S. Ambroſius *lib. de Paradiſo, cap.* 3. Philonem imitatus *lib.* 1. *allegor.* eleganter tradit quo pacto ſapientia Dei, fons virtutum, quæ nos ad æternæ curſum dirigunt vitæ in quatuor initia dividatur, hoc eſt quatuor quædam ex fonte illo manantia, fluenta virtutum, nimirum Prudentiam, quam exprimit Phiſon, Temperantiam, cui Geon, alter terreni illius Paradiſi fluvius reſpondet, Fortitudinem, quam exhibet Tygris, tandemque Juſtitiam Euphrate expreſſam, quo nomine fæcunditas, & ubertas, atque lætitia deſignatur. Cùm ergo tot ſint virtutum prima capita, infert S. Ambroſius, neceſſarium omnino eſſe, tantò potiorem agnoſcere hanc virtutem, quantò pretioſior ex ea, ac numeroſior virtutum propago, & inſignis fructuum quorumcumque honoris, & honeſtatis abundantia, omnes paſcens animas, ac denique nullo temeranda importuno caſu exultatio, derivatur; nec ipſi tantùm habenti, ſed & aliis. *Hæc virtus publica, aliis nata, non ſibi*, ut idem Auctor eo loco docet, & pulcherrimè *ſer.* 16. *in pſal.* 118. *v.* 1. *Sibi parcior Juſtitia*, ait idem *orat. de obit. Satyri* ſub finem, *foris tota eſt, & quidquid habet*, quadam inclementia ſui dum rapitur amore communi, transfundit in proximos. Concludit 1. *offic. cap.* 28. *Magnus itaque juſtitiæ ſplendor, quæ aliis potiùs nata, quàm ſibi, communitatem, & ſocietatem noſtram adjuvat, excelſitatem tenet, ut ſuo judicio omnia ſubjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula ſuſcipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere?*

26 Hoc nobis contextum ex uno licèt Ambroſio Juſtitiæ elogium pluſquam abundanter in rem præſentem videtur. De hac igitur virtute, & de annexis illi partibus temperatè ac cum delectu agendum video, ne in immenſum hæc Conſultatio excreſcat.

27 Jus partim pro juſto, ac lege accipitur, quo ſenſu jus accipit Ariſtot. 1. *Polit. cap.* 2. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 57. *art.* 1. & Briſſon. *lib.* 9. *de verb. ſignif. v. Jus.* partim pro juſto moralem facultatem illæſam reſpiciente, & pro ea ipſa morali facultate. Priori modo ſumptum in naturale, & poſitivum dividitur, ſive lege poſitum, ut loquitur D. Thom. 5. *Eth. lect.* 12. De juris poſitivi commodis conſule Dionem *orat* 76. & Jul. imper. *orat.* 3. Naturale eſt illud, quod eſt naturæ veluti inſculptum, eamque ad modum proprietatis aſſectatur, eſtque lumen naturaliter affulgens omnibus. Agnoſcunt hoc jus inter Patres S. Chryſoſtomus *hom.* 12. *ad pop. ſub fin. & in pſal.* 147 luculenter etiam Tertull. *lib. de cor. mil. cap.* 6. vocans illud *naturales tabulas.* S. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſer. Dom. in mon. cap.* 15. & ad *init. Pſal.* 57. ac elegantiſſimè D. Ambroſius *ep.* 71. & pulcherrimè etiam Hieronymus *q.* 8. ad Algaſiam, naturalem illam legem exponit, & ab Apoſtolo traditam oſtendit, & tandem Facundus Hermianenſis *lib.* 8. *pro trib. cap.* 6. 7. Ex Ethnicis Dio Chryſoſtomus *orat.* 80. Maximus Tyrius *diſſert.* 40. *num.* 237. in qua multus eſt, Epictetus apud Arrianum *lib.* 2. *cap.* 11. Tullius 3. *de Republ.* ex quo ſua deſcripſit Lactantius 6. Inſtit. *cap.* 8. Ariſtoteles 1. *Rethor. cap.* 13. *&* 15. ubi hoc jus vocat legem communem, quæ non eſt nunc, & heri, ſed ſemper, & *lib.* 5. *Eth. cap.* 9. appellat jus primum, & ibidem *cap.* 7. immobile. Et paulò aliter expreſſit Plato in Timæo, ac Phædro. Rurſuſque poſitivum ſubſecatur in divinum, & humanum, ad quod jus quoque gentium pertinet, ut rectè cenſent Molina *tr.* 5. *de juſt. diſp.* 69. *num.* 3. *& tr.* 5. *diſp.* 5. Valentia 1. 7. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *part.* 2. *&* 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *part.* 2. Suar. 2. *de legib. cap.* 19. *&* 20. Prateius *in lex. jur. v. Jus gentium.* Poſteriore item modo acceptum pro multiplici operationum juſtarum facultati morali commenſuratarum, adæquatione cum regula rationis. Itemque pro multiplici morali facultate multipliciter dividitur. Ex his omnibus proxima ratio materialis objecti Juſtitiæ eſt operatio externa, quæ, tanquam per rationem formalem, reſtringitur ab æqualitate debita cum alieno jure. Ita accipio D. Thomam 3 *part. quæſt.* 85. *art.* 3. *ad* 1. & liquet ex 2. 2. *quæſt.* 58. *art.* 3. *& art.* 9. *ad* 2. rurſuſque *art.* 10. *&* 11. Cætera ad objectum remotum ſpectant. Finis verò idem, qui virtutum aliarum, id eſt ſummum bonum.

Juſtitiam Plato definit, animi ſimilitudinem ad ſeipſum, Ariſtoteles affectionem animi, qua homines apti ſunt ad res juſtas agendas. Ulpianus *l. Juſtitia, ff. de juſt. & jur.* quod uſurpavit quoque Juſtinianus *in princip. Inſtit.* ita concepit: *Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Quam definitionem D. Thomas in debitam formam reducens, ait, *Juſtitia eſt habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit*, aitque eſſe definitionem propè eandem cum ea, quæ ab Ariſtotele traditur 5. *Eth. cap.* 5. Quare Juſtitia eſt virtus ad alterum, juris & moralis facultatis capacem, hoc eſt naturæ intellectualis compotem Hinc factum eſt, ut Juſtitia ex Ariſtotele 5. *Eth. cap.* 1. alienum bonum eſſe videatur. Quod ibi luculenter tradit de juſtitia univerſali, omnes omninò virtutes ad alterum complectente. Ideòque S. Ambroſius hanc virtutem appellavit publicam *ſer.* 16. *in pſal.* 118. Eſto poſſit etiam proprium bonum quoquomodo reſpicere. Quod tamen nunquam ità facit, quin involvatur ſemper aliquis ordo ad alterum, ſaltem moraliter, & rationabili fictione interveniente. 28

Quamquam enim una ſit juſtè agendi ratio, ex qua 29
illa oritur, tamen, ut cæterarum virtutum actiones variantur, ita etiam juſtitiæ. Quo fit, ut tota illius ratio vel in humanæ ſocietatis æqualitate ſervanda conſiſtat, indeque duæ juſtitiæ partes naſcuntur: una quæ communis appellatur juſtitia, quod ad bonum commune ſpectat, altera, quæ privata, quod ad peculiare referatur. At communis quidem illa in duas alias partes diſtribuitur, in eam, quæ leges continet, quam Legalem appellant, & in epieikeiam, id eſt æquitatem. Rurſus privata in diſtributricem, & commutatricem dividitur. Hanc ſpecificam diſtinctionem aſſeruit diſertè Ariſtoteles

5. *Eth.*

5.*Eth.cap.*2.quem aliter eludere nequivit Buridanus. Eandem agnoſcit communiſſima ſententia, circa quam ambiguus non fuit D. Thomas, ut liquet ex 2. 2. *quæſt.* 61.*art.*1. *in corpore*, & *ad* 5. Nam habent objecta ſpecie diſtincta in ratione objecti, ſive motivi virtutum. Itaque una, & eadem juſtitia, prout variis in rebus cernitur, quadripartita fit, quemadmodum in una hominis conſtitutio corporea quatuor ex humoribus componitur.

30 Juſtitia communis habitus eſt, quo homines ad juſtè agendum propenſi ſunt, juſtèque agunt, idque animo libenti. Hæc cum ad bonum commune pertineat, ad alios potiùs, quàm ad nos ipſos diffunditur, ideòque virtus univerſa nominatur. Non quòd virtutes omnes ſint juſtitiæ, ſed quia virtus eadem latiſſimè pateat, & ad bonum commune referatur, cujus participes reliqui omnes ſunt. Hujus prima pars eſt legalis. Quoniam juſtitiæ communis officium eſt, leges, & jura cujuſque ſocietatis conſervare. Altera eſt æquitas. Quæ tametſi legali adjuncta ſit, tamen longiùs patet. Nam ad judicium rationis, præter legem ipſam ſcriptam, confugit.

31 Jam verò privata, quæ circa bonum peculiare verſatur, ſic ſolet definiri, ut habitus bonus ſit, quo ad aliquid juſtè agendum feramur. Diſtat à ſuperiori, quod privatam cujuſque utilitatem ſpectet, unaque ſit ex quatuor virtutibus, quas nos inquirimus, quæque Cardinales dicuntur. Hujus duæ partes ſunt, una commutatrix, altera diſtributrix. Commutatrix eſt ea, quæ ordinem, & æqualitatem diſtribuendi commodi, incommodive cuique pro conditione oſtendit. Quæ cùm non in honoribus tantummodo diſtribuendis, ſed in pœnis etiam irrogandis verſetur, Magiſtratuum, ac Principum propria eſt. Itaque tota illius vis in æqualitate ſervanda conſiſtit, ac geometricæ proportioni idcircò comparatur, in qua ut majorum, ac minorum numerorum æqua ratio ſervatur, ita ipſa eundem ordinem obſervet. At verò commutatrix, quæ privatæ pars altera eſt, in hominum commerciis, vitæque negociis verſatur. Ut enim eorum ſocietas, quæ communi contractione indiget, tranquilla ſervetur, neceſſe eſt hujus commutatricis vi uti, quæ ſuum cuique diſtribuat, non illa quidem diſtributricis æqualitate, ſed ratione quadam debiti, ideòque arithmeticæ proportioni aſſimilatur, in qua æqualis numerorum eſt incrementum, non autem æqualis ratio. Ergo proprium diſtributricis eſt, dignioribus diſtribuere digniora; commutatricis ſuum cuique debitum reſtituere. Proprium igitur Juſtitiæ cujuſque munus eſt, ſive ſit ea communis, ſive privata, ut rectè ſemper agamus.

32 Reſtant & virtutes aliæ, quæ ex Juſtitia tanquam è fonte oriuntur, de quibus diſſerunt Sancti Patres, & Theologi. Inter eas primum locum obtinet Religio, quæ, ut hic accipitur, eſt Juſtitia quædam creaturæ ad Deum, qua ipſa ſuo Creatori debitum cultum, & honorem perſolvit. Hujus ſoboles ſunt Oratio, Pietas, Obſervantia, Obedientia, Gratitudo, Veritas, Sinceritas, Amicitia, Tractabilitas, Liberalitas.

33 Primus Juſtitiæ gradus hominem ab omni iniquitate cuſtodit, & cum omnibus pacificè converſari facit, & ſic eſt virtus politica, qua quis debet res mundanas deſpicere, & unicuique quod ſuum eſt tribuere, ſcilicet tria & ſibiipſi, & proximo, & Deo. Sibiipſi, mundiciem cordi, cuſtodiam ori, diſciplinam corpori. Proximo, obedientiam Superiori, concordiam pari, beneficentiam inferiori. Deo, honorem Creatori, amorem Redemptori, timorem Judici.

34 Secundus gradus Juſtitiæ mentem ad æternæ directè trahit, quia juſto ordini rationis perfectè conſentit. Per hanc pervenitur ad illam beatitudinem, quæ *Matth.*5. dicitur eſuries, & ſitis Juſtitiæ. Et eſt vehemens deſiderium Juſtitiæ, vel ſummi boni, quæ potiùs beatitudo dicitur, quàm eſuries aliarum virtutum Cardinalium. Quia per Juſtitiam immediatè conjungitur Deo, quod non fit per alias virtutes Cardinales. Nam Juſtitia, prout eſt virtus generalis, ſumi poteſt generaliter pro probitate, bonitate, vel rectitudine vitæ, comprehendens etiam in ſe virtutes Theologicas, quæ nos immediatè Deo conjungunt. Quare beati dicuntur qui eſuriunt, & ſitiunt Juſtitiam. Quia quantò quis magis habet eſuriem Juſtitiæ, tantò majorem habet lætitiæ operandi juſtitiam. Non enim amatoribus veri boni ſatis eſt quod juſti ſint, ſed opus Juſtitiæ ſemper ſitiunt, nunquam ſe ſatis juſtos exiſtimantes, ſed ſemper ardentes profectu Iuſtitiæ quotidiano cum omni deſiderio ad modum ſitientis, & eſurientis, non ſolùm in ſe, ſed in omnibus aliis Iuſtitiæ profectum appetunt. Atque ideò ii dicuntur Beati. *Quia*, ut inquit Auguſtinus, *qui perfectè juſtitiam amat, jam juſtus eſt, etiam ſi nulla exeat ſecundùm eam forinſecus per membra corporis operandi neceſſitas.* Et de hac Iuſtitia loquitur Bernardus: *Nunquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, Satis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque Iuſtitiam, ita ut ſi ſemper viveret, ſemper quantum in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet.*

Tertius gradus Iuſtitiæ mentem in æternis figit, quia illâ cum Deo æterno perpetuo fœdere ſociat. Tunc enim Iuſtitia eſt ſic cum ſuperna, & divina mente ſociari, ut jam ſervet cum ea perpetuum fœdus, illam inſeparabiliter amando. De qua D. Auguſtinus *lib. de Eccleſ. morib. c.*15. inquit: *Iuſtitia eſt amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans*: & paulò infrà: *Iuſtitia eſt amor Deo tantùm ſerviens, & ob hoc benè imperans cæteris, quæ hominibus ſubjecta ſunt.* 35

## *De Fortitudine.*

Hæc virtus circa paſſiones occupatur, ſicut & Temperantia. Agit de eis Philoſophus, 3. *Eth. à cap.* 16. *ad libri finem.* Prior reſpicit terribilia, quæ ſunt humanæ vitæ corruptiva. Poſterior reſpicit delectabilia, quibus eadem humana vita conſervatur, ſive in individuo, ſive in ſpecie. Nam circa illa utraque objecta verſantur paſſiones moderationis capaces, eò quòd dirigantur per apprehenſionem, quæ apta eſt regulari per rationem, ut philoſophatur D. Thomas *q.* 25. *de verit. art.* 1. & 4. & Ferrarienſis *lib.*1. *contra Gentes cap.* 89. Sed quia difficiliùs eſt ſuſtinere triſtia, & ardua ferre, quod præſtat Fortitudo, frænando paſſiones circa hæc objecta, quàm à delectabilibus abſtinere, eiſque frui cum ea moderatione, quam Temperantia inducit, ut Philoſophus ſupra *cap.* 9. obſervat; idcircò priori loco ſtatuitur Fortitudo, poſteriori Temperantia. 36

A multis variè definitur, ut ab Ariſtotele, virtus iraſcibilis facultatis, qua non facilè ira perturbamus. A Platone, habitus qui timore non perturbetur. A Tullio, conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. A D. Auguſtino *lib.*1. *de lib. arb. c.*3. qua omnia incommoda, & damna rerum non in noſtra poteſtate conſtitutarum contemnimus. Alcinous *cap.* 21. Breviarii Platonici in hunc modum definit, eſt legitima præcepti ardui, & non ardui obſervatio, id eſt, facultas conſervatrix præcepti legitimi. Accuratius verò Theologi: Eſt virtus animi, qua labores, ac res arduas, mortiſque pericula conſtanter ſuſcipiuntur, & perferuntur. Ex quibus clarum eſſe cenſeo, quid hæc virtus ſit, ut propterea non ſit amplius inſiſtendum in expiſcanda Fortitudinis quidditate. 37

Huic virtuti aptatum primò fuiſſe virtutis nomen confirmat vocis etymologia, & obſervat Guliel. Pariſ. *lib. de virt. c.*4. cauſam inde petens, quod ſemper quantumvis rudibus hominibus, generoſitas Fortitudinis apparuerit laudabilis, & commendatione digna. 38

Hujus ſedes eſt, ut omnibus placet, iracundia; quoniam ab eadem excitatur, nec fortitudo eſſe ſine animi concitatione videatur. Mihi verò multò magis eorum ſententia probatur, qui fortitudinem in voluntate potiſſimum 39

potiſſimum ſtatuunt, quod tota ejus vis in dolore perferendo, ac periculis ſubeundis conſiſtat. Quamquam enim aliqua iracundiæ commotio ad actionem fortitudinis poſtuletur, eadem tamen eſt voluntaria, nec plus efficere illius impetus poteſt, quàm voluntas, & conſilium.

40 Ejus objectum materiale, aliud remotum, aliud proximum. Illud periculis, & malis, præſertim graviſſimis, cujuſmodi ſunt mortis pericula. Hoc timoris, & audaciæ, circa ea mala, paſſionibus continetur. Formale objectum non honeſtas, ut Ariſtoteli dicitur, ſed ſummum bonum.

41 Duo ſunt fortitudinis officia: *Suſtinere*, & *Aggredi.* Suſtinendo quis fortis eſſe dicitur, ſi pericula, reſque arduas æquo animo perferat. Aggrediendo autem, ſi difficilia, eaque honeſta Dei cauſa ſubeat, nec eis propriam ſalutem anteponat. Ad ſuſtinendum duo requiruntur. Primum eſt, ne animus difficultate, & aſperitate malorum frangatur. Ad hoc valet *patientia*, quæ triſtitias, & dolores moderatur, animumque continet, ne hiſce paſſionibus victus à recto, & decoro decidat. Alterum eſt, ne diuturnitate malorum fatiſcens, cœpta bona abrumpat, & deſinat. Ad hoc eſt *perſeverantia.* Similiter ad aggrediendum duo requiruntur. Primò promptitudo animi ad periculum ſuſcipiendum. Hanc præſtat *fidentia.* Qui enim confidit, ſe malum imminens ſuperaturum, facilè periculum ſuſcipit. Secundò ſtrenuitas in executione. Hanc tribuit *Magnificentia.*

42 Ex his patet qua ratione hæ quatuor virtutes dicantur partes integrantes fortitudinis, nimirum ſi conſiderentur, ut verſantur in propria fortitudinis materia, id eſt in periculis, rebuſque arduis. Si verò ſpectentur in aliis quibuſdam materiis minus difficilibus, dicuntur partes fortitudinis potentiales, quia fortitudinem imitantur, licèt ejus perfectionem non aſſequantur. His partibus fortitudinis tres alias adiicit Macrobius *lib.* 1. *in ſomn. Scip.* Magnanimitatem, Securitatem, Conſtantiam. Verùm hæ in illis comprehenduntur. Cætera vide apud D. Thomam.

43 Primus gradus Fortitudinis eſt propoſitum. Per hanc enim homo omnem metum pro Deo poſtponit, & nihil niſi turpia formidat. De iſta dicit Seneca ſub nomine magnanimitatis: *Scito enim magnum, & honeſtum genus eſſe vindictæ ignoſcere. Eris magnanimus ſi pericuſoſa non appetas, ut temerarius, nec formides, ut timidus. Nam timidum non facit animum, niſi reprehenſibilis vitæ conſcientia mala.* Unde ad magnanimum etiam pertinet neque perturbationi, neque homini, neque fortunæ ſuccumbere, & ea, quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedat, vel à dignitate ſapientis.

44 Secundus gradus eſt ipſa actionis fortitudinis vis, & firmitas. Siquidem ut ait Ariſtoteles *lib.* 2. *Eth. c.* 4. Ad virtutem requiritur firmiter, & immobiliter operari. Quare Fortitudo virtus eſt communis virtutibus omnibus ac multò magis in ipſa Fortitudine reperitur, efficitque ut actio, cui alioquin per ſe id convenit, accedente hac communi proprietate, virtutum omnium fortiſſima, robuſtiſſimaque reddatur, & penè dixerim inſuperabilis. Hujus autem præclariſſimæ actionis partes exponunt Patres. Præſertim verò D. Ambroſius *lib.* 1. *Offic. c.* 35. *&* 39. & S. Proſper *lib.* 3. *de vit. contempl. c.* 20.

45 Ex quibus perſpicuum eſt, martyrium verè & propriè eſſe actum Fortitudinis, etiamſi ſolius charitatis, & fidei affectu ſubeatur, non ſimplicem, & vulgarem, ſed excellentiſſimum, quia in nobiliſſima fortitudinis materia, ut etiam ex Ariſtotele *lib.* 3. *Ethic. c.* 6. colligitur, nimirum in periculis bellicis, iiſque pulcherrimis verſatur. In martyrio enim eſt bellum contra tyrannum pro defenſione Fidei, & Religionis juxta illud Apoſtoli ad Hebr. 11. *Fortes facti ſunt in bello,* ut D. Thomas interpretatur, quod non invadendo, ſed tolerando conficiendum eſt. At multò difficiliùs tolerare, quàm invadere, ut docet Ariſtoteles *ſupra c.* 9. Cujus rei tres cauſas reddit D. Thomas 2. 2. *q.* 123. *art.* 6. Prima eſt, quia toleramus valentiorem nobis, aggredimur quem ſaltem putamus fore debiliorem. Secunda eſt, quia ferendo, incumbentia mala ſentimus aggrediendo, adhuc futura prævidemus. Tertia eſt, quia in puncto temporis aggredimur; nonniſi aliquo temporis intervallo ſuſtinemus. Quod fusè oſtendit D. Ambroſius loco citato *c.* 41. Et eleganter proſequitur D. Chryſoſtomus *homil.* 85. *in Matth.* ac confirmat D. Thom 3. *Eth. lect.* 18. qua etiam ratione utitur in hanc rem Iovin. Pontanus *lib.* 1. *de fortit. c.* 12. & qui multa præterea in hanc ſententiam conſtipat Thomas Boſius *lib. de robore bellico* contra Macchiavellum in proœmio. Immò Martinus de Magiſtris *q.* 5. *de fortit. concl.* 5. ait, hoc eſſe tam certum, ut probatione non egeat. Accedit, quod aggreſſio eſt voluntaria, quod non parum imminuit difficultatem, atque etiam laudabilitatem. Quod dixit D Chryſoſtomus *hom. l.* 10. *in* 1. *ad Theſ.*

Quia verò actio hæc vires humanas maximè ſuperat, S 46
Proſper declarat, cuinam nitatur fortitudinis chriſtianæ vis, nempè uni Deo. *Sed hæc,* inquit loco citato, *animi fortitudo ab illo eſt nobis, cui cum Propheta cantamus Iſai.* 12. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, &c.* Certè non ſine cauſa una ex beatitudinibus, Chriſti Domini doctrina celebratis, eſt pati perſecutionem propter juſtitiam. Certum enim eſt, voluntaris & amoris proprii in patiendo minimam, aut nullam ſuſpicionem ſubeſſe, maximam in aggrediendo. Et quamquam contra omnia pericula armat fortem virum animi fortitudo, maximè tamen adverſus mortis pericula, & timores. Quia enim timore mortis nullus vehementior, ad hujus victoriam hominis animum in primis oportebat roborari virtute præſtanti, qualis eſt Fortitudo. Animum enim tam excellentem, & moderatum potentia cœleſtis agitat. Non enim poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare. Quemadmodum radii Solis, terram quidem contingunt; ſed ibi ſunt, ubi mittuntur. Sic animus fortis converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ.

Tertius gradus eſt delectatio, ſive gaudium. Occupant 47
enim ipſam laudabilis ſuſtinentiæ arcem, atq; adeò ſummum ſibi Fortitudinis eminentiſſimæ decus decerpunt qui propter Deum non modò patienter ſuſtinent, reprimuntque nimium malorum metum, ea mala plus juſto adverſantem; ſed etiam gaudent de ſuſtinentia, eamque ultrò aſciſunt, aut magna generoſitate exterius expreſſa, imperterritum animum produnt. Nam ita hac fortitudine mens in æternis figitur, ut fiat virtus purgati animi, cujus eſt non ſolùm paſſiones corporis vincere, ſed ignorare, ita ut iraſci neſciat, nihilque niſi æterna cupiat. De qua dicit Ambroſius: *Iure Fortitudo vocatur, cùm unuſquiſq; ſemet ipſum vincit. Nam continuò nullis illecebris inflectitur, aut emollitur, nec adverſis perturbatur, nec in proſperis extollitur: ſed quaſi vento quodam Spiritus ſancti variarum rerum circumfertur provida mutatione.* Quod in ethnica philoſophia locum apud aliquos habuiſſe agnoſcit Nazianzenus *ep.* 64. & Clemens Alexandr. *lib.* 4. *Strom. cap.* 5. Quòd tamen in Ethnicis ſuſtinentia teredine inanis gloriæ ferè vitiaretur, aut contumaciæ rigore obdureſceret, monet D. Chryſoſtomus *homil.* 1. *in* 1. *ad Theſſal.* gaudium de ſuſtinentia purè propter Deum eorum eſſe qui naturam jam tranſcenderunt, corpuſque habent nullis ultra paſſionibus obnoxium. Luculenter hoc Fortitudinis culmen ſuſcipit Theodoretus *ſer.* 10. *de provid.* agens de Sanctis Apoſtolis Petro & Joanne, quos pietatis turres, veritatis columnas nominat: obſervatque non modò libenter paſſos, quod vel ipſum inſignis eſſet Fortitudinis; ſed etiam pati gaviſos, qui eſt ſummus vertex Fortitudinis. Sed & Paulum hanc ipſam Fortitudinis medullam ſignaſſe notat, cùm ſcripſit de ſeipſo: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, &c.* Quam eſſe vim inſignem virtutis, &

eximium

eximium planè decus ſuſtinentiæ, rectè tradit. Idem pari ratione de chriſtianis Martyribus propè omnibus dicere liceat. Quia in ſuſtinentia, ut ad Fortitudinem ſpectat, non ſpectatur dumtaxat gravitas ſupplicii, vel incommodi, quod ſuſtinetur, ſed cauſa & motivum patiendi. Quod fuſiſſimè confirmat D. Auguſtinus *lib. de patient. à cap.* 3. *& lib.* 4. *in Iulian. cap.* 3. *&* 5. Quare *concione* 2. *in Pſal.* 34. ait: *Martyrem non pœna, ſed cauſa facit.*

48 Certè ſi de Fortitudine viri Chriſtiani loquamur, ut loquimur, alacritatem illi etiam ſuam ineſſe negandum non eſt, quandoquidem ea ab eodem Patre *lib.* 7. *de morib. Eccleſ. cap.* 15. ſic deſcribitur, ut ſit *Amor omnia propter Deum facilè perferens.* Quod ſi Ariſtoteles *lib.* 3. *Eth. c.* 9 id negare videtur, loquitur de delectatione corporis, cujus expers ſit vir fortis in mediis doloribus tormentorum, aut mortis poſitus, non autem de delectatione animi, quæ magna percipitur ex ipſamet actione Fortitudinis, cujus vi cognoſcit vir fortis ſe dolores, vitamque contemnere propter Deum, qualis fuit illius viri fortiſſimi Eleazari, qui cum Deo agens: *Diros,* aiebat 2. *Machab.* 6 *corporis ſuſtineo dolores; ſecundùm animam verò propter timorem tuum, libenter hæc patior.* Immò auctor eſt D. Thom. 2. 2. *qu.* 124 *art.* 8. & teſtata res eſt apud Hiſtoricos ſacros, eo ipſo tempore Dei gratiam aliquando adeò copioſam mentes Martyrum perfundere, ut ne percipiatur quidem ab illis ſenſus doloris. Quia dum corpore torquentur, animo ſic abſtrahuntur in Deum, ut omnem corporis vexationem, & afflictionem penè abſorbeat divina illa voluptas.

## De Temperantia.

49 Hæc eſt poſtrema inter Cardinales virtus, de qua Philoſophus 3. *Eth. à cap.* 10. poſt fortitudinem diſſerit; quia cùm ambæ, ut initio ejuſdem capitis dicitur, ſint virtutes partis animæ irrationalis, hoc eſt, cum ambæ occupentur in frænandis paſſionibus, iis præſertim, quæ ſunt nobis, & irrationabilibus animantibus communes, ut interpretatur D Thomas 3. *Eth. lect.* 19. & altior in eo genere ſit Fortitudo, rectè in poſtremum locum reiicitur Temperantia. De qua ſtrictè accepta, pro virtute, quæ refrænat appetitum in his, quæ maximè alliciunt, & ſic ut eſt virtus magis ſpecialis, & Cardinalis hic agendum.

50 Hanc Cicero definit, firmam, & moderatam rationis dominationem in libidinem, atque alios non rectos animi impetus. Plato, virtutem, quæ voluptates ac libidines rationi ſubiicit. Eandem Ariſtoteles appellat, appetitoriæ animæ virtutem, qua impetus voluptatum inhoneſtarum reprimantur. Finis hujus eſt idem, qui virtutum aliarum, ideſt ſummum bonum. Unde S. Auguſtinus *lib. de morib. Eccleſ. cap.* 15. illam definit, *amorem Deo ſeſe integrum, incorruptumque ſervantem.* Sedes verò pars animi appetitoria, ex qua omnes appetitiones naſcuntur. Objectum denique voluptas Ariſtoteli dicitur, non quidem omnis, ſed ea ſolùm, quæ ad tactum pertinet. Verior tamen ſententia eorum eſſe videtur, qui voluptates ſenſuum omnium eidem virtuti ſubiiciunt. Adequatè etiam ſumptum alias quoque delectationes, & motus eis prævios comprehendit, intra formale hujus virtutis, hoc eſt mediocritatem, ac neceſſitatis, aliorumque perſonæ, & negotii adjunctorum, metrum dimenſum. Itaque quoniam in moderandis cupiditatibus vera temperantia conſiſtit, potiſſimum ejus officium eſt, naturæ vim agnoſcere, conſiderareque quantum ea poſtulet; reliqua, ut immoderata, & vitioſa reiicere. Vera autem moderationis hujus ratio eſt, ſi nihil rationi, Deique præcepto repugnans committatur, ſed naturæ ſemper modum teneamus. Idem tradit D. Auguſt. *lib. de morib. Eccleſ. cap.* 19. *&* 21. & D. Hieronymus *in cap.* 44. *Ezechiel.* & facit elegans, & gravis oratio D. Baſilii ex variorum Philoſophorum ſenſu docentis, quæ menſura circa indulgentiam corpori exhibendam Temperanti ſit tenenda;

Eam lege *in homil. de legend. cum fructu lib. ii Gentil.* Nec verò ſolum in corporis cupiditatibus cohibendis moderatio animi cernitur, ſed in aliis etiam, quæ rationem non minus perturbant. Quocirca benè Plato, Temperantiæ, inquit, officium eſſe rationi appetitoriam animam ſubmittere. Quod etiam docuit D. Auguſtinus eo loco *c.* 19. & fuſius, & diſtinctius expreſſit D. Proſper *lib.* 3. *de vit. contempl. c.* 19.

Triplices partes hujus virtutis ſtatuit D. Thomas, idque rectius. Integrantes ſubjectivas, & potentiales. Integrantes ſunt Verecundia, & Honeſtas. Subjectivæ ſunt Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, & Pudicitia. Potentiales ſunt, Continentia, Humilitas, Manſuetudo, Clementia, & Modeſtia duplex, nempè cultus, & morum. De quibus Expoſitores. 51

Primus Temperantiæ gradus eſt voluntas regendi appetitum, rationeque moderandi antedictas voluptates. 52

Secundus gradus eſt pugna adverſus tyrannidem voluptatum, quæ ſanè velut immanes belluæ animum hominis, rationemque ſuffocant, ſi in tempore non occurratur illis, hoc eſt initio. D. Hieronymus *in Ezechiel. c. p.* 44. comparat temperantiam circumciſioni, ut intelligamus ea quaſi gladio debere nos jugulum voluptaris petere. Eſt autem Temperantiæ Chriſtianæ charitati innixæ propria altitudo quædam animi, quia ſimiliter S. Paulo voluptates, terrenaſque delicias *Phil p.* 3. arbitratur, ut ſtercora. *Temperantia,* inquit D. Ambroſius *lib.* 3. *de Virginib. ſacrata vinculo charitatis, myſteriorumque contemplatione cœleſtium negligit corporis voluptates.* Hæc autem ex viva fide pendet, ſiquidem *fidei donum electum* promittitur Temperantibus, *Sap.* 3. 53

Tertius gradus eſt voluptas ſpiritualis, quæ carnalem contemnentibus etiam in hac vita à Deo conceditur. *Vincenti enim datur manna abſconditum Apoc.* 2 & Dei amor, qui amori carnis in animo Temperantis ſuccedit, & ut voluptatem malam trudit, ſic pro ea ſubiicit Spiritus ſuavitatem quandam, quæ ſui victoriam, quaſi quædam palma ſubſequitur. Sed non exiguam lætitiam affert Temperanti ipſa Temperantiæ pulchritudo, qua in primis pulcher efficitur virtutis amator. Temperantiæ enim eſt, proportione quadam partes animi, affectuſque inter ſe temperare, & hominem, voluptate rejecta, turpitudinis nota liberare; quæ propriè pulchritudo animi eſt, admirabilem ſui amorem excitans, cùm animo cernitur, ut revera cernitur ab his, qui temperatè vivunt, ut propterea dixerit Sapiens *cap.* 4. *Quàm pulchra eſt caſta generatio cùm claritate,* & Cicero Temperantiam ornatum vitæ cenſuerit eſſe; & in quo poſitum eſt maximè illud decorum; & honeſtum; quòd tantoperè hominem decet. 54

Et hæc ſufficiant pro Virtutum in gradu heroico, ſive purgati animi characteriſmo. 55

## CONSULTATIO XVII.

### *An virtutes Theologicæ ſint inter ſe connexæ?*

Virtutes eſſe inter ſe connexas nihil aliud eſt, niſi non poſſe unam eſſe, aut generari ſine alia, ita ut repugnet, eam, illa alia virtute ſecluſa, poni, aut eſſe in rerum natura. 1

Hac in re certum eſt, quod Charitas nequeat eſſe ſine Fide, & Spe, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 65. *art.* 4. Fides verò, & Spes poſſunt eſſe ſine Charitate, ut colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 15. Similiter Spes nequit eſſe ſine Fide, Fides autem poteſt eſſe ſine Spe. Ita Theologi omnes.

## CONSULTATIO XVIII.

### *An virtutes morales per ſe infuſa ſint connexæ cum Gratia, & Charitate.*

1 ESt certum. Sunt enim veluti paſſiones ac proprietates Gratiæ, ac dependent à prudentia infuſa, quæ nequit eſſe ſine Charitate. Quia pendent à rectitudine appetitus circa finem ſupernaturalem, quem Charitas attingit. Ita Theologi, & nos alibi, cùm de earum infuſione ſimul cum Gratia diſſerebamus.

## CONSULTATIO XIX.

*An virtutes morales acquiſitæ ſint connexæ cum Theologicis, præſertim Charitate?*

1 ASſero primò. Vera ſententia eſt, virtutes morales acquiſitas non eſſe connexas cum Charitate, Fide, aut Spe, ita, quod ſine illis eſſe non poſſint quantum ad ſubſtantiam, & eſſentiam. Eſt communis, nominatim verò Scoti, Gabrielis, Durandi, & Salmanticenſium. Primò, quia cùm juſtus in quo erant tales virtutes, amittit per peccatum mortale gratiam, & Charitatem, & per infidelitatem ac deſperationem fidem, & ſpem, non ſtatim amittit virtutes morales, niſi poſtquam per actus illis contrarios, acquiſiverit vitia contraria. Et proinde hoc modo non ſunt cum illis connexæ. Deinde, Infidelis, in quo non ſunt virtutes Theologicæ, poteſt ſe exercere in actibus virtutum acquiſitarum. Nam honeſtas, harum virtutum eſt aliquid viribus naturæ commenſum, & abſq; ullo ſupernaturali auxilio appetibile, cùm non tranſcendat ordinem naturæ, ſitque bonum hominem decens, quamtumcunque ſpectetur abſque Charitate; & in puris naturalibus.

2 Et quidem in homine, ſecluſa gratia fidei, ſunt principia ſufficientia boni operis moralis naturalis. Ergo poterint exire in actum ſecundum, & efficere opus bonum morale. Quælibet enim cauſa poteſt exire in actum proportionatum ſuæ virtuti. Quare infideles antequam acquirant fidem, poſſe efficere bona opera moralia per ſolas vires naturales, docent Caietan. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 4. Bannes *ibidem*, Vaſquez 1. 2. *diſp.* 195. *cap.* 2. qui alios citat, Suarez *de grat. lib.* 1. *cap.* 16. & Theologi univerſim. Poſſunt igitur virtutes purè morales acquiſitæ eſſe ſine virtutibus Theologicis, atque adeò ſecundùm ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam non ſunt connexæ cum illis.

3 Aſſero ſecundò. Virtutes morales acquiſitæ, conſideratæ quantum ad ſtatum, & perfectionem virtutum. ſunt connexæ cum Theologicis. Ita ſæpè D. Thomas, & ejus ſequaces, aliique communiter. Secundùm enim hanc conſiderationem nequeunt dari ſine illis. Deſumitur primò ex Divo Paulo 1. *Cor.* 13. Ubi poſt enumeratas plures virtutes, inquit: *Si Charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt.* Secundò ex Patrum teſtimoniis, quibus aſſirmatur, qui Deo inviſus ſit, & Charitatem non potiatur, nullam veram virtutem habere, in quo multus præter cæteros eſt D. Auguſtinus variis in locis, ſed præſertim *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 3. *& lib.* 13. *Trinit. cap. ult. & lib.* 5. *de Civit. cap.* 12. & ſæpè alibi. Inſectatur enim frequenter contrarium placitum, quod divinæ gratiæ hoſtes Pelagiani, ut *cap.* illo 3. & eas naturæ, voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod eas nonnunquam habeant infideles. Id verò D. Auguſtinus ait percelli ſententia illa Sapientis Prov. 14. *Qui dicit impium juſtum eſſe, maledictus erit in populo, & odibilis in gentibus.* Et mox: *Sed abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide. Iuſtus enim ex fide vivit. Quis porrò eorum qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam fortè tu ſolus* (Julianum alloquitur) *juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit, impium Diabolo mancipatum? Nec in iſtis eſt vera juſtitia, quia juſtus ex fide vivit, fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti, finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Quomodo ſunt verè juſti, quibus vilis eſt humilitas veri juſti?* Et paulò poſt: *Porrò ſi veram juſtitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes ejus comites, & ſocias. Quia cùm non ad ſuum referuntur authorem dona Dei, hoc ipſo mali, his utentes, efficiuntur injuſti. Si quas habent, veras non habent, ac per hoc nec continentia, ſive pudicitia vera virtus eſt impiorum.* Ita D. Auguſtinus. Nec aliter fidus ejus ſectator Proſper *lib.* 1. *de vocat. Gent. cap.* 7. & ſæpè alibi. Imò Rupertus *lib.* 3. *in Matth. ad cap.* 6. *initio*, negat, Ethnicos veras virtutes vel cognoviſſe, nec fuiſſe in illis, niſi quaſi membra corporis capite trunci, latè proſequitur Lactantius *lib.* 6. *cap.* 9. & ſubſcribit D. Bernardus *ſer.* 22. *in Cantica in fine.*

Tertiò ratione. Quia ſtatus, & perfectio virtutum in homine elevato ad finem ſupernaturalem conſiſtit in hoc, quod rectificent, juvent, & perficiant illum in ordine ad talem finem. Debet enim referre omnia in finem ſupernaturalem ultimum. Nam finis eſt principium totius ordinis in rebus agendis, ut habet D. Thomas 1. 2. *q.* 102. *art.* 1. *in corp.* nec poteſt eſſe vera virtus, ſi in verum finem ſuum non collimet. Non enim tam officiis, quàm finibus penſanda eſt vera virtus, ut S. Auguſtinus *d. lib.* 4. *contra Iulian. cap.* 3. rectè tradit, & Ariſtoteles ſæpè confirmat. Atqui hanc non habent virtutes morales acquiſitæ, niſi conjunctæ cum Theologicis, præſertim Charitate. Igitur quantum ad hunc ſtatum, & perfectionem ſunt cum illis connexæ. Confirmat latè hanc ratiocinationem Janellus *in philoſoph. chriſtian p.* 1. *cap.* 6. ut probet in nullis Ethnicis veras virtutes fuiſſe. Quod latè etiam proſequitur Ribadeneira *lib.* 2. *de Principe cap.* 1. & Illefonſius Meſſia *lib.* 2. *de vera, & falſa gloria cap.* 8. 4

## CONSULTATIO XX.

*An virtutes morales acquiſitæ inter ſe ſint connexæ?*

QUi negant ita argumentantur. Primò. Poteſt quis ſe exercere, etiam frequenter, circa materiam unius virtutis tantùm, nihil prorſus cogitans de materia aliarum. Ergo acquirere poterit unam virtutem ſine aliis, atque adeò nulla erit inter ipſas connexio. Secundò. Singulæ virtutes morales habent propriam honeſtatem, & materiam, circa quam operantur. Ergo una non dependet ab altera, ac proindè nullam habent connaxionem. Tertiò. Quotieſcunque aliquod ſubjectum eſt perfectibile diverſis perfectionibus partialibus, poteſt perfici ſecundùm unam, & non ſecundùm aliam. At potentiæ noſtræ ſunt perfectibiles per plures virtutes morales, tanquam per diverſas perfectiones partiales. Ergo poſſunt perfici per unam, & non per aliam. Itaque inter ipſas non erit connexio. Quartò. Sunt aliquæ virtutes, quæ non poſſunt eſſe in omnibus hominibus. Non enim poteſt eſſe in paupere magnificentia, in viduis, aut conjugatis Virginitas, & tamen in illis poſſunt eſſe aliæ virtutes. Ergo inter ipſas non eſt connexio. Sic fermè Scotus, & aliqui Nominales, quibus favent Vaſquez, & alii, præſertim ex Patribus Hieronymus, Auguſtinus & Bernardus. 1

Ii verò, qui affirmant inquiunt, eſſe connexas in ſtatu tamen perfecto. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. ejuſque expoſitores, & ex antiquioribus D. Bonaventura, Richardus, Durandus, Capreolus, Henricus, Hiſpalenſis, aliique plures. 2

In hac re notandum eſt, virtutes morales acquiſitas poſſe dupliciter conſiderari. Primò in ſtatu imperfecto, quatenus ſcilicet ſolùm præ ſe ferunt ſubſtantiam, & eſſentiam virtutum, quemadmodum infans rationem hominis. Secundò in ſtatu perfecto, non quidem ſupernaturali, quem habent hæ virtutes propter connexionem cum Theologicis, ſed alio naturali, & ſibi naturaliter debito, ratione cujus ita inclinant potentiam ad actum bonum, ut id faciant in omni occaſione, quæ contingere poſſit, reſiſtendo quibuſcunque contrariis. His prænotatis. 3

Dicendum eſt primò. Virtutes morales acquiſitæ non 4

ſunt

ſunt connexæ primo modo, ſcilicet quantum ad ſuam ſubſtantiam,& eſſentiam ac in ſtatu imperfecto. Ita Authores utriuſque ſententiæ cum argumentis adductis. Et confirmatur, quia iſtæ virtutes non acquiruntur in inſtanti,ſed ſucceſſive ac paulatim per plures actus, & circa materias diverſarum virtutum. Immò propter augmentum extenſivum, quod habent, poſſunt priùs acquiri circa unam materiam ejuſdem virtutis, & poſteà circa aliam. Vt virtus Temperantiæ, primò circa cibum, deinde circa potum. Vlterius, quia prudentia acquiſita, cum qua hæ virtutes connectuntur,non acquiritur in inſtanti circa materias illarum omnium. Poteſt igitur eſſe priùs circa materiam Temperantiæ, & poſteà circa materiam Fortitudinis. Ac proinde non ſunt connexæ.

5 Dicendum eſt ſecundò. Virtutes morales acquiſitæ ſunt inter ſe connexæ quantum ad ſtatum perfectum.Eſt D. Thomæ, & aliorum, quos retulimus. Primò. Quia virtutes illæ dependent à Prudentia nec poſſunt eſſe, ſaltem in ſtatu perfecto, ſine illa. Sanè Prudentiam *univerſæ virtutis ducem primam*, vocat Plato *lib.3. de legib.* & Ariſtoteles 2. *Eth.c.6.* At Prudentia perfecta non poteſt eſſe ſine omnibus iſtis virtutibus. Ergo neque illæ inter ſe ſeparatæ. Siquidem munus prudentiæ eſt præſcribere medium omnibus virtutibus moralibus, & dirigere, ac movere illas ad operandum. Tum quia ſupponit rectum affectum circa fines omnium illarum, qui affectus ab eiſdem virtutibus elicitur. Tum etiam quia ipſius quoque prudentiæ munus eſt circumſpicere, ne quid contrarium ipſis fiat. Ergo non poteſt eſſe ſine illis. Secundò. Quia nulla virtus moralis eſt perfecta in ſuo genere, niſi ſit potens reſiſtere omnibus ſibi contrariis. Sed virtuti non ſolùm contrariatur vitium, quod eſt circa eandem materiam, verùm etiam omnia alia vitia, quæ ſunt circa materias aliarum virtutum. Ergo ad reſiſtendum illis indiget conſortio aliarum virtutum. Explico, ac probo. Juſtitia Judicis, verbigratia, non ſolùm corrumpi poteſt propter motivum injuſtitiæ, ſed etiam propter motiva luxuriæ, avaritiæ, gulæ. Hæc autem pertinent ad diverſa vitia. Ergo omnia illa ſunt aliquo modo contraria cuilibet virtuti. Itaque ad perfectum ſtatum cujuslibet virtutis neceſſarium eſt conſortium aliarum virtutum, ut per illas his vitiis reſiſtat. Bonum enim conſtat ex integra cauſa, ut ad rem arguit Maytonius *in 3. d. 33. quæſtio. 2. artic. 13.*

6 Adſtipulantur in hac parte Rubionius *in 3 diſt.36. qu. 2.art.1.* Ocham *quod l.4 q.6. & in 3.qu.12.* Gabriel *in 3. diſt.23.q.1.litt.I.* Iacobus Viterbienſ. *quod l.2.qu 17.* Almainus *tract.3. moral. cap.3.* Angeſtus *cap.13.moral tract. 1.* & paſſim alii. Et videtur mens Philoſophi 3.*Eth.cap.4. & 7.Eth.cap.8.* & optimè *lib.6. cap. 12.* in calce capitis. Idem inſinuat eodem libro *cap. 13.* ad quem locum Giſanius,& videtur tradere 10.*Eth.cap.8.* Idem ſenſere Stoici apud D. Auguſtinum *libr. 1.ſecundæ reſp. cap. 34.* qui etiam *epiſtol. 29.* hanc fuiſſe omnium Philoſophorum ſententiam teſtatur. Et conſenſiſſe etiam videtur Plato, ut eſt apud Alcinoum *cap. 21. Inſtitut.* ac Seneca *ep. 67.* Qua in ſententia confirmanda multus eſt Tuldenus *diſſert. 3. Ethica*, & Piccolomineus *grad.4. à cap. 39.* Et videtur eſſe non obſcurè Galeni *lib. quod optimus med. idem ſit, & philoſoph. ſub fin.* Inter Patres idem expreſsè tradunt D.Gregorius 2.*moral.cap.25. & 22.cap.1.* S. Bernardus *ſermon.49 in Cantic.*& optimè 1. *de conſid.cap.8.* ac luculenter S. Baſilius *in conſtitut. monaſt. cap.15.* & Caſſian.*collat.2.& 4.& lib.5. de Inſtit.cap.11.* Addi poteſt ſummus Chriſti philoſophus S. Franciſcus *opuſc. de virtut.*paſſimque alii, præſertim Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, quos referunt recentiores, & immeritò cludere contendit Vaſquez.

7 Vnde ad primum, & ſecundum reſpondeo,ſolùm probare virtutes iſtas non eſſe connexas quoad ſubſtantiam & eſſentiam illarum,non verò quoad ſtatum perfectum. Ad tertium dico, majorem eſſe dumtaxat veram in perfectionibus,veluti diſparatis, non verò in illis,quæ habent inter ſe aliquem ordinem, quales ſunt virtutes,de quibus loquimur. Etenim quoad ſtatum perfectum conſideratæ habent ordinem cum Prudentia perfecta, & inter ſe ſunt connexæ. Quemadmodum propter ſimilem ordinem, intellectus, & voluntas in homine, & Angelo; appetitivum, & cognoſcitivum in animali; quatuor qualitates elementorum in mixto habent ſimiliter inter ſe connexionem. Ad quartum reſpondeo, quòd licèt ſint aliquæ virtutes, quæ non poſſint eſſe quoad actus externos, ſeu quoad id, quod materialiter præ ſe ferunt in omnibus hominibus, quoad actus tamen internos, & præparationem animi ad exercendos externos, quando poſſent fieri, omnes virtutes poſſunt eſſe in omnibus hominibus, & ita habere connexionem aſſignatam. Ad quintum ex Patribus*, exponendos eſſe, ut ſolùm negent connexionem virtutum quoad ſubſtantiam, non quoad illarum ſtatum perfectum. At de his ſatis.

## CONSULTATIO XXI.

*An Vicarius, ſeu Capellanus amovibilis, Sacerdos ſæcularis, adminiſtrans curam animarum, annexam Commendæ Hieroſolymitanæ, habitans in domo ejuſdem Parochialis tam in iis, quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, quàm in quocumque delicto, ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii ex decreto S. Concilii Tridentini ſeſſ.24. de ref. cap. 11. & ex Conſtitutione Gregorii XIII. §. Idcircò?*

QVoad primam partem dubii certum eſt, Ordinarium,uti Delegatum Apoſtolicum in vim S.Concilii,& per Conſtitutionem Gregorii locis adductis, in iis, quæ reſpiciunt curam animarum,& Sacramentorum adminiſtrationem,poſſe, etiam extra viſitationem, hujuſmodi Vicarios, ſeu Capellanos ſæculares, & regulares, adminiſtrantes curam animarum annexam Commendæ Hieroſolymitanæ, corrigere, punire, & coercere, ac aliter, ut opus fuerit, providere. Ita Paſſerinus *de homin. ſtat. quæſt. 189. art. 10. inſp. 10. ſub numero 955. tom. 3.* Sperel. *deciſio. 21. numer. 79.* & Rota in Toletana Iuriſdictionis 27.Ianuarii 1662. §. *Non obſtat* coram Bevilaqua. 1

Sub iſta autem cognitione veniunt non ſolùm ea, quæ directè, & immediatè concernunt Sacramentorum adminiſtrationem, ſeu ipſius curæ exercitium; ſed etiam ab eiſdem dependentia, quomodo ſcilicet Sacramenta conſerventur, vaſa ſacra, Eccleſiaſtica ſupellex, & id genus alia, ſicque etiam quoad dependentia juxta deciſionem 1667. Seraphin.*num.ultim.*& Doctores relatos à Barboſa *de Epiſcop.alleg 74.num.20.* & ad Concil.Trid.*ſeſs.25. de Regul.cap.11.n.15.* 2

Et ex hac ratione omnino veriùs cenſeo, ſub hujuſmodi juriſdictione venire etiam illas cauſas, quæ circa vitam, & mores verſatur, quæque influunt etiam in exercitium curæ, ac præjudicium ſalutis animarum ob ſcandalum, quod Paſtor præbet ovibus ſuis, quas ſuo exemplo paſcere debet. Non poteſt enim aſſignari congrua ratio, cur Epiſcopus poſſit cognoſcere, & punire exemptum ex eo, quod teneat Calices,vel Pyxides parum decenter,vel Sacramenta in loco minùs tuto, quorum omnium nihil populo innoteſcit, & quod nequeat cognoſcere ac providere, ne ille incedat perſonatus, ne meretricum domos, vel tabernas cum populi offenſione frequentet. Nam licèt delegata juriſdictio ſit ſtricti juris, ita quod non comprehendat niſi expreſſa in reſcripto, *cap.Cum ſuper de offic. Deleg.* Panorm. *ibid.in princ.*textus *in cap.Cum P. & G. eodem tit.& in cap. Cum dilecta in fin. de reſcript.* tamen hoc non procedit in connexis, & acceſſoriis, *cap.Prudentiam, §.ſexta nobis, & §.ſi verò de offic.& poteſt.Iud.deleg.* Panormit. *ibidem num.2.& 4.* textus *in l.2.ff.de juriſd.omn.Iud.* Panormit. *in cap. Cum olim num.7. de reſcript.* Et hanc limitationem tradunt

Felin.*in cap.Veniens* 2.*de teſtib.num.*16. Panorm.*ibid.nu.* 8. Atque ita elicio ex mente ejuſdem Concilii & Conſtitutionis Gregorii ob rationis identitatem, & cenſuit Sac. Congregatio Concilii die 17. Septembris 1667. in una Faventina, ubi imitata eſt magna Tribunalia, quæ ſolent ac debent potiùs juxta rationem, quam juxta doctrinas judicare, ut rectè adnotarunt Franch. *dec.*30.*nu.* 2.Rot.*dec.*136.*num.*7.*p.*7.cum aliis per Add *ad dec.* 460. *num.*18.*& ſeq. p.* 4. *rec. tom.*2. & per Cevall. *com. contra com.in præf.num.*30. Vnde magna Tribunalia in hoc differunt à Iudicibus inferioribus, quod iſti præcisè judicant juxta acta & probata, & ſecundùm deciſiones & opiniones magis communes. Illa verò ſola facti veritate, etiam ſecundùm conſcientiam inſpecta, Felin. *in cap. Paſtoralis*, §.*Quia verò de offic.D:leg.* Franch.*deciſ.*220.*num.* 5.à Ponte *conſ.*85.*num.*4.*lib.*2. Capyc. Latr.*conſul.*6.*num.* 15.& Gramm. *dec.*62.

3 Hanc tamen doctrinam limitant nonnulli. Primò quod talis juriſdictio intelligatur in iis, quæ fieri contingunt in actu ipſius viſitationis duntaxat, non extra viſitationem, ſicuti aliàs declaravit Sac. Congregatio apud Novar.*in ſum.Bullar.tit.de exempt. privileg.dub.*4. quod repetit Ceſped.*de exempt. Regular.cap.*22.*dubit.*321. *num.* 5. *in* 4.*dub.* & generaliter tradit Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.*74.*nu.*4.*& ad Trid.ſeſſ.*14.*cap.*4.*nu.*1.& D. Fagnan. *in cap. Grave n.*13.*de Offic. Ord.* Secundò, quòd Ordinarius in procedendo, & viſitando exprimere teneatur auctoritatem delegatam, ne aliàs ordinaria proceſſiſſe cenſeatur. Quemadmodum teneri firmat Barboſa *in collect. ad cap.*11.*ſeſſ.*24 *de reform. ſub num.*8.& habetur in Conſtitutione 130. Pii V.8. ac firmat Rota *in d. Toletana* Iuriſdictionis, *& deciſ.*798.*num.*1 *p.*4.*div.* unà cum Conſtitutione Gregorii XV. quæ eſt 18.§.4.D.Fagnan. *n.*32.*de Paroch.*& in *cap.Cum dilectus num.*41. *in fin.de rel.dom.* Tertiò, quod dicta juriſdictio delegata cenſeatur cumulativè, non privativè ad Superiores Religionis, quibus non fuit per Sac. Concilium adempta poteſtas procedendi anteà conceſſa ex privilegio Apoſtolico in ſpecie, Rota coram Pegna *dec.*260. ſecundùm impreſſionem Venetam, & juxta Lugdunenſem 336. & coram Seraphin. *dec.* 1067.*num.*3.refertque Barboſ.*ad cap.n.*2.*ſeſſ.*25.*de Regul. num.*3. *&* 25. Bellarm. *in addit. num.*5. atque habetur expreſsè in eadem Conſtitutione Pii V.§.7.ac tradunt Paſqualig.ad Lauretum *de poteſtat. Epiſcop.in Regnlar.qu.* 1. *num.*117. Ceſped.*de exempt.cap.*16.*dub.*24.*numer.*1. referens Vvameſ.*conſil.*475.*tom.*2.& D Fagnan.*in cap.Quanto, de offic.ord.num.*31.*&* 37.*cum ſeqq.* Quia perſona exempta exercens curam animarum, quoad tale munus aſſumit qualitates, ob quas ſubiicitur Ordinario, in reliquis uti exempta, judicanda eſt, ac proinde uti duplicem repræſentans perſonam eſt tractanda, *cap. Olim, de jud. cap.Ex litteris* 3.*de probat.* Gratian.*diſcept.*398.*nu.*49. Seraphin. *deciſ.*1058. & in terminis in eadem Toletana, §. *Non obſtat.*

4 Sed perperam hæ limitationes adducuntur, Prima enim pugnat cum verbis Conſtitutionis Gregorianæ, ibi: *De eorum exceſſibus criminalibus, & delictis etiam extra Viſitationem, quando & quoties opus fuerit, inquiri, viſitari, puniri, & corripi poſſint.* Quod etiam advertit Sperell.*dec.*21.*num.*79. his verbis: *Et denique Ordinarii, tanquam ejuſdem Sedis Apoſtolicæ Delegati, etiam extra viſitationem corrigere, punire, & coercere valent eorundem Equitum Hieroſolymitanorum Vicarios.* Et firmavit Rota in Toletana Iuriſdictionis 27. Februarii 1662. coram Bevilaqua, ibi: *De eorum exceſſibus criminalibus, & delictis, etiam extra viſitationem.*

6 Novarius verò, & Ceſpedes dicunt id, quod ſupponitur regiſtrando quæſita cum reſponſis. Sed quia in his materiis non defertur atteſtationibus Doctorum, præſertim Regularium, qui Epiſcopis præcipuè ſunt infenſi ſcribentes in cauſa propria, ideòque ipſa decreta authenticè exhibenda ſunt, ut dixit Rota in Sulmonenſi diſtributionum 20. Iunii 1653. & 11. Decembris 1654. coram Bichio. Declarationes enim S.Congregationis quotieſcunque non ſunt in authentica forma, poſſunt reduci ad examen rationis, & acceptari, vel reiici. Quia tunc non conſiderantur, tanquam declarationes Congregationis, ſed ſecundùm quod præ ſe ferunt veritatem. Idcircò videndum eſt in quo caſu, & cum quibus præſuppoſitis illæ prodierint. Interim verò concluſio circa juriſdictionem delegatam Epiſcopi cum Eccleſiis, vel perſonis exemptis in ſolo actu viſitationis rectè procedit in terminis Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *de refor.cap.*4.*& ſeſſ.*24.*de ref.cap.*11. in quibus, vel ſimilibus loquuntur Barboſa, & D Fagnanus jam adducti.

Et quidem irrationabile ac planè abſurdum eſſet, hanc 7
limitationem admittere. Quia cùm viſitatio fieri non ſoleat, niſi ſemel in anno quandoque biennio compleatur, ſi hujuſmodi Vicarii, cæterive curam exercentes poſt abſolutam viſitationem in ſuo munere malè ſe geſſerint, teneretur Epiſcopus expectare tempus novæ viſitationis, ut illos, expulſis erroribus, ad ritè, ac rectè ſua munia obeunda induceret.

Secunda limitatio, quòd ſcilicet Ordinarius teneatur 8
exprimere authoritatem delegatam, licet ſuper ea non ſit inſiſtendum, cum non reſpiciat rei ſubſtantiam, non tamen videtur neceſſaria in delegato à jure, ſed per reſcriptum. Idque non ſolùm, ut evitetur præjudicium exemptorum, ſed etiam, ac præcipuè Delegantis, cujus authoritate procedit juxta regulam *cap.Cum aliquibus, de reſcript.in* 6. Non poteſt enim ultra conceſſa extendere facultatem præſertim contra exemptos, & immediatè ſubjectos Sedi Apoſtolicæ, ut notant Abb. *in cap.*1.*num.* 19.*de re jud.* Io: Andr. *in cap.Scienti in fin.de reg. jur.in* 6.Franch.*ibid.num.*4.Felin.*in cap.Cum olim nu.*3.*de præſcript.* Caſtrenſ.*conſ.*432.*nu.*3.*lib.*1. Rota cum aliis in Vlyſiponenſi Monaſterii 19. Novembris 1625.coram Coccino, quos ſequitur Rota in Gandavenſi Monaſterii 29. Aprilis 1641 coram Panzirolo.

Ea verò, quæ pro tertia limitatione adducuntur, nem- 9
pè, quod hujuſmodi delegata juriſdictio non ſit privativa, ſed cumulativa cum Superiore Religionis, incongruè aptantur. Nam deciſio Pegnæ, & Barboſa loquuntur de viſitatione, & exercitio juriſdictionis adverſus Regulares, curam animarum exercentes, non autem contra Vicarios, ſeu Capellanos Sacerdotes ſæculares. Vlterius deciſio Pegnæ firmat, quod ſi Ordinarius, & Superior regularis non conveniant, tunc decreta Ordinarii ſint executioni demandanda, ut habetur ſub *num.*3. Et hanc deciſionem ſequitur in hac parte Card.Seraphin.*dec.*1067. *nu. item* 3.

Ad ſecundam verò partem dubii, quod attinet, negati- 10
vè reſolvendum videtur, nimirùm, quod Capellanus, ſeu Vicarius hujuſmodi non ſubjaceat Ordinario in quocunque delicto. Nam in illo concurrunt illa tria requiſita in Sac.Concilio Tridentin.*ſ·ſſ.*24. *cap.*11.*de ref.* & in dicta Conſtitutione Gregorii XIII. expreſſa, ſtante quod Vicarius inſervit Eccleſiæ ejuſdem Commendæ, reſideatque in ejus domo Rectorali, & vivit ſub obedientia Magni Magiſtri, & Commendatarii, quibus privativè quoad Ordinarium ſubjectus exiſtit ita, ut ab eis, eorumque Conſervatore dumtaxat puniri poſſit, ac debeat ex Conſtitutione 9. Pii IV. §.35. & 37. confirmata ab aliis Summis Pontificibus. Quod ſæpiùs declaravit Sac.Congregatio, quemadmodum refert Lauretus de Franchis *de contr. inter Epiſcop.& Regular.q.*3 ubi Paſqualig *nu.*115. *&* 118. ac tradit Monet.*de Conſervator.cap.*6.*numer.*49. & fusè *num.*52. *ac ſeqq.* fuitque reſolutum in dicta Toletana juriſdictionis coram Bevilaqua, §.*Quibus non adverſatur.* Quo confirmato, ſupervacaneum eſt examinare doctrinā Marc. Anton.*var.reſol.lib.*1.*cap.*18.*n.*4. qui pro contraria ſententia ſolet allegari. Loquitur enim cum ſuppoſito, quod domus ſit emphyteutica, & non intra ſepta Commendæ, cujus opinio reprobatur à Moneta eo loco.

11 Atque hinc videtur ſtabiliendum, quod extra concernentia curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, Vicarius Commendæ non ſubjaceat Ordinario per citatam Conſtitutionem Pii IV. §. 36. ubi precisè loquitur de presbyteris animarum curam exercentibus. Hæc autem eſt vis exceptionis, de qua in ea Conſtitutione Gregoriana, cùm in non exceptis firmet regulam in contrarium, & ſic exemptionem, de qua in Conſtitutione, ut præclarè omninò Spad. *conſ.* 151. *nu.* 16. *lib.* 1. & Rota *in d. Toletana Iuriſdictionis*. Prout etiam hanc limitatam Iuriſdictionem in concernentibus curam animarum cum geminata dictione taxativa exprimit Conſtitutio 136. Pii V. §. 3. ad quam ſe refert Conſtitutio Gregorii, §. *fin.* & tradunt Moneta loco allegato, & Ricc. *deciſ.* 231. *per tot. p.* 4. ac declaravit Sac. Congregatio Concilii in una Civitatis Plebis hunc in modum.

12 *Infraſcriptam facti ſpeciem narrat D. Epiſcopus Civitatis Plebis, citato Procuratore S. Religionis Hieroſolymitanæ. Petrus Gentilis, Curatus Parochialis Eccleſiæ diœceſis Plebanæ, ac Equiti Hieroſolymitano commendatæ ad Oppidum Caſtilionis del Lago diœceſis Peruſinæ ſe forte contulit, ubi publicè Laurentium de Thoma, Parochianum ſuum pugno impetivit, ejuſque oculum ita alliſit, ut ſanguinem eliceret. Petri nomen inter reos coram D. Epiſcopo Plebano Laurentius retulit. Quibus poſitis, idem Epiſcopus Civitatis Plebis quærit ex hac S. Congregatione, an ipſe poſſit adverſus ipſum Curatum Eccleſiæ Parochialis Hieroſolymitanæ, ut ſupra delinquentem animadvertere?*

*Die 27. Iunii 1665. Sacra Congregatio Eminentiſs. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, non poſſe.*

13 Nec obſtat, quod hujuſmodi Capellanus non vivat ſub obedientia, nec reſideat intra ſepta, etiam ſi habitet in domo parochiali. Quoniam eo ipſo, quod actu inſervit militiæ, & Commendæ in cura animarum, dicitur vivere ſub obedientia Commendatarii, & Religionis, & reſidendo in domo parochiali ſibi aſſignata pro continua habitatione, dicitur reſidere intra ſepta. Nam Sac. Concilium *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 11. admittit reſidentiam in domo. Illa verò obedientia ibidem, & in Gregoriana repetita non poteſt intelligi de obedientia regulari, ratione voti, militante dumtaxat in profeſſis, in quibus non ſunt neceſſaria illa tria requiſita. Satis igitur eſt, quod Capellanus reſideat in domo Eccleſiæ, annexæ Commendæ, illi inſerviat, & quod ſit amovibilis ad nutum Commendatarii, ut verſemur in exceptis à Conſtitutione, aliàs fruſtra privilegium conceſſum eſſet, cum hæc Religio unicum habeat Conventum Melitæ, ac ferè omnes degant extra Monaſterium, & illius ſepta prout utrumque latè comprobat Moneta *d. cap.* 6. *num.* 52. *& ſeqq.* Paſqualig *ad Laur. d. Franch. d. numer.* 118. Abſentia verò Commendatorum eſt per accidens pro neceſſitatibus, ac rebus Religionis, cumque ipſi ſint Ordinarii in ſuo Prioratu, & Commenda juxta diſpoſitionem Pii IV. §. 65. ac deciſionem in dicta Toletana, poſſunt utique ſuam juriſdictionem delegare ſive Locumtenentibus, ſive Conſervatoribus. Quinimò licet demus, quod nullus vices Commendatarii teneret, non propterea Vicarius hujuſmodi ſubiiceretur Ordinario, qui habet remedia, juris juxta caſuum contingentiam, in quibus poteſt exemptos punire. Eos autem refert Cochier. *de juriſdict. exempt. par.* 2. *q.* 45.

14 At nihilominus tenendum eſt, Capellanum, ſive Vicarium hujuſmodi in quocumque delicto ſubeſſe Ordinario. Quia Ordinarius in his cauſis habet de jure fundatam intentionem, Rota *deciſ.* 78. *num.* 1. *&* 2. ac tota *p.* 1. *div.* abſque eo, quod ipſi fuerit præjudicatum per Sac. Concilium Tridentinum *dict. ſeſſ.* 24. *cap.* 11. & Conſtitutionem 67. Gregorii XIII. §. *Idcircò*, quoties tamen non concurrant cumulativè tria requiſita neceſſaria pro exemptione. Quod ſcilicet actuali ſervitio Eccleſiæ, ſeu alterius loci Militum addictus ſit. Intra illorum ſepta, & domos reſideat. Subque eorum obedientia vivat. Id quod advertit Rota in dicta Toletana eo §. *Quibus non adverſatur.* In præſenti autem deficiunt duo poſteriora, vel ſaltem ultimum. Nam Vicarius ſæcularis hujuſmodi non vivit ſub obedientia Equitis Commendatarii, à quo poſſit corrigi, & viſitari, dum iſte in longinqua regione commoratur, & proinde ſubjacere debet juriſdictioni delegatæ ordinarii, Paſſerin. *de homin. ſtat. d. q.* 189. *art.* 8. *ſub nu.* 492. *tom.* 3.

Rurſus cum præfatus Capellanus non ſit profeſſus, in 15
Militia Hieroſolymitana eſſe non poteſt ſub obedientia Comm. ndatarii Cocchier. *de juriſd. in exempt. p.* 1. *qu.* 30. *num.* 7. Prout minus dici poteſt ſub illius obedientia ratione muneris, ex quo cura animarum nec actu, neque habitu exiſtere poteſt penes Commendatarium, uti nullum habentem ordinem ſacrum. In defectum autem hujuſmodi particularis ſubjectionis firma remanet regula pro Ordinario, Rota citata *dec.* 78. *n.* 1. *&* 2. *p.* 1. *div.*

Nec ſuffragatur, quod Vicarius, ſeu Capellanus poſ- 16
ſit à Commendatario removeri, adeout ex hoc capite dici poſſit ſub illius obedientia. Quia Sac. Conſilium, & Gregorius loquuntur de vera obedientia, principaliter conſiſtente in judicio ſubeundo, ut advertit Brun. *de ſedit. cap.* 4. *num.* 5. & faciunt, quæ tradit Paſſerin. loco allegato. Cùm enim verba Concilii, & Conſtitutionum ſint verba legis, intelligi debent in propria, & potiori ſignificatione, & ſic de obedientia in genere, non in ſpecie.

Sicuti etiam prætendi non poteſt, quod dictus Vica- 17
rius, ſeu Capellanus reſideat intra Militum ſepta, quamvis habitet in domo parochiali Commendæ. Quia verba Sac. Concili, & Gregorii, ibi: *Intra eorum ſepta, & domos reſident*, intelligenda ſunt, ut domus ſit intra ſepta, id eſt intrà clauſuram Eccleſiæ vel Commendæ, in qua reperiatur Commendatarius, ſub cujus obedientia ipſi vivant, Mar. Antonius *var. reſol. lib.* 1. *reſ.* 18. *n.* 4. Paſſerin. ibidem eo *num.* 492.

Et ceſſat difficultas. Nam dato intellectu contrario, 18
hujuſmodi Vicarius non poſſet ab aliquo puniri. Non quidem ab Ordinario. Minus autem à Commendatore non habente aliquam juriſdictionem in presbyteros ſæculares, ut probavimus *tom.* 1.

Declaratio verò Sac Congregationis in Civitate Ple- 19
bis minus commodè affertur. In illo enim eventu Vicarius deliquerat extra diœceſim Civitatis Plebis, & proinde mirum non eſt, ſi Sac Congregatio cenſuit, Ordinarium illum non potuiſſe procedere, & fortè concurrebant conditiones pro exemptione à Tridentino, & à Gregoriana requiſitæ. Illa vera, & apta reſolutio eſt, quæ in favorem Ordinarii extat in una Tranenſi ſequentis tenoris; *Archiepiſcopus poteſt, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus ex h c decreto cap.* 11. *ſeſſ.* 24. *de refor. & ex ordine Gregorii XIII. procedere in criminalibus, & morum correctione contra inſervientes, & Clericos Militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani in Eccleſia S. Sepulchri dictæ diœceſis.* Ita referunt reſolutum Leo *in Theſaur. for. Eccleſ. par.* 2. *cap.* 18. *num.* 106. & Moneta *de Conſervat. cap* 6. *num.* 52. & praxis confirmat.

Quod autem Religio Hieroſolymitana non habeat, 20
niſi ſolum Conventum in Inſula Melitæ, in quo reſidet Magnus Magiſter nullius eſt momenti. Quoniam S. Concilium, & Conſtitutio Gregoriana conſultò non loquuntur de Conventu, ſed de domibus, & ſeptis cum copula conjunctiva, & cum verbo *Reſidere* intra Prioratus Bajulivatus. Quippè Commendæ habent ſua ſepta, in quibus inſtar Conventus more clauſtrali vivitur. Et quoad Paſqualigum ad Lauret. *quæſt.* 3. *num.* 118. adverto æquivocationem. Nam ibi agitur de poteſtate, quæ tribuitur Ordinariis puniendi Regulares profeſ-

profeſſos degentes extra clauſtra, & licèt non procedat quoad Milites Hieroſolymitanos, quorum mos eſt vivendi extra clauſtra, & in privatis domibus, aliud tamen eſt de ipſis Militibus, aliud de presbyteris ſæcularibus, illis inſervientibus, de quibus ibi non agitur.

Atque ideò S. Congregatio Concilii die 17. Septembris 1667. in eadem Faventina cenſuit pro utroque caſu *Capellanum, ſive Vicarium hujuſmodi ſubeſſe Ordinario quoad curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, etiam circa ea, quæ Curatus committeret, unde ſcandalum oriri, & cauſari populo poſſit, & hoc tam in viſitatione, quàm extra, eundem Capellanum non habere tertium requiſitum, nempè quod vivat ſub obedientia; ideòque etiam in aliis cauſis indifferentibus ſubeſſe Ordinario*, quod eſt decretum antiquum in eadem Faventina ſub die 28. Aprilis 1586 in quo ita habetur: *Capellani ſæculares qui exercent curam animarum in Eccleſiis Commendarum Equitum Hieroſolymitanorum, ſi non ſunt ex iis qui militiæ Hieroſolymitanæ actu deſerviunt, intra ejus ſepta, ac domos reſident, ſubque militum eorum obedientia vivunt, ſive ex iis, qui ſecundum ejuſdem Religionis regulam profeſſionem fecerint in omnibus perinde ac Parochi Epiſcopo ſubjacent.*

## CONSVLTATIO XXII.

*An Miniſtri ſervientes adſcripti, Procuratores, & familiares qui habitant in Civitate extra domum Commendæ Religionis Hieroſolymitanæ, ſubjaceant juriſdictioni Ordinarii tam in civilibus, quàm in criminalibus, & mixtis vigore Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 11. de refor. & Conſtitutionis 67. Gregorii XIII. § Idcircò?*

1 CErtum eſt, ſubjacere juriſdictioni Ordinarii, tamquam Delegati Apoſtolici. Quia non habent cumulativè tria illa requiſita, quæ à Tridentino, & à Gregorio locis allegatis deſiderantur, quorum duo abſque dubio in hac ſpecie deficiunt. Nam habitant in Civitate extra domum Commendæ, nec vivunt ſub obedientia Commendatarii. Et tamen ad hoc, ut non intret exemptio, defectus unius ex dictis requiſitis ſufficit, Rot. in Toletana Iuriſdictionis 27. Ianuarii 1662. §. *Quibus non adverſatur*, coram Bevilaqua.

2 Neque obſtat, quòd in hujuſmodi familiares, atque inſervientes non poſſit Ordinarius authoritate delegata procedere, niſi cumulativè, non privativè quoad Superiores Religionis, qui procedere poſſunt, ſicuti poterant ex Conſtitutione 9. Pii IV. §. 35 & 57. antequam dicta Iuriſdictio delegaretur Ordinariis ex dicta Conſtitutione Gregorii, ut pleniſſimè Rota coram Pegna *deciſ.* 26. & Ceſped. *exempt. Regular. cap.* 6. *dub.* 233.

3 Nam objectio forſan procederet in viventibus ſub obedientia Superioris regularis, non autem in Sacerdote ſæculari, non ſubdito Equiti Commendatori. Item procederet in caſu, in quo Superior regularis non conveniret cum Ordinario. Tunc enim iſtius decreta deberent executioni demandari juxta citatam deciſionem Pegnæ quam ſequutus eſt Seraph *deciſ.* 1067. *n.* 3. Et ita cenſuit S. Congregatio Concilii die 17. Septembris 1667. in Faventina Iuriſdictionis.

## CONSVLTATIO XXIII.

*An Coloni, aliique habitantes in domibus ruralibus Commendæ Hieroſolymitanæ, ſi deliquerint, poſſint ab Ordinario puniri?*

1 NEgativè videtur reſolvendum ex adductis pro Capellano amovibili, cùm in hujuſmodi perſonis, tamquam habitantibus in domibus Commendæ, concurrant illa tria requiſita. Nam præſtant obedientiam Commendatario, inſerviunt Religioni, & Commendæ, colendo ejus villas exemptas & reſident in illarum domibus. Et proinde gaudet exemptione ſpeciatim conceſſa colonis, aliiſque habitantibus in domibus Commendæ a Pio IV. in Conſtitutione 9. §. 51 & 63. Aliàs nimis reſtringeretur dictum privilegium ut advertit Lauret. de Franch *q.* 3. ubi Paſqualig. *n.* 118. ac tradit Monet. *de Conſervat. c.* 6. *num.* 59. & reſolvit Rota in Toletana Iuriſdictionis coram Bevilaqua, §. *Quibus non adverſatur.*

Quidquid eſſet dicendum de illis colonis, qui non eſſent omni ex parte addicti ſervitio Commendæ, quorum 2 reſpectu procedere poteſt Conſtitutio 67. Gregorii XIII. §. *Idcircò*. Parificantur enim in eadem Conſtitutione Vicarii, Capellani, Miniſtri ſervientes, & Coloni, ac generaliter excipiuntur ii, qui Eccleſiis, iiſque locis Militum dictæ Religionis actu inſerviunt, & intra eorum ſepta, & domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt. Vnde, ne iſta exceptio reſpectu colonorum ſit ſuperflua, comprobari neceſſario debet in illis, qui degunt in domibus ruralibus, & in totum addicti ſunt ſervitio Commendæ, ac Religionis, quodque juriſdictio ſupra colonos, & alios miniſtros intelligenda eſt cum exceptione, ac limitatione, de qua in Conſtitutione Gregorii, ut diſſerit Sperellus *deciſ.* 21. *num.* 79. Et preciſè, quod exceptio ſupra dicta firmat regulam, & operatur, ut præſervata maneat exemptio Colonorum actu Commendis inſervientium, ut firmavit Rota in citata Toletana Iuriſdictionis 27. Ianuarii 1662.

Verùm affirmativè reſpondendum eſt. Quia iſti in Conſtitutione Gregoriana ſimul cum aliis miniſtris ſervientibus, & adſcriptis declarantur ſubjecti juriſdictioni Ordinarii in ſpecie quoad delicta, & exceſſus, de quibus nunc agimus abſque eo, quod ipſis convenire poſſit limitatio ibidem adjecta ſub illis verbis: *Exceptis tamen iis, qui Eccleſiis aliiſque locis dictorum Militum actu ſerviunt, & intra eorum ſepta, & domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt.* Conſiderandum enim eſt, quod coloni non vivunt ſub obedientia, nec reſident intra ſepta, nempè intra Clauſuram, minuſve inſerviunt Eccleſiis, vel aliis locis Militum. Quibus requiſitis deficientibus, vel altero illorum, illæſa remanet juriſdictio Ordinarii, tanquam Delegati Apoſtolici.

Quare nulla iis convenit limitatio, cùm dici non poſ- 3
ſit, quod vivant ſub obedientia Commendatarii. Alioquin omnes coloni Regularium eſſent exempti, ſi ſubſiſteret, quod vivant ſub obedientia Superiorum regularium; & tamen obſervantia contrarium oſtendit.

Rota verò in dicta Toletana Iuriſdictionis eo §. *Qui-* 4
*bus non adverſatur*, nobis certè non adverſatur. Nam ſolummodo firmat, quod, concurrentibus tribus requiſitis enunciatis, tam per S. Concilium Tridentinum, quàm per Conſtitutionem Gregorianam, non intrat juriſdictio delegata Ordinarii; ſed non dicit, quod coloni habeant præfata requiſita. Illud præterea hac in re ponderandum eſt, quod hujuſmodi coloni eſſent immunes à delictis, atque adeò non poſſent ab aliquo puniri, ſi diebus feſtis laborarent, vel etiam delinquerent in matrimonii Sacramentum, vel alias eſſent ſcandaloſi. Quod ſanè admitti non poteſt. Eatenus enim non profeſſi jure profeſſorum gaudere cenſendi ſunt, quatenus more profeſſorum vivunt in ſeptis, ut etiam firmat Mar. Ant. *var. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 4. graviſſimus Auctor, verſatus in foro Eccleſiaſtico, quem ſequitur Paſſerinus *de homin. ſtat. tom.* 3. *quæſt.* 189 *num.* 492. Ideoque ejus authoritas prævalere debet authoritati Monetæ, viro clauſtrali, rerumque forenſium imperito. Quod ſi juvat Regulares Auctores referre, videatur Nicolius in floſculis *verb. Hieroſolymitani num.* 6. ubi tradit reſolutum, quod Clerici, presbyteri, vel alii miniſtri delinquentes, qui actu ſerviunt Eccleſiis Hieroſolymitanis, puniuntur ab Ordinario juxta Conſtitutionem 67. Gregorii XIII. *Circumſpecta*, & Concilium Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. modò non vivant intra clauſtra ſubjecti obedientiæ dictorum Militum copulativæ. Itaque fatendum eſt, quod ſubjaceant juriſdictioni Ordinarii ex quo non vivunt intra clauſtra ſub obedientia Superioris Religionis, ſed reſident intra ſepta, & domos Commendæ. Quod etiam reſolvit S. Con-

Congregatio Concilii die 17. Septembris 1667. in Faventina Jurisdictionis nempè *hujuſmodi Colonos, ac alios habitantes in domibus ruralibus Commendæ ſubeſſe Ordinario in iis, quæ ad forum Eccleſiaſticum ſpectant.*

## CONSVLTATIO XXIV.

*An Conſervator, qui eſt presbyter ſæcularis diœceſanus habitans in domo propria, in cauſis propriis, tam civilibus, quam criminalibus, ſeu mixtis ſubjaceat Ordinario?*

1 RESolvendum videtur negativè. Ipſe namque dicitur Delegatus Apoſtolicus, *cap.* 1. *& fin. de offic. Delegat. in 6.* & plenam habet juriſdictionem ſibi conceſſam in Conſtitutione 9. Pii §. 41. *&* 60. eſtque Iudex Ordinarius, tanquam delegatus ad univerſalitatem cauſarum, Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *diſput.* 17. *quæſt.* 1. *nu.* 3. Lezan. *quæſt. reg. cap.* 10. *num.* 25. *tom.* 2. Minimè attenta diſpoſitione Sac. Concilii Trident. loquente ſolùm de meris Conſervatoribus juxta *text. in cap.* 1. *& fin. de offic. Deleg. in 6.* Qua de re eſt plena *deciſio* 239. coram Vbaldo repetita 1. *p. rec. deciſ.* 616. & in Colonien. Juriſdictionis 3. Maii 1646. coram Cardinali Corrado. Ideòq; nec in civilibus, neque in criminalibus remanet ſubjectus Ordinario, ſed Summo Pontifici à quo juriſdictionem habet, itaut nec ab Ordinario, neque ab aliis Legatis à latere poſſit impediri pluribus allegatis firmat Cocchier. *de juriſdict. Ordin. in exemptos p.* 1. *quæſt.* 39. *num.* 17. Idque nedum quia uti Delegatus Apoſtolicus eſt major quocumque Ordinario, *cap. Sanè* 2. *de offic. Deleg. cap. Paſtoralis, § Præterea, de offic. Ordin.* Anchar. *conſil.* 132. *nu.* 22. *& ſeqq.* Minor enim nullum in majorem habet imperium, *l. Nam magiſtratus* 4. *ff. de arbitr. cap. Innotuit, de elect.* Sed quia ipſe quoque remanet exemptus ex dicta Conſtitutione Pii, §. 60. Id quod recenſet Monet. *de Conſervat. cap.* 6. *numer.* 60. & Cochier. *eod. tract. p.* 2. *qu.* 11. *nu.* 2. Aliàs ſemper Ordinarius impediret eidem exercitium juriſdictionis ratione timoris, & ſubjectionis. Indeque fit, ut ipſi Ordinario præcipere ac inhibere poſſit, eumque coercere pœnis cenſurarum, etiam excommunicationis, Lezan. *ibidem à num.* 34. Cochier. loco citato, & Moneta *num.* 161. Prout etiam ratione dignitatis, ſi controverſia ſit de juriſdictione inter Conſervatorem, & Ordinarium, ad Conſervatorem ſpectat cognoſcere, Cochier. ubi ſupra *n.* 5.

2 Porrò duæ ſunt ſpecies Conſervatorum. Vna ſimpliciter ad tuendum juxta diſpoſitionem juris *in cap.* 1. *& fin. de offic. Delegat.* Altera ex privilegiis cum ordinaria juriſdictione. Religio autem Hieroſolymitana hoc privilegium habet ex Conſtitutione Pii IV. §. 41. *&* 60. ibi: *Et quamcumque juriſdictionem exercere, nec non ſententias, cenſuras, & pœnas, &c.* Qui ſanè Conſervatores, tanquam Delegati ad univerſitatem cauſarum, dicuntur Ordinarii.

3 Hinc facilè eſt intelligere reſolutionem Sac. Congregationis Concilii verborum involucro ſuboſcuram, quæ emanavit inſtante Magno Magiſtro poſt Conſtitutionem Gregorii XV. ſuper revocatione Conſervatorum, quæ eſt 9. inter ejus impreſſas *in Bullar. tom.* 3. Eam enim reſolutionem loqui cum diſtinctione aſſeverat Sperell. *deciſ.* 21. *num.* 59. *in fin.* ut ſcilicet Conſtitutio non afficiat *S. Religionem Hieroſolymitanam, niſi quoad judices Conſervatores: Et eidem Religioni adhuc jus hujuſmodi Conſervatores eligendi competere*, ut ſcilicet in priori parte intelligatur de Conſervatoribus primæ ſpeciei, in poſteriori autem ſecundæ. Vnde Barboſ. *ſuper Concil. ſeſſ.* 14 *cap.* 5. *num.* 6. *& ſeqq.* eandem declarationem intelligit in poſteriori parte de Iudicibus Ordinariis, hoc eſt Conſervatoribus, quibus potuiſſet præjudicare Conſtitutio, cùm aliàs Iudices ordinarii Bajulivi, & Commendatarii in hac Religione, de quibus Conſtitutio ne verbum quidem facit. In hoc ſenſu concordat *quæſt. regul. tom.* 2. *cap.* 5. *numero* 52. *in fin.* Ex quo ſequitur neceſſaria exemptio Conſervatoris à juriſdictione ordinaria, cùm ſit ipſe etiam Ordinarius exemptorum, atque adeò nonniſi Superiori, hoc eſt Papæ ſubiiciatur.

4 Tenendum tamen eſt, Conſervatorem hujuſmodi ſubjacere Ordinario. Quia neque in jure, neque in Conſtitutionibus Apoſtolicis reperitur, quod Conſervator presbyter ſæcularis ſit exemptus à juriſdictione Ordinarii, ac proinde coram eo, & ab eo conveniri, ac puniri poteſt, etiamſi delinquat in officio. Ita Farinacius *in fragm. crim. p.* 2. *lit. I. numer.* 973. *& ſeqq. ac num.* 977. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 106. *p.* 3. *numer.* 37. *poſt med.* & in terminis Conſervatorum Ceſped. *de exempt. Regular. dub.* 403. *nu.* 1. *& ſeqq.*

5 Non obſtat, quod ſit Delegatus, atque adeò major Ordinario. Primò, quia Ordinarius ipſe in hoc eſt etiam Delegatus. Deinde quia id procederet in cauſa ſibi delegata, non autem in non concernente ipſam delegationem.

6 Minus obſtat, quod ſit Conſervator ex privilegio Pii Quarti. Quia illud fuit ſublatum per Conſtitutionem 9. Gregorii XV quæ comprehendit etiam Equites Hieroſolymitanos quoad ipſos Conſervatores, ut pluries reſolvit Sacra Congregatio Concilii *ad ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de reform.* præſertim in una Melitenſi die 6. Februarii 1627. quam eo loco refert Barboſa *num.* 6. In ea enim declaratur, Conſtitutionem Gregorii non afficere Religionem Hieroſolymitanam, niſi quoad Conſervatores. Quod poſtea Vrbanus VIII. confirmavit Conſtitutione ſua 78. quæ incipit *Exponi nobis.*

7 Et licet ſecundum aliquos Conſervator ex privilegio habeat juriſdictionem ordinariam, & judicet omnes cauſas exemptorum in prima inſtantia, ſi conveniantur, & non ipſi alios conveniant, ut ait Molina *p.* 5. *diſputat.* 29. *numer.* 1. vel ſaltem contineantur nomine Iudicum ordinariorum, quia quoad modum procedendi illis aſſimilatur, propriè tamen eſt delegatus, Navarrus *conſil.* 3. *de offic. delegat.* & hanc limitationem tenent Molina ibidem *nu.* 7. Quarant. *verſ. Privilegia §. Has declarationes* Navarrus *cap.* 27. *num.* 125. Suarez *diſputat.* 23. *ſect.* 4. *n.* 10. *de cenſur.* Filliucius *tractat.* 14. *numer.* 18. Monet. *de Conſervat. cap.* 7. *num.* 587. Bonacina. *de cenſur. in partic. diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 35. *num.* 2. Cochier. *de Conſervat. p.* 2. *quæſt.* 22. *num.* 2.

8 Pariter ea, quæ pro juriſdictione Conſervatoris in Epiſcopum nimis ambitioſè dicta ſunt, non habent amplius locum. Nam in allegata Conſtitutione Gregorii XV. ſtatuitur, ut controverſia orta inter Conſervatores, & Ordinarios de juriſdictione definiatur per arbitros in forma juris *cap. Cum ſpeciali* 61. *de apellat.* electos, & interim ſuperſedeatur ſuper cauſa principali. In quo Pontifex ſe conformavit Tridentini decreto *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de reform.* Ita quidem, ut hodie Conſervatores, ſi excedant limites ſuæ juriſdictionis in præjudicium juriſdictionis Diœceſani, ſeu Ordinarii loci, incurrant in excommunicationem latam in Bullam Cœnæ Domini contra uſurpantes juriſdictionem Eccleſiaſticam Ordinariorum. Qua de re vide Barboſam *in cap. Si Clericus laicum numer.* 2. *de judic.* & Doctores ſuper *cap.* 17. *d. Bulla Cœna.* Poterit autem in tali caſu declarari, incurriſſe eam excommunicationem ab ipſo Ordinario loci, quem taliter offendit.

Et ita cenſuit ac declaravit Sacra Congregatio Concilii die 17. Septembris 1667. in una Faventina juriſdictionis nimirum hujuſmodi Conſervatorem ſubeſſe Ordinario.

## CONSVLTATIO XXV.

*An Conſervator valeat tribunal erigere, & aſſumere miniſtros, utpotè Promotorem fiſcalem, Notarium, & alios Officiales*

*Officiales; ſi. potius uti debeat Officialibus Curiæ Epiſcopalis?*

1 DIcendum videtur, quod Conſervatores Religionis Hieroſolymitanæ ſunt Iudices Delegati, habentes omnimodam juriſdictionem, ut in privilegio Pii Quarti §.41.& 60.quod non militat in aliis Conſervatoribus Regularium. Itaut cognoſcant etiam de cauſis criminalibus, & civilibus requirentibus judicialem indaginem, Monet. *de Conſervat.cap.6.numer.35.in fin.& cap.7.num.*267.Rota *dec.606.p.1.rec.* & propterea licet Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.14.de reformat.cap.5.*decernat, non licere Conſervatoribus Iudicibus ullum habere tribunal erectum id tamen intelligitur, ut nempè non habeant tribunal proprium, & fixum, at minimè impeditur, quo minùs poſſint in aliquo loco honeſto erigere ſibi tribunal, & in eo judiciales actus exercere, ut declarat Monet. *cap.8.numer.213.& ſeqq.*ac diſtinguendo inter Conſervatores juris ſcripti,& alios habentes ampliſſimam juriſdictionem ex privilegio, prout iſti Religionis Hieroſolymitanæ, optimè tradit Cochier.*de Conſervat. par.2. quæſt.1.numer.*7.ibi: *Illa* ſcilicet Ceoſervatoria juris ſcripti *non habet tribunal erectum. Quia Iudicis officio non fungitur,ſed defendit tantùm ab injuriis,atq;moleſtiis manifeſtis.Hæc autẽ* (nempè Conſervatoria moderna) *habet tribunal erectũ.* Et ſubdit *n.*8. quod Conſervatoriæ juris ſcripti plurimum derogavit Sacr.Concilium Tridentinũ, at verò hodiernis non ita. Quod alibi repetit, quicquid ſit, an poſſit erigere tribunal ex Sacro Concilio Trident. *ſeſſ.14.de reform. cap.5.* poteſt tamen actus judiclales, & ſententias proferre in domo ſua, vel alio honeſto loco ſibi beneviſo, non tamen in Tribunal Epiſcopi, ut inquit Monet. eo loco *cap.8.n.213.& ſeq.*

2 Atque hinc ſequitur, quod poteſt aſſumere Procuratorem fiſcalem, Notarios, & officiales, ut alius Delegatus Apoſtolicus facere poteſt per texum *in cap.Statutum, §.Notarium, de reſcript. in 6.* Ita quod non cogatur recipere Notarios, & officiales Epiſcopales,ut in terminis Peyrin.*de Prælat.regular.cap.20. num.3.* & Novar. *in Sum.Bullar.ad Bull.* Gregorii XV.*de Conſerv.num.16.& ſeq. in 2.edit.fol.*104.

3 Nec obſtat dict. Conſtitutio Gregorii XV.*de Conſervatorib.* Quia non afficit Religionem Hieroſolymitanam juxta reſolutionem confirmatam ab Vrbano VIII. Conſtitut.78.*tom.*4.Bullar.quam refert Barboſ.*ad collect. Concil.ſeſſ.14. de reformat.cap.5.ſub numer.6.* & adducit Sperell.*deciſ.21.num.59.in fin.*ac Lezan.*quæſt.regul.tom.2. cap.5.num.52.in fin.* Conſervatores enim hujus Religionis habent omnimodam juriſdictionem civilem,& criminalem,tanquam alii Iudices ex dicto privilegio Pii Quarti. Proindeque ſunt ibidem exempti ab Ordinario, & omnia poſſunt, ut alii Iudices delegati.

4 Attamen reſolvendum eſt quoad erectionem Tribunalis negativè, attenta clara diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini dicta *ſeſſ.14. cap.5. de reformat.* ibi: *Non liceat quoque Conſervatoribus Iudicibus ullum habere tribunal erectum,* necnon inſpecta Conſtitutione 9. Gregorii XV. quæ quoad Conſervatores comprehendit etiam Milites Hieroſolymitanos ad eundem locum Concilii *num.*6. Quod autem habere tribunal erectum ſit proprium Iudicis Ordinarii ad effectum, de quo agitur Monet.*de Conſerv.cap.8.n.*212.

5 Excluſa itaque facultate erigendi Tribunal, ſequitur, quod Conſervator uti debeat Notario, & officialibus Curiæ Epiſcopalis, ut reſolvit Sac. Congregatio Epiſcoporum & Regul. in Vicentina die 10. Ianuarii 1605. & aliis allegatis tradit Gavant. *in Manual. Epiſcop.v.Conſervatores, numer.17.19.&* 33. Eſtque id, quod ſpectat ad ſecundam partem dubii. Vtramque autem refert deciſam Nicolius *pag. 2. lucubr. lib.1. titul.* 29.§.8. his verbis: *Non licet Conſervatoribus Iudicibus ullum habere tribunal erectum, ſed debent uti Notariis, & Cancellariis Epiſcopalibus ſub pœna Regularibus privationis vocis activæ, & paſſivæ præter nullitatem,* Tridentinum ibidem Gregorii XV. Conſtitut.9. Sacra Congregat Epiſcopor. 1605. 10. Ianuarii.

6 Quod verò ad Conſtitutionem Gregorii XV. illa prodiit ad coercendam potius, quam ad ampliandam Conſervatorum poteſtatem. Ideoque licet *in §.9.* potius præſuppoſitivè, quàm diſpoſitivè aliquam illis concedere videatur juriſdictionem cognoſcendi cauſas, in quibus Regulares ſunt rei; non tamen inferri poteſt, voluiſſe derogare expreſſæ diſpoſitioni Conciliari, ac tribuere facultatem habendi formale tribunal erectum, cùm iſtæ cauſæ ſint ratæ, atque adeò quando occaſio ſe præbet, poterint aſſumere partes Iudicis abſque eo, quod habeant tribunal erectum. Vnde Gemin. *in cap.fin.de offic. Delegat. in 6.& cap.1.ibidem* dicit, poteſtatem datam aliquem defendendi, neceſſariò non includere conceſſionem poteſtatis defendendi cum indagine judiciali, ſive in judicio. Idem docet Anton.Cucch.*Inſtitut.jur.canon.lib.1.tit.* 15.Quare ab Anchar.*in dict.cap.1.de offic.Delegat.*Conſervator definitur, Iudex datus ad tuendum aliquos contra manifeſtas injurias omnes, vel certas, judiciali non utens indagine. Vnde patet, Conſervatorum officium in hoc conſiſtere, ut illos, quibus ſunt deputati defendant à manifeſtis injuriis. Text. & Gloſſ. *in dict. cap.* 1. Sed quid ſi injuria non ſit manifeſta, ſed plenam cauſæ cognitionem requirat, utrum Conſervator poſſit ſe ingerere? Reſpondet Gloſſa *ibidem* quod non, ſed pro hoc recurrendum eſſe ad Ordinarium. De jure igitur Conſervatoribus non plus tribuitur, quàm nuda defenſio à manifeſtis, ſeu notoriis injuriis, nihil verò in illis, quæ aliquam judicialem indaginem, ſeu cognitionem exigunt; adeò ut qualitas facti, num ſcilicet juſtè, vel injuſtè quid fiat, ut & alia omnia, quæ obſcura, vel ambigua ſunt, ad Ordinarii Iudicis diſquiſitionem pertineant, & Conſervatores ab ejuſmodi cognitione mandatis pœnalibus puta ſuſpenſione ab officio,& condemnatione in expenſas, arceantur per text. *in d cap.1.& cap. ult.de offic. Delegat.* Quod tamen ibidem Gloſſa limitat, niſi in privilegiis eorum, quibus dati ſunt Conſervatores, aliud diceretur.

7 Conſtitutio verò Vrbani VIII nil aliud continet, niſi confirmationem cujuſdam decreti S. Congregationis Concilii, per quod dicitur, dictam Conſtitutionem non afficere Religionem Hieroſolymitanam, niſi quoad Conſervatores. Ergo quoad iſtos Conſtitutio afficit, ac proinde remanet incorrectum quoad hanc partem Sac. Concilium Tridentinum, circa quod non licet ponderare Conſtitutionem Pii Quarti, quoniam eſt anterior Concilio quatuor annis. Et quoad ipſius Conſervatoris exemptionem ea procedit in concernentibus ipſam Conſervatoriam, & exercitium ipſius delegatæ juriſdictionis. In quibus terminis loquuntur allegati pro contraria ſententia. At nihilominus S. Congregatio Concilii in ſæpiùs adducta Faventina juriſdictionis cenſuit, *quoad Notarium, Conſervatores hujuſmodi poſſe ad ſui libitum eum aſſumere.* Quia illorum intereſt habere Notarium ſibi cognitum, benevolum', ac confidentem pro omnibus ſuis cauſis. Reſolutiones verò S. Congregationis in contrarium adductæ in ſuis caſibus particularibus, ac cum ſuis circumſtantiis conſiderandæ ſunt.

## CONSULTATIO XXVI.

*An Epiſcopus poſſit, uti Sedis Apoſtolicæ Delegatus, viſitare Eccleſiam Parochialem Commendæ Hieroſolymitanæ, etiamſi prætendatur, quod ſit nullius diœceſis, & in territorio ſeparato cum juriſdictione quaſi Epiſcopali, & in viſitatione decreta edere in concernentibus curam animarum, adminiſtrationem Sacramentorum, executionem onerum Miſſarum ex piis diſpoſitionibus provenientium?*

Videtur

1 VIdetur reſpondendum, non poſſe neque ſua juriſdictione Ordinaria, neque delegata. Non quidem Ordinaria, quia dum dicta Eccleſia non eſt in ejus diœceſi, ſed nullius, nullam in illa habere poteſt juriſdictionem. Nam ſine territorio juriſdictio conſiſtere nequit, Gail. *lib.2.obſervat.62.num.9* Sperell. *deciſ.*104.*num.*15.*&* 52.& Rot. *deciſ.*310.*num.*18.*p.6.rec.* Hinc eſt, quod res in territorio ſitæ, ejus eſſe præſumantur, cujus eſt territorium, ſaltem quoad juriſdictionem, donec contrarium probetur. Quia Juriſdictio ſolo cohæret, Bald. *in l. A. procuratore in princip.C.de mandat.* Et ſic dominus territorii habet pro ſe, & juris præſumptione, intentionem ſuam fundatam, quæ juris præſumptio reiicit probationem contrarii in adverſarium, ut videlicet probet libertatem, & exemptionem juriſdictionis per text. *in cap. fin.*§.1.*de offic. Archidiac.*text.*in cap.Cum perſonæ de privileg.libr.6.*& in cap. *Cum Epiſcopus de offic. Ordin. eodem lib.* Gloſſ.*ibid.v.Habere*, & textus *in cap.Cum olim, de præſcript.* Eſtque textus notabilis *in l.non eſt veriſimile, ff.de his, quæ vi met.cauſ.*Gloſſ.*ibidem v.Præſumptioni*, textus *in l.Æde ſacra,*§.1.*ff.de contr.empt.* Bald. *ad rubr.C.eodem tit.num.*24. Iaſ.*in l.*3.*numer.*32.*ff.de acquir. poſſeſſ. & in prælud. feud. numer.* 52. Traduntque Felin. *in cap. Si diligenti numer.* 2. *de præſcript.* Dec. *conſ.* 522. *num.*2. *&* 9. Natt. *conſil.*601. *num.*31.*volum.*2.*& conſil.* 506.*nu.*31.*eod.vol.*Roland *conſil.*46. *n.* 35. *&* 50. *vol.*3.

2 Quod præſertim comprobatur; ſi Epiſcopi, quando viſitaverint, id fecerint, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati. Hoc indicat, juriſdictionem Ordinariam eos non habere. Iudex namque delegatus nil proprii habet, ſed ejus, qui mandavit, utitur juriſdictione, *l.* 1. §. *Qui mandatum, ff.de offic.ejus, cui mand. eſt juriſd.* ibi: *Qui mandatam juriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed ejus, qui mandavit juriſdictione utitur, l.traditio, ff.de acquir.rer.dom.*text. *in cap. Ut officium init.de hæret. in 6.*Anſald.*de juriſd.par.*2.*tit.*11,*cap.*30.*nu.* 35.*cum ſeqq.*

3 Non delegata. Quia licet Epiſcopus vicinior ex diſpoſitione Concilii Tridentini, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus viſitare poſſit, etiam Eccleſias nullius diœceſis, & quovis modo exemptas, hoc tamen non procedit, quando, præter exemptionem, Ordinarius loci habet juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum territorio ſeparato. Tunc enim Epiſcopus viſitare non poteſt, ut diſertè aſſerit Gratian. *diſcept. forenſ.*212.*nu.*30.*cum ſeqq.* ac firmavit Rot. *deciſ.*207.*num.*5.*p.*2.*deciſ.*798.*per tot.p.*4. *div.* & coram Mar. Andrea *deciſ.*54. *num.*5. & in Montis Caſſinen. Iuriſdictionis 27. Maii 1651.§.*fin.*coram Bichio. Ratio eſt. Quia Territorium eſt propria diœceſis, & Epiſcopus in hoc caſu non eſt Ordinarius, cùm viſitatio pendeat ab ordinaria juriſdictione, Gratian. *diſcept.num.* 39. *& ſeqq.*

4 Neque obſtat, quod ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ.*23. *cap.* 15. nullus Sacerdos ſive ſæcularis, ſive regularis poſſit audire confeſſiones ſine licentia Epiſcopi. Nam hæc regula limitatur in presbyteris, qui ſunt nullius diœceſis. Quia hoc caſu ſufficit, quod ſint approbati à Commendatario, qui vices Epiſcopi ſuſtinet, Barboſ. *in collect.ad eum locum, numer.* 28. & Pegna *dec.*105. *numer.* 1. Vbi enim concurrit approbatio habentis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & approbans eſt nullius diœceſis, ſatis eſſe dixit Rota *deciſ.* 3. poſt Tambur. *de jur. Abb.*

5 Minus obſtat, quòd Epiſcopus habeat aſſiſtentiam juris pro ſe, & donec per rem judicatam, vel per tres conformes non doceatur de jure Commendatarii, impediri non poſſit in exercitio juriſdictionis.

6 Nam, prætermiſſo, quod id non habet locum, quando territorium eſt ſeparatum, ſed tantummodo quando agitur de aliqua Eccleſia in diœceſi exiſtente, quæ prætenditur exempta, & in his terminis loquuntur Auctores, qui in contrarium adduci poſſunt; ceſſat planè in hoc caſu difficultas. Quia regula limitatur, quando alter eſt in quaſi poſſeſſione exercendi juriſdictionem, ut eſt hujuſmodi Commendator, Rota apud Buratt. *dec.*519. *nu.*5.& ibi Add. & in Barchinonen. Iuriſdictionis 1. Iulii 1644. §. *Non obſtat* coram Bichio. Maximè quando poſſeſſio eſt temporis conſiderabilis, Rota *in d. Barchinonen. eodem* §.

Quod autem Eccleſia hujuſmodi ſit in territorio ſeparato, nulli Ordinario ſubjecto, ſed immediatè Sedi Apoſtolicæ, ac Religioni Hieroſolymitanæ, & in illa Commendatarius habeat adminiſtrationem Sacramentorum, poteſtatem creandi, & Vicarios, & presbyteros ac omnimodam juriſdictionem in ſpiritualibus, & temporalibus conſtare poterit ex inventario, quod Cabreum vocant, vigore Statutorum Religionis olim confecto, ſervatis omnibus ſolemnitatibus ſervari ſolitis, & per ſententiam confirmato. Ex quibus probari dominium, & juriſdictionem Commendatarii conſuluit Altograd. *conſ.*14 *num.* 49. *lib.*2. quem ſequitur Rot. in Hottana bonorum 19. Iunii 1656. coram Dunozetto. 7

Præſertim ſi idem Cabreum ſit vehementer adminiculatum ex depoſitione quam plurimorum teſtium ad perpetuam rei memoriam examinatorum, & uno ore deponentium, dictam Eccleſiam eſſe in territorio ſeparato, nullius diœceſis, & in illa Commendatarium ſemper exercuiſſe juriſdictionem in ſpiritualibus, & temporalibus, & ſic ſemper etiam audiviſſe à ſuis majoribus. Qui, etſi non plenè probent, faciunt tamen magnum adminiculum, Bartol. *in l.fin.col.ff.de appellat.* Rot. *deciſ.*18.*num.* 3.*p.*3.*rec.* & in ſimilibus terminis *deciſ.*230. *num.* 10. *p.*9. *tom.*1.*&* 494.*num.*13.*p.*9.*tom.*2.*rec.* ſintque numero plures, & quaſi omnes excedant ætatem annorum ſexaginta, & concludant probationem veriſimilem, Rot. *deciſ.*206.*nu.* 8. coram Caputaq. *p.*2. 8

Sique his accedant varii proceſſus, ex quibus appareat, quod contra Clericos, & in cauſis ſpiritualibus ſemper proceſſit Vicarius deputatus à Commendatario. Per quos actus probari, territorium eſſe ſeparatum cum juriſdictione firmarunt Menoch. *conſil.*147.*num.*15.& Rota in Cæſenaten. emphyteuſis 10. Iunii 1642. coram Ghiſlerio, & in Toletana Juriſdictionis 9. Maii coram Bevilaqua. 9

Tolliturque omnis difficultas ex confeſſione, & actibus ab ipſis Epiſcopis factis, ſi in iis non ſolùm ipſi enuncient, dictam Eccleſiam eſſe nullius diœceſis, ſed in pluribus fateantur illam eſſe exemptam, & ſubjectam Religioni Hieroſolymitanæ, ordinentque Clericos cum dimiſſoriis Vicarii Commendatoris. Vnde dum ex his conſtat, Eccleſiam hujuſmodi eſſe in territorio ſeparato cum juriſdictione quaſi Epiſcopali, eſſeque nullius diœceſis, nulla major probatio dari poteſt, ut in terminis ſtabiliunt Menoch. loco allegato *nu.*24. *& ſeqq.* Cravett. *conſil.*582.*num.*6.& Rot. *deciſ.*578. *num.*5. coram Buratto. Hæc enim nedum probant ſcientiam, & patientiam Epiſcoporum, ut ponderat Rot. *deciſ.* 184. *numer.* 22. apud Poſth. *de manut.* Verùm etiam præ ſe ferunt proprias confeſſiones, quæ tanquam emanatæ ab ipſis hac de re informatis omnium probationum virtutem excedunt, *l. Proinde* 2.§. *Notandum, ff. Ad l. Aquil.* Rot. coram Buratt. *deciſ.*367.*numer.*4. Idque in præjudicium tam confitentium, quàm ſucceſſorum, itaut confeſſionem in dubio revocare non valeant, ut in puncto firmavit Rot. in d. Toletana, & in Beneventana Juriſdictionis 13. Maii 1652. coram Zarate. Ac præcipuè ſi ſint toties repetitæ, ut annotavit Add. ad Gregor. *deciſio.* 375. *numero* 11. & Rot. in d. Toletana, & alibi. 10

Quæ quidem probationes ſimul junctæ, prout jungi debent, videntur abſque dubio ſuffragari, Aretinus *conſil.*42.*numer.*3. cum aliis adductis à Menoch. *conſil.* 143.*num.*48.

Quare ſive juriſdictio Epiſcopi fundetur in aſſiſtentia juris communis, nullum ex traditis prætendere poteſt 11

juriſ-

juriſdictionis exercitium niſi prius probet concludenter; Eccleſiam hujuſmodi ſitam eſſe intra limites ſuæ diœceſis, Abb. *in cap. Olim, num.* 2. *de cenſib.* Rot. *deciſ.* 184. *n.* 6. *poſt* Poſth *de manut.* & in Bononien. Juriſdictionis 11. Aprilis 1639. coram Carillo. Et quidem non per leviores præſumptiones, quæ aliàs ſufficerent, Rota coram Buratto *deciſ.* 578. *num.* 13. Sed per duriores, omninòque neceſſarias, attenta poſſeſſione Inferioris, ibidem juriſdictionem exercentis, ac ſeparatione territorii. Quæ efficiunt, ut aliàs manuteneri non poſſit juxta deducta in citata *deciſ.* 184. *numer.* 6. & coram. Seraph. *deciſ.* 1278 *num.* 5.

12 Sive fundetur in facultate à Sac. Concilio *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. Epiſcopis, uti Delegatis conceſſa viſitandi Eccleſias nullius diœceſis, uti vicinioribus. Nam facultas hujuſmodi fuit Sac. Concilio tributa cum præſuppoſito, quod in ea deficiat, qui viſitet, ne quid ad miniſterium Sacramentorum, & cultum divinum deſideretur: at cum Commendatarius in ea talem habeat, & exerceat facultatem, ac tanquam in proprio territorio neceſſariis omnibus uti Ordinarius provideat, utique non poteſt Epiſcopus, etiam tanquam Delegatus illam viſitare, Rot. *dec.* 307. *nu.* 5. *p.* 2. *div.* Non eſt enim præſumendum, in hoc eventu Sac. Concilium voluiſſe ſubditos duplici onere viſitationis gravare, ut rectè ac latè ratiocinatur Gratian. *d. diſcept.* 212. *nu.* 39. ſequendo Rotam ibidem allegatam in Salamantina Juriſdictionis 9. Maii 1594. coram Seraphino.

13 Demum, his ceſſantibus, eſtoque millies quod Commendatarius hujuſmodi non habeat Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, non idcircò Epiſcopus in viſitatione edere poteſt decreta circa Capellas, & ſacrarium, Barboſa *in collect. ad Concil. ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 8. ſed duntaxat circa ea, quæ reſpiciunt adminiſtrationem Sacramentorum, & curam animarum, ut ex Conſtitutione Pii V. anno 1570. impreſſa poſt Statuta Religionis, & Conſtitutione Gregorii XV. *de exempt. privil.* Quod ſi locum haberet quorumdam conſequentia, profectò Epiſcopi Eccleſias, etiam non Curatas viſitare poſſent, cùm in iis quoque aſſerventur Sanctorum reliquiæ, adſint calices, indumenta ſacerdotalia, & hujuſmodi, quæ deſerviunt pro adminiſtratione Sacramentorum.

14 Verùm enim verò in hac re illud in primis notandum eſt, hujuſmodi controverſias inter Epiſcopos, & inferiores Prælatos circa juriſdictionem, prælertim S. Concilio Tridentino, & Apoſtolicis Conſtitutionibus Epiſcopis delegatam, in cauſis matrimonialibus, & criminalibus, in collatione Ordinum, in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, & id genus alia non conſiſtere amplius in jure, ſed in facto, an ſcilicet conſtet de territorio ſeparato per privilegium Apoſtolicum liquidiſſimum, vel per immemorabilem canonizata per rem judicatam, vel tres conformes, ut animadvertiſſe memini Joannem Baptiſtam de Luca, celeſte fori Romani ingenium in ſuis voluminibus non ſemel.

15 Equidem cùm Sac. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 10. prohibeat Abbatibus, aliiſque Prælatis inferioribus, licet exemptis ac nullius collationem Ordinum minorum, & conceſſionem dimiſſoriarum pro ſacris, reſervetque id Epiſcopis, Sacra Congregatio ſæpè dubitavit, an hoc decreto comprehendantur Prælati, qui habent plenam juriſdictionem ordinariam cum territorio ſeparato. Qua diſcuſſione pendente per modum proviſionis ac ſine præjudicio, ſolita fuit committere Epiſcopo viciniori ejuſmodi ordinum collationem, & ſpeciatim anno 1613. id reſolvit cum Ordinario Carpenſi, committens dictam collationem Epiſcopo Mutinæ viciniori in hunc modum: *Reverendiſſime Domine, uti frater. Ne ſubditi Archipresbyteri Terræ Carpenſis nullius diœceſis ordinari cupientes ordinatores careant Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Amplitudini tuæ facultatem tribuit, ut donec quod Archipresbyter ad ſe ſpectare ex Apoſtolicis privilegiis, aliiſve juribus contendit cauſa in ipſa Congregatione finem acceperit, eoſdem ſubditos ad primam tonſuram, alioſque ordines etiam ſacros, atque etiam presbyteratus, alias tamen ritè & rectè, & omnibus requiſitis plenè concurrentibus, promovere poſſit, ſicut ejuſmodi Ordinum collatio perinde valida habeatur, ac ſi ab eorum diœceſano Epiſcopo eam obtinuiſſent, abſque tamen Archipresbyteri, atque cujuſvis alterius præjudicio, atque ita, ut ex hujuſmodi conceſſione ſit pro deſiderio ordinari volentium conſultum, ſed jus cujuslibet quoad ordinandi facultatem ſalvum, illibatumque permaneat. Romæ die* 15. *Ianuarii* 1613. Idem decrevit pro Abbate *S. Stephani de Boſco*, pro Archipresbytero *Altamuræ*, & aliis. At eadem Sacra Congregatio maturè conſiderans, Concilium loqui expreſsè de Abbatibus, aliiſque exiſtentibus intra fines alicujus diœceſis, ſæpiùs declaravit decreta contra Prælatos inferiores edita non comprehendere eos, qui habent territorium ſeparatum, ſuntque veri Ordinarii cum plena juriſdictione quaſi Eſpiſcopali. Quare dictas ſuſpenſiones, atque commiſſiones revocavit, & ſpeciatim pro dicto Abbate ſancti Stephani de Boſco ſub 18. Iunii 1652. ac pro aliis ſæpè.

17 Ratio autem eſt, quia Concilium ſolùm diſponit non licere Abbatibus, Capitulis, aliiſque Prælatis exiſtentibus intra diœceſim Epiſcopalem, qui propter exemptionem nullius diœceſis dicuntur, de cætero conferre minores ordines, aut pro his, atque aliis majoribus ſuſcipiendis dimiſſorias concedere. Atqui Abbates, & alii, qui habent diœceſim ſeparatam cum Territorio non dicuntur eſſe intra diœceſim Epiſcopalem, ſed extra illam, ideòque Concilium illos non comprehendit.

18 Sit itaque regula, & abſoluta juris propoſitio, ſcilicèt quod donec doceatur de privilegio Apoſtolico, vel de immemorabili canonizata per rem judicatam, vel per tres conformes, interim fundata ſit intentio Epiſcopi, etiam in omnimoda juriſdictione ordinaria, indubiè verò in delegata, in qua intra hoc tempus manutenendus eſt. Ita ab anno 1610. reſolutum fuit à Sac. Congregatione Concilii, præſertim in una Theatina, & 1660. in una Angionenſi, & in una *Vulturarienſi* die 24. Februarii 1652. & iterùm die 5. Iunii 1655. ac tertio die 7. Januarii 1663. Idem obſervat Sacra Congregatio Epiſcopor. & Regular. ut in una Sarzanenſi, ſeu nullius 1667. paſſimque alibi, & ſæpiùs judicatum eſt à Rota, nominatim in Toletana Iuriſdictionis 26. Martii 1612. & 4. Decembris 1613. coram Pirovano apud Tambur. *de jur. Abbat. deciſ.* 67. & 68. & frequenter alibi præſertim *in Caven.* collationis ordinum coram Veroſpio, latiſſimè contra Religionem Hieroſolymitanam ejuſque Priorem, habentem juriſdictionem temporalem, ac etiam ſpiritualem in d. Toletana Juriſdictionis 9. Maii 1659. & 12. ejuſdem 1660. coram Bevilaqua, & in eadem 10. Junii 1661. coram Taia, & 27. Ianuarii 1662. coram eodem Bevilaqua in locum Taiæ ſuffecto, ubi aliæ conſtipantur. Ea quippè ratione, quia omnia loca mundi præſumuntur eſſe in aliqua diœceſi, nec præſumuntur eſſe nullius, niſi probetur. Nam Eccleſiæ omnes Epiſcopo loci ipſo jure ſunt ſubjectæ, *cap. Cùm non liceat* 12. *de præſcript. cap.* 1. *cap. Abbates cum ſeqq.* 18. *quæſt.* 2. *cap. De Xenodochiis, de rel. dom.* Gloſſ. *v. In tua, cap. Sicut* 8. *de expreſſ. Prælat.* niſi ſpeciali privilegio ſint exemptæ, *cap.* 1. 16. *quæſtio.* 2. quæ exemptio non præſumitur, donec probetur, *cap. Contra morem* 100. *diſt.* Gloſſ. *d. cap. Sicut, v. In tua in fine.* Vnde in dubio habet Epiſcopus ratione ſuperioritatis intentionem ſuam fundatam in Eccleſiis, ſibi ſubjectis, quod in iis omne ſuperioritatis jus habeat, *cap.* 2. *de reſtit. ſpol. lib.* 6. Socin. *conſ.* 86. *num.* 5. *vol.* 1. Montan. *in tract. fin. regund. cap.* 16. *num.* 4. Everhar. *in loc. legal. loc.* 16. *à tot. ad part.* Schurf. *conſ.* 26. *num.* 2. *cent.* 1. Quin etiam nominatim in Conciliis Toletano, Cabilonenſi, & Antiocheno ſtatutum eſt, ut omnes Eccleſiæ cum univerſis earundem bonis, ac juribus, Epiſcopis ſubjectæ,

in

in eorumque poteſtate ſint, ut apparet *ex cap. Decretum, & cap. Quæcumque cum duobus ſeqq. 10. qu. 1.* Idque uſque adeò verum eſt, ut non valeat pactum appoſitum, quod res Eccleſiæ oblatæ non debeant ad ordinationem Epiſcopi pertinere, tanquam pactum contra naturam contractum, ut eſt textus *cap. Sic quidam, juncta* Gloſſ. 10. *quæſt.* 1. quàm videntur ſequi Bartol. *in auth. Ut nullas fabricet, num.* 3. & latius Paul. de Cittadin. *de jurep. p. 3. quæſt. 9.* Hinc eſt, quod jure etiam Canonico conſtitutum fuerit, ut Monaſteria continuò poſtquam erecta fuere, Epiſcopo, cujus in diœceſi conſtructa ſunt, debeant eſſe ſubjecta juxta *cap. Monaſteria* 18. *quæſt.* 2. *cap. Omnes Baſilicæ eodem loco.* Facit etiam *cap. Interdicimus* 16 *quæſt.* 1. *& cap. Cum perſona in princ. de privil. in 6. cap. Cum venerabilis de relig. dom. cap. Cum Epiſcopus, de offic. Ord. in 6.* Quæ jura ad hoc allegat Panorm. *in cap. Recepimus num.* 4. *de privil.*

19 Contra verò ubi dicta qualitas præmiſſis modis eſt jã probata, ita ut inferiores Prælati habeant omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, tunc eſt pariter receptũ, delegatã juriſdictionem Epiſcopis non competere. Quia illis tunc convenit nomen Ordinariorum, ſed ſolùm reſtant eis aliqua commiſſa, tanquam vicinioribus, ut diſertè habetur apud Mar. Andr. *dec.* 54. quæ eſt in hac materia magiſtralis, apud Emin. Orthobonum *dec.* 82. *num.* 13. *& ſeqq.* Montis Caſini Juriſdictionis 17. Martij 1651. coram Bichio, Caven. collationis ordinum 26. Junij 1654. coram Veroſpio, Montis Virginis, ſeu Nullius Juriſdictionis 12. Junij 1656. & 8. Junij 1657. coram Dunozetto, ac diffusè Ciarlin. *contr. ult.*

20 In præſenti autem non docetur de privilegio Apoſtolico. Nam privilegia S. Religionis regeſta in Conſtitutione 9. Pij IV. quantumvis ampliſſima, procedunt quoad perſonas Militum, Capellanorum, & ſervientium ipſius Religionis, eorumque Conventus, non autem reſpectu Cleri & populi ſæcularis, ut ad rem plenè firmatur in allegatis Toletana coram Bevilaqua, & Taja. Quia juriſdictio Eccleſiaſtica in Clerum, & populum competit Epiſcopo.

21 Neque docetur de Immemorabili cum ſuis requiſitis à Gloſſa præſcriptis in *cap.* 1. *de præſcript. in* 6. communiter recepta, & à Rota ſervata, ut *in deciſ.* 248. *num.* 2. Inter quæ illud præcipuum eſt, quòd præciſè & concludenter de teſtium ætate appareat, Rot. coram Gregor. *deciſ.* 298. *num.* 1. *& ibi.* Add. *num.* 12. Hoc autem ſolo requiſito ceſſante, immemorabilis probata dici non poteſt, Add. ad Greg. *dec.* 252. *num.* 15. *in fin.* Burat. *deciſ.* 673. *num.* 10. Ea potiſſimum ratione, quia requiritur ſaltem in illis ætas annorum 54. ſubducto tempore litis motæ, aliàs immemorabilis nunquam probabitur, Burat. *d. deciſ.* 673. ibique Add. *in fin.* Atque etiam illa duo ſunt neceſſaria, ſine quorum ſimultaneo concurſu, impoſſibile eſt dari Immemorabilem. Primum eſt, quod de nullo actu contrario conſtet, cùm etiam unicus, quinimo ſolus rumor contrarius ad illam impediendam ſufficiat. Secundum eſt, quod teſtes deponant de vita per annos 40. ſubducto tempore pupillaris ætatis, & altero litis, ut dictum eſt, ultra alia requiſita auditus à Majoribus, & famæ publicæ. Nam tunc dici non poteſt, quod non extet memoria in contrarium, Rota *dec.* 203. *p.* 9 *rec. num.* 11. *&* 13. Etenim quod attinet ad Cabreum, illud nil probat, quia eſt aſſertio ejus, quod ipſa pars prætendit. Ceſſat enim probatio per enunciativam, quando principaliter dubitatur de veritate enunciata, Rota *deciſ.* 568. *p.* 2. *rec. num.* 4. *& dec.* 166. *num.* 2. *p.* 4. *div.* Præſertim quando enunciativæ non ſunt antiquæ, Rota *ibid. & deciſ.* 723. *num.* 3. *p* 4. *div.* Greg. *dec.* 407. *num.* 1. *&* 2. & emanarunt à perſonis ſuſpectis, & commodum habentibus, Rota *dec.* 590. *num.* 3. *& deciſ.* 592. *num.* 4. *p.* 4. *div.* Gregor. in *annot. ad d. dec.* 407. Rota *dec.* 160. *num.* 1. *&* 7. *p.* 1 *rec.* ubi de enunciativa Inſtrumenti, quæ adducebatur ad probandum territorium ſeparatum. Sententia vero nihil etiam operatur. Quia verba quoque enunciativa ſententiæ non probant in præjudicium tertij, Rota in Salamantina cenſurarum 14. Januarij 1599. apud Marcheſ. *tom.* 2. Quod maximè procedit dum agitur de gravi præjudicio Epiſcopi, Rota *dec.* 723. *num.* 3. *p.* 4. *div.* Præterea conſtare debet de mandato procuræ, quod Cabreum hujuſmodi confectum fuerit nomine Prioris. Sola enim enunciatio non ſufficit ad præſumendum mandatum, niſi cum curſu centum annorum, Put. *deciſ.* 363. *num.* 1. 2. *&* 5 & loquitur de enunciativa mandati procuræ ſeptuaginta quinque annorum, Rot. *dec.* 188. *num.* 1. *& deciſ.* 598. *num.* 7. *p.* 1. *div.*

22 Quod vero ad teſtes, nec etiam ſunt attendendi, tanquam examinati ad perpetuam rei memoriam, & ſine citatione Epiſcopi, Rot. *dec.* 439. *num.* 8. *p.* 4. *rec.* Doctores autem pro contraria ſententia allegati poſſunt fortaſſis habere locum in teſtibus præmortuis, & antiquitus examinatis, Mohed. *dec.* 5. *num.* 2. *de teſtib.* Rota *dec.* 146. *num.* 8. *p.* 3. *rec.*

Ac licet omnes convenirent, ac per eadem verba deponerent, hujuſmodi Eccleſiam eſſe nullius diœceſis, 23
& in Territorio ſeparato; nihilominus ſi circa confines nihil in cauſa ſcientiæ concluderent, nil probant, dum ſufficientem rationem non aſſignant, prout requiritur ad probandum limites Territorij ſeparati, qui, etſi oculis ſubijciantur, cùm tamen illorum diſtinctio non per ſimplicem viſum, ſed per actum intellectus haberi debeat, ſuffragari non poſſunt abſque redditione concludentis rationis, Bald. *conſ.* 286. *num.* 4 *lib.* 2. Nec ſatisfacere poſſunt ipſorum depoſitiones uno, eodemque ſermone prolatæ, quia in materia ſola teſtium ſcientia non ſufficit, niſi rationes ſcientiæ illam concludant, aliàs ſi in ſola ſcientia teſtium poſita eſſet diſtinctio finium Eccleſiarum, fruſtra profectò eſſet diviſio facta per Dionyſium Papam, de qua *in cap.* 1. *d.* 1. & Gloſſ. *in cap.* 1. *v. Ante Chriſti adventum in fin.* 99. *d.* & dixit Rota *deciſ.* 203. *num.* 4. *&* 5. *ac ſeqq. p.* 7. *rec.* Quare in ijs, quæ non pendent à ſenſu coporis, ſed à judicio intellectus, ac potius juris, quàm facti ſunt, teſtes etiam non interrogati aſſignare debent rationem, aliàs nihil probant, Mantic. *dec.* 199. *num.* 5. Coccin. *deciſ.* 295. *num* 5. Buratt. *deciſ.* 538. *num.* 16. *&* 857. *num.* 9. Gregor. *deciſ.* 17. *num.* 2. Nec limites lapidei cum peculiari ſigno quidquam operantur ad probationem, quod Territorium ſit ſeparatum à diœceſi, & juriſdictione ſpirituali. Quia certum eſt, quod à confinibus juriſdictionis temporalis non benè infertur ad ſpiritualem, cùm ſolus Papa valeat territorium ſeparare à diœceſi, Rot. *deciſ.* 220. *num.* 9 *&* 10. *p.* 9. *rec.* Immò quoadusque privilegium ſpeciale à Papa conceſſum non oſtenditur, fruſtrà prætenditur per teſtes probari Territorium ſeparatum, cùm jus Territorij ſeparati, ac diſtincti non valeat acquiri, niſi ex ſolo privilegio Principis, ac proindè ſolius Pontificis, ad quem dumtaxat petinet partem à diœceſi ſeparare, Rota *deciſ.* 324. *num.* 1. *p* 1. *rec.* atque adeò omnia, quæ per privilegia non oſtenduntur, ſunt Ordinario reſervata, & remanent ſub ejus juriſdictione, ut *in dicta deciſ. num.* 5. ubi diffusè.

Et quod ſpectat ad enunciativas Epiſcoporum pla- 24
nè eò recidunt, fruſtraque adducuntur. Primò, quia non nocent, quando principaliter diſputatur de enunciato, Ruin. *conſ.* 160. *num.* 10. *lib.* 3. Rota in Calaguritana, ſeu nullius Juriſdictionis 16. Junij 1606. coram Otthembergo, & advertit ipſe Menoch. *eo conſ.* 147. *numer.* 26. quia non potuerunt ſibi præjudicare, Rota opportunè ad rem noſtram *deciſ.* 166. *num.* 3. *par.* 5. *div.* Neque à ſe poteſt Epiſcopus abdicare viſitationem in Eccleſia jam conſtructa, & fundata, quamvis illam à ſe generaliter eximat Gregorius *deciſ.* 4. *num.* 13. Secundò, quia non procedunt in ijs, in quibus nequit Epiſcopus liberè diſponere, vel quando agitur de præjudicio ſucceſſoris,

Rot. *dec.288.num.3.p.2. div.* Qui enim non poteſt alienare, vel diſponere, non poteſt confiteri, ut in longè fortioribus terminis juriſpatronatus, quod eſt minoris præjudicij, ubi ſolum attenduntur pro adminiculis aliarum probationum, reſolvit Cavaler. *dec. 46. & 62.* Burat. & Add. *dec.111. & 919.* Et in puncto, quòd confeſſio Epiſcopi, aſſerentis loca eſſe nullius diœceſis, ſive Juriſdictionis non præjudicet, planè tradit Rota in Aptutina, ſeu nullius Juriſdictionis 8. Aprilis 1639. coram Dunozetto, quæ eſt *dec.127.p.8.rec.* Tertiò, quia per S. Concilium Trid. *ſeſſ.7.de reform.cap.8.* ſublata fuerunt quæcumque privilegia, conſuetudines, & jura quæſita, etiam ex immemorabili præſcripta.

25 Ac demum quoad quaſi poſſeſſionem concedendi dimiſſorias nullius eſt momenti. Tum quia fuit ſublata per actus Epiſcopi poſteriores, Rot. *decis. 382.num 4.par 2. rec.* nec probatur immemorabilibus. Tùm quia cùm Concilium Tridentinum *cap.10.ſeſſ.23.* decernat, dimiſſorias eſſe concedendas ab Epiſcopis, quibuſcumque privilegijs, & conſuetudinibus immemorabilis non obſtantibus, jus Epiſcopi manet integrum, etiam probata immemorabili, ut expreſsè docet Rot. *deciſ. 332.num.2. p.1.rec.* Immò etiam probato, quod Commendatarius eſſet Prælatus nullius diœceſis, adhuc poteſtas concedendi dimiſſorias eſſet apud Epiſcopum, intra cujus limites Commenda exiſtit, vel in ſubſidium apud Epiſcopum viciniorem, ut ex verbis, ac mente Concilij *d.cap.10.* pluries declaravit S. Congregatio, ut *in declarat.ad cap.9. ſeſſ.23.* & apud Barboſam *ad d. cap. 10.num 11. & de jur. Eccleſ.lib.1.cap.14. num. 21.* Quod etiam reſolvit Sacra Congregatio Epiſc.& Regul.in una *Polignanen.* 16. Januarij 1596. *Nullius Carpis* 15. Decembris 1603. & 22. Novembris 1604. & 14. Junij 1606. & nullius *Altamuræ* 9. Auguſti 1604. In quibus habetur, quod dimiſſoriæ ſubditis nullius non concedantur à Prælato loci, vel ejus Vicario, immò neque à Vicario Apoſtolico, ſed ab Epiſcopo viciniori.

Sed demus aliquando, quod doceatur per immemorabilem, ejuſmodi Eccleſiam eſſe nullius, & in territorio ſeparato cum juriſdictione quaſi Epiſcopali, adhuc non ſufficeret. Quia requiritur, immemorabilem eſſe canonizatam per rem judicatam, vel per tres conformes; & interim Epiſcopus manutenetur, ut jam diximus, ac declaravit S. Congregatio Concilij in dicta Vulturarienſi die 5. Junij 1655. per hæc verba: *In cauſa Vulturarienſi inter Epiſcopum Vulturarienſem & Priorem Baruli Religionis Hieroſolymitanæ S.Congregatio Eminen.DD.Card. C.Trid. Interpretum cenſuit, utraque parte informante, Epiſcopo Vulturarienſi competere jus approbandi Confeſſarios in Eccleſijs Prioratus Baruli Religionis Hieroſolymitanæ, nec non benedicendi, & reſpectivè licentiam impertiendi Prædicatoribus, in eiſdem Eccleſijs concionantibus, donec conſtiterit per rem judicatam dictum Prioratum eſſe nullius, & habere territorium ſeparatum cum juriſdictione quaſi Epiſcopali.*

26 Dum igitur Eccleſia hujuſmodi eſt intra fines diœceſis, dubitari non poteſt, quin Epiſcopus habeat ſuam intentionem fundatam illam viſitandi, nedum ex diſpoſitione juris communis, per textum *in cap. De Xenodochijs, de relig.dom.* Rot. *dec.166.num.1. par. 4. div.* ſed etiam ex diſpoſitione S. Concicilij Trid. *ſeſſ.7.cap.8.ſeſſ.21.cap. 8.de reform.* etiam quod eſſet exempta, *d.ſeſſ.7.cap.8.* & nullius diœceſis, *ſeſſ. 24.cap. 9.de reform.* & tradunt Azor. *inſtit.moral.p.2.lib.3.cap. 40. in fin.* Merlin. *deciſ. 101.num.5. & dec.396.nu.3.p.1.rec.* Et pro Eccleſia Parochiali Equitum Hieroſolymitanorum firmat Rota *in d.dec.396.num.5. & 6.* & optimè *in dec.493.p.2. rec.* ſpeciatim *num.4. & 5.* ubi perpendit & declarat omnia privilegia eorumdem Equitum. Quicquid parum accuratè dixerit Gratianus *diſcept. illa* 212. Nam præterquamquod ipſe loquitur de Abbate habente privilegium Apoſtolicum cum immemorabili probata, ſe fundat in Salamantina Juriſdictionis, à qua Rota pluries receſſit, firmando, reſolutiones S.Congregationis Concilij procedere indiſtinctè, & habere locum in Abbatibus & Prælatis inferioribus, habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut videre eſt *in deciſ.600.p.4.tom.3.rec.num.18. & ſeqq.* Atque hinc tollitur, quod dicitur, aſſiſtentiam non dare manutentionem, quando eſt infuſcata actibus contrarijs. Quia id procedit, quando actus contrarij eſſent tales, ut illam infuſcare poſſent, & non concurrit poſſeſſio, ſeu quaſi, nec militat quoad concernentia curam animarum, nempè Parochos, & Parochianos, Rota *d.deciſ.600.num.8. & 9.*

Undè ex iſta juris aſſiſtentia poteſt Epiſcopus viſitare 27
hujuſmodi Parochialem in concernentibus curam animarum, Sacramentorum adminiſtrationem, Confeſſariorum approbationem, benedictionem, & licentiam concionandi impertiendam Prædicatoribus, Rota *dec. 501.num.1.circa fin.p.2.rec.* & ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij *in Vulturarienſi* probavimus. Ex hac enim aſſiſtentia juris competit Epiſcopo manutentio, etiam nulla probata poſſeſſione, *cap. Cum perſona*, & ibi Doctores, *de privil.in 6.* Rota *deciſ. 332. per tot. & deciſ.461.num.3.p.1.rec. & deciſ.64.num.1.* apud Poſth. *de man. & deciſ.313.num.1.15. & 17.p.4.rec.* ubi quòd aſſiſtentia juris præbeat Epiſcopo probationem liquidiſſimam, & non ſolùm procedat quoad loca conſtituta intra fines diœceſis Epiſcopi, ſed etiam quoad loca Epiſcopo vicina, & contigua, niſi probentur nullius diœceſis, ut docet Rota in dicta Calaguritana, ſeu nullius coram Otembergo.

Neque dici poterit, quod excedat fines ſuæ juriſdi- 28
ctionis, ſi viſitaverit Sacrarium, Cappellas, & ejuſmodi alia, dummodò id non faciat intendendo ſimpliciter viſitare propter ornatum Eccleſiæ, aut alium finem, ſed puro ac puto intuitu curæ animarum, adminiſtrationis Sacramentorum, ac celebrationis Miſſarum ex pijs diſpoſitionibus provenientium. Ex hac enim facultate ſunt neceſſariò viſitanda altaria an habeant requiſita pro celebratione Miſſarum, *cap. Altaria, de conſecr.d.1. & cap. 1. & 3. de conſecr. Ecleſ.* An veſtes ſacerdotales, calices, aliaque ſuppellectilia pro celebrandis Miſſis, quæ aſſervantur in Sacrario, ſint decentia, *cap.ult.de celebr.Miſſ.cap.Vaſa d.1.de conſecr.* & ad formam Miſſalis Romani *cap. 18. & 19.* Vulgare enim eſt, quod, conceſſa juriſdictione, conceduntur etiam ea, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt. Hæc enim omnia ſunt in ordine ad rectam adminiſtrationem Sacramentorum, & curam animarum, atque adeò, tamquam media, ſequitur, quòd proveniant ex eadem juriſdictione delegata. Siquidem media ſequuntur finem, & ab ipſo regulantur, *leg.Oratio, ff de ſponſal.* & cui competit judicare de fine, competit judicare de medijs, ut habetur *1 Eth.cap.1. & cap. Præterea, de offic. Deleg.* Unde etiam illius poteſtatis eſt ordinare media, cujus eſt præfigere finem. Et ideò quando finis conceditur per poteſtatem delegatam, per ipſam etiam cenſentur conceſſa media, quibus ad eum pervenitur. Quia talis conceſſio eſt quædam extenſio principalis conceſſionis. Nam, conceſſo uno, ſtatim intelliguntur conceſſa omnia, quæ ad ipſum obtinendum conducunt, *leg. 2. ff. de jurid.omn. Jud.leg.ad rem mobilem, §. Qui procuratorem, ff de procur. & leg. Avibus, ff. de legat. 3 & leg. 1 §.1.ff.ſi uſufruct.pet.* Et proindè hæc juriſdictio delegata regulanda eſt, ut exerceatur pro conſervatione, & inſtitutione eorum omnium, quæ conducunt ad rectam adminiſtrationem Sacramentorum, & curam animarum. Quia omnia regulanda ſunt ſecundùm exigentiam finis, *l. Et ſi non ſint, §. Pervenimus, ff.de aur. & arg.leg.Et l.Diximus, ff.de excuſat.tut.* & notat Bald. *conſ.115.vol.1.* Cravet. *conſ.137.num.14. vol.1.* & alij, ac ſpeciatim ad rem noſtram Azor. *Inſtit.moral.p.2.lib.3.cap.41.* & Barboſ. *de jur.Eccleſ.lib 1.cap.14.num.22.*

Ex his autem non ſequitur, quòd hac ratione poterit 29
Epiſcopus

Epiſcopus viſitare Eccleſias etiam non curatas. Nam
non eſt delegatus, niſi pro Eccleſijs parochialibus exem-
ptis. Delegatus autem debet ſervare formam delegatio-
nis, aliàs invalidè operaretur, ut obſervant Gemin. *in
cap. Romana*, § *Sed nec, de ſent. excomm. in 6.* Felin. *in
cap. Cum ſit, num. 15. de appell.* Caputaq. *dec. 143. num. 5. p.
3.* & communiter ex *cap. Cum dilecta, de reſcript.*
Quare cùm hujuſmodi juriſdictio committatur deter-
minatè Epiſcopis pro Eccleſijs parochialibus, re-
ſtringitur delegatio per ſpeciem loci, itaut non ſe
extendat extra ipſum juxta *cap. 2. de reſcript. & cap.
Statuto, de decin. in 6.*

31 Idque tandem perſpicuè expreſſit S. Congregatio Con-
cilij in *Vulturarien.* die 24. Febr. 1652. in qua cenſuit,
Epiſcopum Vulturarien. potuiſſe, uti Sedis Apoſtolicæ
Delegatum, viſitare Eccleſiam parochialem S. Mariæ
Terræ Alberonæ Religionis Hieroſolymitanæ, & in vi-
ſitatione decreta edere in concernentibus curam anima-
rum, adminiſtrationem Sacramentorum, implemen-
tum onerum Miſſarum ex pijs diſpoſitionibus prove-
nientium: illaque eſſe executioni demandanda. Quod
verò ad reſtaurationem Eccleſiæ præfigendum eſſe ab
eodem Epiſcopo authoritate hujus Sacræ Congregatio-
nis terminum competentem Priori ejuſdem Eccleſiæ.
Quod ſi infra dictum terminum reſtaurationem diſtulerit,
certiorandam eſſe eandem S. Congregationem, quæ
opportunè tunc providebit.

32 Et inter alia decreta emanata in viſitatione ſacrorum
liminum anno 1654. ſub die 23. Januarij extat infraſcri-
ptum, videlicet: Pro cura animarum Terræ Riberonæ
injungi Priori Ordinis Hieroſolymitani, ut & Vicarium
perpetuum pro ea deputet, & congruam eidem ſuſtenta-
tionem aſſignet. Et ſi dictus Prior in facultatibus habeat,
ut Vicarius hujuſmodi excommunicare poſſit, & interdi-
cere, talem ſtudeat Sacerdotem ibidem ordinare, qui do-
ctrina, & diſcretione idoneus prudenter ſciat hujuſmo-
di uti juriſdictione.

33 Quæ omnia tertiò confirmavit die 7. Januarij 1663. in
eadem *Vulturarien.* in qua dixit ſtandum eſſe in decretis,
monendumque Epiſcopum, ne ſe ingerat in ijs, quæ non
pertinent ad curam animarum, prout & nos monitum
eſſe volumus.

34 Et in una Peruſina, Epiſcopo Sac. Congr. Epiſcopo-
rum *Eſſendoſi conſultato il negotio con la Congregation del
Concilio ſi dice a V. S. che le Chieſe curate ſottopoſte in
qual ſi voglia modo alla Religione Geroſolimitana in cote-
ſta dioceſi, poſſono eſſer viſitate da lei come Ordinario in
ijs, quæ pertinent ad curam & exercitium animarum,
come vuole il moto proprio di Pio V. le quali parole ſi han-
no da intendere, che non ſolo può viſitare il Curato circa
la ſufficienza in amminiſtrare i ſantiſſimi Sacramenti, il
quale trovato inhabile, può levare, ma anche i Sacra-
menti ſteſſi, e vedere ſe ſono tenuti con quella decenza, e
nel luogo che ſi conviene. Può anche V. S. far riſtaurare
la Chieſa, vedendo che non ſia decente e commoda per
l'amminiſtratione ſudetta, e le altre coſe che hanno
dipendenza con eſſa amminiſtratione, come paramenti ſa-
cerdotali, baldachino per portare la Santiſſima Eucha-
riſtia agl' infermi, & altre coſe ſimili à queſto fine. Et oc-
correndo la vacanza di queſte Chieſe, il Cavaliere dee
preſentare un Sacerdote idoneo à V. S. che lo inſtituiſca, e
mentre egli provede à queſto, ella vi mettrà un Vicario,
ch'eſerciti la cura dell'anime, e aſſegnerà un breve ter-
mine al Cavaliere di preſentare detto Sacerdote idoneo,
paſſato il qual termine ella provederà al beneficio ſecon-
do la natura di quello in titolo perpetuo, ò amovibile. Del
reſto V. S. dovrà oſſervare i privilegi conceſſi nel detto moto
proprio come ſtanno ad literam chiaramente. Di Roma
agli 11. di Gennaro 1578.*

35 Et Epiſcopo Papienſi eadem Sacra Congregatio. *Il
medeſimo Veſcovo può inventariare, e viſitare le coſe ſa-
cre, e deſtinate all' amminiſtratione de Sacramenti, del
Meſe d'Agoſto.*

De Lucenſi Collegiata S. Michaelis juriſpatronatus 36
exempta à fundatione & dotatione quæſitum eſt, an per
*cap. 8. ſeſſ. 7. de reform.* viſitari poſſit ab Ordinario. Et di-
cendum, poſſe non tanquam ab Ordinario, ſed tanquam
à Sedis Apoſtolicæ delegato. Hinc etiam orta differen-
tia inter Archiepiſcopum Tranenſem & Sypontinum ſu-
per Eccleſia ſæculari S. Jacobi Terræ Baruli Tranenſis
diœceſis, quæ reperitur per viam unionis ſubeſſe Eccle-
ſiæ Sypontinæ menſe Octobris 1581. cenſuit Sacra Con-
gregatio, Archiepiſcopum Tranenſem tanquam Ordi-
narium poſſe eam viſitare, præſuppoſito quòd ſit exem-
pta ex *d. cap. 8.* & ex præcedenti *cap. 7.* ſimiliter poſſe Pa-
rochos, qui in eadem animarum curam gerunt, exa-
minare, *cap. per exemptionem, de privil. lib. 6. ſeſs. 24.
cap. 18.* Item quòd examinare debeat præſentatos in dicta
Eccleſia ad Capellas, *cap 13. ſeſſ. 7. & cap. 9. ſeſſ. 25.* Item
quòd Clerici Tranenſis diœceſis, dictæ Eccleſiæ in-
ſervientes promoveri non poſſint ad ordines ab alio
Ordinario, quàm Tranenſi, vel de illius licentia,
*cap. 10. ſeſſ. 25* Item, quòd Clerici dictæ Eccleſiæ curam
animarum gerentes, Synodo Tranenſi accedere tenean-
tur, *cap. 13. ſeſſ. 25. de Regul.* Item quòd Archiepiſcopus
Tranenſis eoſdem Clericos Sancti Jacobi punire &
corrigere poſſit, etiam extra viſitationem, ut Sedis
Apoſtolicæ delegatus, *ſeſſ. 24. cap. 4.* Item quòd nullus
in eadem Eccleſia confeſſiones audire poſſit, niſi ab
Archiepiſcopo Tranenſi examinatus, & approbatus
exiſtat, *ſeſſ. 23. cap. 15.* Item quòd Clerici S. Jacobi non
poſſint publicare Indulgentias, *cap. 9. ſeſſ. 21.* neque mo-
nitoria, & excommunicationes concedere, *cap. 3. ſeſs.
25.* Neque alia animarum curam concernentia facere, *d.
cap. per exemptionem*, ubi Gemin. *num. 5.* & Franc.
*num. 3. de privil in 6.* Ratio eſt, quia cùm dicta Eccleſia
ſit in diœceſi Tranenſi, Archiepiſcopus Tranenſis ha-
bet fundatam intentionem ſuam, ut ipſe ſit illius Eccleſiæ
Ordinarius, *cap. Cum Epiſcopus, de offic. Ordin. lib. 6.*
& in omnibus Eccleſijs habet miniſtrorum inſtitutio-
nem, curam, & regimen, *cap. Præterea, & cap. relatum,
de jurepatr.* Felin. *in cap. Cum venerabilis nu. 32. de excep.*

Fuitque quæſitum, præſuppoſito quod Epiſcopi quaſ- 37
cumque ſæculares Eccleſias curatas, exemptas, ſive
nullius diœceſis, Monaſterijs Caſſinenſium unitas, vel
ſubjectas viſitare poſſint, & eis deſervientes in divinis
corrigere & reformare, præſertim ex declaratione Sac.
Congregationis *d. cap. 8. ſeſs. 7. & ad cap. 9. ſeſſ. 24.*
dummodo in illis utraque locis juriſdictio non exercea-
tur ab Abbatibus, an liceat ipſis Ordinarijs Epiſcopis
ordinaria, vel delegata poteſtate viſitare, adeo ut niſi
prius expreſsè declaraverint, ſe tanquam Sedis Apoſto-
licæ delegatos viſitaturos, poſſit eis obſiſti? Reſponſum
*ex d. cap. 8. & cap. 9. ſeſſ. 24.* quòd non permittitur Epiſ-
copis viſitatio, niſi ex Apoſtolica authoritate. Ergo
non eſt opus declaratione facienda per Epiſcopum, cùm
ſatis ſe declarat textus *in d. cap. 8. ſeſſ. 7. argum, cap. Cum
aliquibus in fin. de reſcript. in 6* Intelligitur enim non poſ-
ſe fieri Jure ordinario, ſed delegato. Cùmque *in d. cap.
8.* dicatur ſingulis annis ſemel, ſi tamen neſſitas exigit,
etiam bis viſitabunt, Gloſſ. *in cap. Conquerente, de
offic. Ordin.* quod cum non immutetur per Concilium,
ſtare non prohibetur, *arg. l. præcipimus, C. de apell.*
Cumque dicatur Eccleſias quomodolibet exemptas,
intellige ſæculares, non autem Eccleſias Regularium,
niſi fuerint Curatæ.

In Cremonenſi. Per eundem textum *cap. 8. ſeſſ. 7.* cen- 38
ſuit Sacra Congregatio, poſſe Epiſcopum viſitare Præpo-
ſitum, qui ab immemorabili tempore prætendit ſe ſubje-
ctum S. Sedi Apoſtolicæ, & receptum ſub protectione
Beati Petri, juxta *cap. Si Papa, de privil. in 6.* quia tex-
tus *d. cap. 8. & in cap. 8. ſeſſ. 21. & cap. 9. ſeſſ. 24.* dant hanc
facultatem Epiſcopis, etiam ut Sedis Apoſtolicæ dele-
gatis, non obſtantibus conſuetudinibus, etiam imme-
morabilibus, die 1. Aprilis 1574.

In Lucana, Epiſcopus viſitare poteſt omnes parochiales 39

ſuæ diœceſis, in quibus ſunt Sacerdotes ſæculares, licet Eccleſiæ ſint Regularibus ſubjectæ.

40 In Veronenſi Exempti in caſibus, in quibus Concilium eis abſolutè non ademit juriſdictionem, ſed tantùm ſi Ordinarij velint, Ordinarijs volentibus, poſſunt illam exercere. Quando verò Concilium abſolutè ademit, & Epiſcopis præcepit, ut ipſi ſoli exerceant, non poſſunt exercere, etiam Epiſcopis volentibus.

41 In Salernitana. Per *d.decretum cap.* 8. *ſeſſ.* 7. non permittitur Ordinarijs viſitare Eccleſias Regularium, licet Monaſterium Regulariũ non ſit ſubjectum alicui Epiſcopo, ſeu Patriarchæ, nihilominus beneficia curata dicto Monaſterio unita ſunt viſitanda ab Epiſcopo loci, in cujus diœceſi ſunt, & non ab eo, cui ſubeſt Monaſterium.

## CONSULTATIO XXVII.

*An Clericus poſſit ratione officij, quod habet à Principe ſæculari, coram ipſo conveniri, & ab ipſo puniri, ſi in eodem officio delinquat?*

1 IN *cap.2.Ne clerici, vel Monachi*, habetur, Clericos poſtquam moniti fuerint, ne miniſtri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exiſtant, ſi facere præſumpſerint, nõ eſſe ſubveniendos ab Eccleſia, ſi occaſione ipſius adminiſtrationis propter pecuniariam cauſam, deprehendantur in fraudem. Ex illis enim verbis indignum eſt eis ab Eccleſia ſubveniri, aliquam privilegij fori ceſſationem intelligi videtur eſſe receptam, licet Gloſſa in *v.ab Eccleſia* videatur ſecundo loco opinari, non eſſe ibi ſermonem de privilegio fori, ſed quòd Eccleſia, quæ oppreſſis ſubvenit, non debet in fraude commiſſa in adminiſtratione Clericum juvare pecunia, aut alio ſimili auxilio, ut poſſit recompenſare.

2 Occaſione autem hujus textus quidam, quos tacito nomine refert Gloſſa, & multi ex recentioribus tenent in caſu prædicto ceſſare privilegium clericale, nulla facta mentione præcedentis monitionis. Quod tamen Gloſſa intelligit, ſecuta trina monitione, ſicuti revera inſinuat textus. Quæ monitio debet eſſe publica & per Judicem Eccleſiaſticum. Et licet in textu non habeatur, quod debeat eſſe trina, colligitur tamen ex alijs juribus in ſimili. In ſimilibus enim una lex declarat aliam. Nec locus ſententiæ aliquorum, qui ſimilia jura auferentia, vel limitantia privilegium clericale, utpotè odioſa Clericis, & reſtrictiva juris magis communis, quo integrum privilegium omnibus convenit, volunt intelligenda eſſe tantùm de Clericis minoribus. Hìc namque expreſsè dicitur Sacerdotibus, & Clericis tuis denuncies publicè, ne miniſtri laicorum fiant, &c.

3 Huic textui conjungunt aliqui *cap.fin.de vit.& honeſt. Cler.* ubi habetur, Clericos ſæcularibus negociationibus intendentes tertiò ab Epiſcopo commonitos non gaudere privilegio clericali, ſeu potius (nam illud non dicitur expreſsè) ſtatutis & conſuetudinibus laicorum ſubjacere, quibus in favorabilibus frui volunt in cauſis ſuarum negociationum. Ex utroque autem textu inferunt, in quibuslibet ſæcularibus negocijs Clericum poſt trinam monitionem excidere ab exemptione Eccleſiaſtici fori. Ita Carolus de Graſſ. *de effect.Cler.eff.*1.*nu.*846 qui ait, hanc opinionem, ſcilicet quod indiſtinctè Clericus ob ſæculare negocium expolietur privilegio clericali, eſſe tenendam, Ambroſin. *de Immun.cap.*17.*nu.*33. Farinac. & alij apud eum *de Inquiſ.quæſt.*8.*nu.*93. Alij inferunt, quod iſte Clericus amittat privilegium fori, non generaliter & in omnibus, ſed tantùm in cauſis illius negocij. Alij tandem, ut Bonacina *cap* 15. *Bull.Cœn pun.* 6.*n.*14. pro ſe referens Molinam, Suarez & Coninchium, quod nullum perſonale privilegium amittatur, ſed tantùm quoad res & bona.

4 Sed revera *in d.cap fin.* non eſt ſermo de omni, ſed nec de aliquo negocio ſæculari, ſicuti in *cap.2.Ne Clerici, vel Monachi*, ſed tantum de negociatione, ſeu mercatura, ut patet ex contextu, præſertim ex illis verbis *in negociationum ſuarum quæſtibus*. Et notavit Anfrer. *de poteſt laic. in Eccleſ.regul.*1.*fallent.*16 *num* 24. & alij. Et Doctores apud Delbene *de parl.dub.*4.*ſect.*10.*ſubſect.*2.*nu.*5. tenent Judicem laicum in Bulla Cœnæ excommunicationẽ incurrere, ſi trahat Clericum ad ſuum tribunal, & ſi eum trahere intendat prætextu officiorum ſæcularium, quæ Clericus exercuit. Quia Bulla generaliter loquitur, & ſolùm excipit caſus in jure expreſſos. Et quia licet Clericus nequeat officia ſæcularia ſine Superioris ſui diſpenſatione ſuſcipere *d.cap.2.Ne Clerici, vel Monachi*, nihilominus privilegium clericale retinet, & exemptus eſt à laica poteſtate, *cap.fin de vit.& honeſt Cler.*

Itaque tenendum eſt, non poſſe, Officium enim non ponit ſubjectionem in exempto, atque adeò nec dat 5
juriſdictionem Principi. Quia cùm aſſumitur ad tale officium adminiſtrandum, cenſetur aſſumi citra præjudicium exemptionis. Nam cum exemptio non ſit privilegium ſingulare perſonæ, ſed ſtatus, quandiu perſona manet in illo ſtatu, & eſt de genere exemptorum, manet etiam exemptio, cui per officium, ut quid ſingularis perſonæ non poteſt præjudicari. Ita etiam docent, ſed alijs rationibus innixi Duard. *in Bullam Cœn.lib.*2.*can.*15.*quæſt.*11.*num.*25. Megal. *par.*3. *inſtit.lib.*3.*cap* 1.*num.*26.*&* 32. Bonacina *diſp.* 10. *de leg. quæſt.*2 *pun.*1.§.1.*n.*24. Ambroſin. *de Immun* 32.*cap.*20.*n.* 54 Squillan. *de privil.cler.cap.*7.*dub.*3.*num.*87. Carol. de Graſſ. *de effect Cler.eff.*1.*num.*8. Zanard. *p.*3.*direct.cap.*50. Cochier 82. *de juriſd. Ordin.in exempt.to.*2.*p.*3.*q.ult.nu.* 1.*&* 2. Alex *conſ.*98 *vol.*2. Ricc. *in prax.par.*3.*reſol.*105. *num.*1. Dian *p.*1.*tr.*2.*reſol.*19. Thom.de Ben. *de parlam. dub.*4.*ſect.*20.*ſubſect.*2.*num.*5. & facit *l. Si quis ad declinandum, C. de Epiſcop. & cler.* Pragmat. Regia Regni *Cathal.poſ. in* 2. *vol. Conſtit. ſub tit. de coſas probib. alos Clergues*, ubi aſſignatur ratio, quia non poſſunt poſteà Clerici puniri per Regem, ſi delicta in officijs committerent, & fuit in hoc Rex adeò cautus ut *in* 2. *pragm.* ordinaverit, quod propterea antequam iſti, de quibus dubitari poteſt, an privilegium clericale habeant, provideantur officijs laicalibus, ſi de ijs providendis tractetur, doceant, & docere debeant publico documento, ſe eſſe merè laicos, & de juriſdictione ſæculari, ne contingat, quod contigiſſe Neapoli Duci de Alcala Proregi refert Vincent. Franch. *dec.* 479. *num.*3. Cùm enim ſine hac diligentia quidam officio fuiſſet proviſus, poſteaque in eo deliquiſſet, ac propterea voluiſſet Prorex eum punire, fuit ab illo deluſus, quia allegavit privilegium clericale, ob quod oportuit eum remittere ad Judicem Eccleſiaſticum, de quo vehementer, inquit Franchus, Prorex doluit, & conqueſtus fuit, cùm crediſſet illum fuiſſe laicum, nec aliàs providiſſet.

Quia nimirum officium ſæculare collatũ Clerico non 6
extrahit ipſum à gradu, atque adeò nec ab exemptione, ſed ſequitur conditionem perſonæ, & immunitatem ipſius, ſicuti ſequuntur bona. Immò & à fortiori, quia exercitium officij eſt quid perſonale & adhæret perſonæ inſeparabiliter, cùm cõſiſtat in proprijs actionibus ipſius. Unde judicare de exercitio officij, eſſet exercere juriſdictionem ſupra propriam perſonam Clerici.

Non obſtat, quod Clericus acceptans officium ſæcula- 7
re, cenſeatur conſentire in juriſdictionem ſæcularem. Tum quia non poteſt Clericus conſentire in Judicem laicum, cùm hoc ſit in præjudicium ſtatus, *cap.Inſolita* 11. *qu.*1.*& cap.Placuit, de for.comp.* & docent communiter Doctores. Tum quia exemptus non poteſt in aliquo exemptionis privilegio renunciare, cùm hoc ſit præjudicium Superioris, ut notant Abb *in cap.Cum tempore, de arbitr.in fin.* Sylveſt. *v Exemptio, num.*10. Archid. *in c. Conqueſtus num.* 49.*quæſt.*3 *de for.comp.* Bald. *in l.Si quis ex conſenſu, num.*8. *C.de Epiſcop.aud.* Surd. *conſ.*47.*nu.* 24. & Rota *in Gandaven. Monaſterij* 29. *Aprilis* 1641. *coram Cardinali Panzirolo.*

CON-

## CONSULTATIO XXVIII.

*An committat contra prohibitionem accedendi ad Moniales cauſa colloquendi cum illis, qui ad ipſas ſcribit litteras?*

1 NEgant Navarrus *conſ. 16. de ſent. excomm.* Sanchez *lib. 6. mor. cap. 16. num.* 117. Rodriquez *tom. 1. quæſt.* 45. *art.* 3. Tambur. *de jur. Abbatiſ. diſp.* 25. *quæſt.* 8. §. *ad* 6. Diana *p.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 48. §. *Nota qua* 10, Pelliz. *de Monial. cap.* 5. *ſect.* 5. *num.* 218. alijque apud ipſos. Moventur ex communi illa regula, quæ habetur *l.* 1. §. *Hæc autem verba, ff. Quod quiſque juris*, ubi dicitur quod verba cum effectu intelligenda ſunt. Quæ regula in præſenti caſu non habet locum, ſtante quod ſcribere literas, non eſt idem ac loqui, ſed quid omnino diverſum, ut conſtat.

Et quidem cùm per nuncium, aut epiſtolam quis propriè non loquatur, *l. miles ad ſororem ff. de leg.* 2. Baldus, & alij permulti *in l.* 1. *ff. de verb. oblig. & l.* 1. *ff. de legib.* tradiderunt legem quæ ponit cum proſcriptis, quos nunc, bannitos vocamus, ne cum monialibus loquentem, admittentes nuncium, vel epiſtolam, non extendi. Etenim prohibitus à lege actum facere, ſi per nuncium faciat, legem non offendit, unde legis pœna coercendus non eſt, *l. quod ſæpè*, §. *Si quis amico ff. de acq. poſſeſſ.* Idem quoque ſi ſcripto faciat, nam nec Doctor, cui poſtulatio interdicta eſt, conſilium de ſcripto præſtare prohibitus intelligi debet, Bartolus *in l. Paulus* §. *fin. ff. de legat.*

2 Verùm, hac ratione non obſtante, contraria & affirmativa ſententia mihi arridet. Nam quamvis ſit extra controverſiam, quòd per nuncium, aut per epiſtolam quis propriè non loquatur, *d. l. Miles ad ſororem, ff. de leg.* 2. Bald. & alij permulti *in l.* 1. *ff. de verb. oblig. & l.* 1. *de legib.* Coraſ. *lib. miſcell. cap.* 24. *num.* 1. Goedd. *de contrah. & commit. ſtipul. cap.* 3. *num.* 190. Scribere enim & loqui in rei veritate tantùm differunt, quantum organa ipſa, manus ſcilicet & lingua.

Tamen quoad demonſtrationem mentis ejus, qui ſcribit, aut loquitur, non tam realis, quàm verbalis videtur hæc loquendi ac ſcribendi differentia. Immò eadem in loquente & ſcribente eſt ratio, ut accuratè oſtendit Ferdinand. Vaſquius *de ſucceſſion. tom.* 1. *lib.* 2. 15. *requiſ.* 16. *nu.* 55. Anton. Hering. *de fidejuß. cap* 9. *num.* 29. In tantum ut Imperator Leo *in nov.* 26 *Ut Eunuch. adotar. poſſeſſ. in fin.* dixerit, eum, cui vocis uſus ademptus eſt, quæ linguæ munia ſunt per manum adimplere, & qui ſermonem labijs fundere nequit, per ſcripturam ad ordinandas res ſuas procedere non prohiberi.

4 Eſtque controverſiæ omnis expers, non minus valere quod ſcriptura, quàm quod ligua nuncupatur, aut vocibus lingua figuratis ſignificatur, *l. Non figura, ff. de oblig. & act.* Quod in utramque partem tractatum quoque reperitur apud Vran. *in cap. Ex literis, extra de teſt. in addit. lit. B.* quo remiſiſſet ſat eſt.

5 Unde dicimus, quod is, qui ſcribit, loqui etiam videatur, per §. *Supereſt, v. Loquamur, Inſtit. de act.* ubi notant Gomeſ. & Benincaſa *num.* 28. *text. in epiſtola inter claras, C. de ſum. Trin.* Et per litteras loqui dicimus *cap. ubi periculum*, §. *nulli de elect. in* 6. *l. Licet, ff de conſtit. Princip.* Idque cõfirmat textus *in l. hæredes*, §. 1. *v. Sua voce, vel literis ff. qui teſtam. fac. poſſ. l.* 1. § 1. *v. Sive per epiſtolam, ſive per nuncium, ff. quod juſſu, l. Obligari*, §. *ult. ff. de act. tut. l. Cum pater*, §. *Cum donationis, ff. de leg.* 2. *Novell.* 44. *in præf. v. Quæ charta loquebatur*, docetque Roman. *in l.* 1. *ff. de verb. oblig.* ſcribentes, & nuncium mittentes comprehendi, cùm in ijs eadem, quæ in loquentibus ſit ratio, ex qua, tametſi in lege expreſſa non ſit, quia tamẽ unica reddi poteſt, proculdubio argumentamur, Acc. *in l. quamvis C. de fideic.* Alia autem ratione cùm hujuſmodi hominibus non poteſt dici vetitum colloquium, quàm ne adverſus rempublicã, cujus proſcripti, transfugæ, & alij id genus homines hoſtes ſunt perpetui, *l.* 3. §. *fin. ff. ad leg. Corn. de ſicar.* aliquid flagitioſi homines moliantur. Ex hac igitur ratione producenda eſt, & declaranda legis municipalis diſpoſitio, *l. milites, ff. de re milit. l. his ſolis C. de revoc. donat.* Neque enim leges tam in verborum forma, quàm in ratione conſiſtunt, *l. Scire leges ff. de legib.*

Quamvis autem ratio ſtatuti in loquente major videatur, propterea quod multa ſint, quæ nec nuncio, neque litteris credere audeamus, non tamen ideò ceſſabit extenſio, *l.* 2. §. *ex his*, ubi Socin. *in pr. ff. de verb. oblig.* maximè cum verſetur favor Reipublicæ, *l. quis in gravi* §. *utrum ff. ad ſyllan.*

Ex quibus Doctores decidunt, quod in pœnalibus diſpoſitionibus vetitus loqui cum aliquo, etiam epiſtolam ad eum mittere prohibeatur, *Clem. Si ſummus Pontifex*, juncta Gloſſa *de ſentent. excomm.* Gloſſ. & DD. *in cap. Conſtitutione, eod. tit. in* 6. Sic & cum bannito, aut inimico Domini loqui prohibitus, intelligitur quoque ad eum ſcribendi literas, aut nuncium mittendi, facultate privatus, Coraſ. *lib.* 1. *miſcell. cap.* 24. Arnon. *in com.* 191. Schrader. *in tract. feud. p.* 4. *cap.* 5. *num.* 35 Non ſecus enim is crimen læſæ majeſtatis contrahit, qui epiſtolã aut nuncium ad hoſtem mittit, quàm qui ore tenus cum eo ſermonem habet, *l.* 1 ibique Bartol & Angel *ff. ad l. Iul. majeſt.* Cæpol. *conſ.* 17. *nu.* 30. Gig. *de crim. læſ. majeſt. ſub rubr. qual. & à quib. crim. læſ. majeſt. commit. q.* 21. Laudenſ. *in tract. eiſdem argum. q.* 2. 6

Pari etiam ratione, cui cum Cardinalibus in conclavi loqui prohibitum eſt, eidem quoque literas ad ipſos ſcribere non eſt permiſſum, *d. cap. Ubi periculum*, §. *Nulli, de elect. in* 6. Vanquell. *in Breviar. ſuo concl.* 4. & 5. ubi dicit, quod loqui prohibitus, non poſſit ipſum viſitare per nuncium, nec etiam ſcripto, eò quòd hæc ſint paria, *text. in cap. Ego enim, de jurejur.* Et probat Vincent. Corat. *deciſ.* 91. *nu.* 7. & 8. Et Clericus, qui matronarum domicilia intrare, & fœminas alloqui prohibetur, ſi nuncium, aut epiſtolam mandet, deponitur *can. Clericus* 81. *d.* Immò Epiſtola eſt procacior lingua, quia non erubeſcit, eòque deteſtabilior eſt loquutio per ſcripturam, quò eſt magis deliberata, & Studioſa, *l.* 1. & *un. C. de famoſ. libel.* §. *Injuria, Inſtit. de injur.* & in ſpecie tradit Avendagn. *de exeq. mand Reg. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 17. Quare in hoc caſu non ſumus in extenſione, ſed in comprehenſione legis, ut diximus alibi, tomo primo. 7

Et quidem loqui & ſcribere formaliter differunt, cùm in illo interveniat articulatus ſonus in canna pulmonis natus, in hoc minimè, Cœl. Rhodig. *lect. antiq. lib.* 16. *cap.* 14. *in fin.* ſed effectu & reipſa non differunt, uti paulò antè allegatus Vaſquius quoque ſentit. Immò non plus eſt diſcriminis, quàm ſi dextera, vel ſiniſtra alicui pecuniam adnumeres, utrobique enim numerata erit. Ut proinde quoque epiſtolam, vicarium os, & ſubſidiariam linguam non inconvenienter dicere liceat, non aliter ac legem dicimus mutum Magiſtratum, aut Magiſtratum legem loquentem, Gædd. *de contrah ſtipull. cap.* 7. *concl.* 10. *num.* 149. 8

Atque ex his eliditur quod pro contraria ſententia daducebatur.

Cæterùm bona fide, & ex cauſa juſta ſcribentes, vel etiam nuncium mittentes exiſtimat Socin. *in d. l.* 1. *ff de verb. obl.* ſtatuto contineri, cùm Jul. Paul. dixerit eum dumtaxat numero hoſtium habendum eſſe, qui malo conſilio, & proditoris animo patriam relinquit, *l. cum autem*, §. *capitalem ff. de ædil. edic.* ut quæ ex voluntate, & propoſito delicta metiatur, *l. Verum ff. de furt.* Propterea legimus mulierem quendam, amatorio poculo hominem occiderat, Areopagitis abſolutam, delictum ex animo dumtaxat judicantes, quia amoris cauſa fecerat, nos ultimo ſupplicio dantem afficeremus, *l. ſi quis aliquid*, §. *qui abortionis ff. de pœn.*

Verùm enim verò quandoque publicè defendimus, ex juſtiſima etiam cauſa ſcribentes, aut nuntium mittentes ſtatuti pœna afficiendos, cùm lex verbis delictum exprimentibus non utatur, ſed merum & nudum factum puniat. Unde illud tantùm inquirendum eſt, an factum ſit, non quomodo, *l. Cum ſervus ff.de verb.oblig.* Et hæc lex eſt, cui qui non obedierit, morte dignus eſt 1.*Reg.*13.*cap.*2.*de major.& obed.* tametſi res fraude geſta non ſit, ſed benè, & aliquo Reipublicæ commodo ceſſerit.

Quo circa Heren. Modeſt. *l* 3. §. *in bello ff. de re mil.* eum, qui in bello rem à duce prohibitam, fecit, aut mandata non ſervavit, capite puniri voluit, etiam ſi res benè ceſſerit. Idcircò laudatur Titus Manlius Torquatus, qui cùm eſſet Conſul filium ab eo ſpeculatum hoſtes miſſum ea lege, ne pugnaret, ſecuri percuſſit, quod hoſtem, à quo tamen provocatus fuerat, occidiſſet. Laudavit item Cyrus magnoperè militem, qui cùm in acie ſtrictum jam enſem in hoſtem eſſet infixurus; audito interim claſſico præcepto, iſtum cohibuit, intactum hoſtem dimittens.

Juverit etiam prædicta & ſententiam noſtram præclarum L.Domitij factum. Is cùm Prætor Siciliam regeret, & ad exturbanda latrocinia, quibus provicinia vaſtabatur, edixiſſet, nequis telum haberet, paſtor venabulo aprum magnitudinis eximiæ confodit, aperque ad Prætorem adlatus eſt, qui ſtatim adduci ad ſe Paſtorem, cujus manu occiſus erat, juſſit, eundemque veritate cognita, crucifixit, non propter confoſſum & interemptum aprum, ſed quia mandatis minimè obediens fuiſſet, ut qui telum habuiſſet.

## CONSVLTATIO XXIX.

*An pactum, conſenſus, ſive pollicitatio nuda inducat actionem?*

THeologi prolixè hac de re agunt, & pro negativa, &
1 affirmativa ſententia plures rationes proponunt, itaut vix quicquam firmare auſim, adeò diverſa non modò apud ipſos, ſed in ipſorum orationibus reperiuntur, de quibus nonnulla diximus in noſtro Breviario theologico morali *v. Promiſſio.* Quoniam verò hæc quæſtio eſt ardua, & utilis pro utroque foro, ideò non pigebit eam juridicè hic agitare.

Et ſanè initio negativè reſpondendum eſſe videtur per
2 regulam, quod pactum nudum, ſtans in nudis & meris terminis, ſeu finibus placiti, non pariat actionem per textum in *leg. Iuriſgentium*, §. *ſed cum nulla, ff.de pactis*, ubi Doctores, & *in l. Legem, C.eod.* Gloſ. 1. *Inſtit.quib.mod.re contrah.oblig.* Borch.*de pact.cap.ult.num.* 1.Afflict. *dec.* 120.*num.*2. Oſaſch. *dec.*2. *num.*3.Pruchm. *conſ.*19.*num.*58.*tom* 1.

Hujus rei rationem hanc ponunt Juriſconſulti, quod
3 lex civilis non aſſiſtat pactis nudis, & conventionibus innominatis, *l.Iuriſgentium 6.ff.de pact.l. Cum propinas, l Legem, l.Si cer.is annis, C.eod.l.Si major 36.C.de tranſact.l.Diviſionis, ff.famil.herciſc.l.Lecta, ff. de reb.cred. & ſi cert.pet.* Unde & nuda dicuntur. Ubi autem lex non aſſiſtit obligationi, quantumvis naturali, ibi non poteſt naſci obligatio jure civili efficax, hoc eſt, quæ poſſit ad agendum; nam actiones omnes juris civilis ſunt, *l.*2.§.*his ligibus, ff.de orig.jur.* Bart.*in l.Ex hoc jure, ff.de juſt.& jur.*

4 Vbi igitur jus commune in conventione deficit, ibi ex ea actio civilis naſci non poteſt, Baldus & Doctores *in l.Si unus* 27. §.*pactus ne peteret, ff. de pact. per l. Licet* 42.§.*Ea obligatio, de procurat. l. Si pupilli 6.§. videamus, ff. de neg. geſt.* Quod autem lex non aſſiſtat his conventionibus eò factum volunt, ne promiſcuè & quadam incogitantia temerè prolatis verbis quis obligetur, ut ſæpe numerò plura oſtendendæ benevolentiæ cauſa pollicentur homines, quàm ſeriò præſtare velint, §. 2. *v. Cæterum ſit, ut plerumque ſermonibus fieri ſolet, dixit, & c. Inſtit.de milit.teſt.* Hinc & communiter dicitur, verba honoris non obligare. Ex ijs igitur promiſcuè obligationem & actionem oriri valdè fuerit iniquum, & injuſtum; Bart. *in l.*1.§. *Si quis ſimpliciter, ff. de verb. oblig.per text. in cap.Cum veniſſent,* ubi Canoniſtæ, *in inſtit.* Angel.Caſtr. Socin. & Doctores *in rubr. de verb. oblig.* Latiſſimè omnium Andr. ab Exea *in tract.de pact.num.*170.*cum ſeq.* Wveſemb. *paratit. ff.de pact.num.* 9.

Itaque & Plato in libris de Republica eadē ratione nō
vult obligationes ex promiſſis promiſcuè induci fortè in 5
familiari ſermone, aut convivio factis, ſed tum demū cùm in foro, ubi contrahi ſolet, contractus ſeriò celebrantur, ne ſcilicet nimium conſtrigatur libertas oris, & ſæpè imprudentes in laqueos incidant, ſi ex quovis dicto temerè fortaſſis prolatos, homines obligentur, *d.*§.2.& § *pen.Inſtit.de milit.teſt.* Hinc eleganter tradit Nicas *in* §. *Planè, nu* 4.*Inſtit.de teſt.mulit.* quod verba jocoſa, verba cauſa diſciplinæ dicta, item propter amorem, vel affectionem, ut ſi quis dicat: *Tu eris filius meus.* Similiter verba ex amicitia dicta, ut dicendo: *Omnia mea tua ſunt*, quæ communiter ſunt verba curialia, aut dicendo: *Ego ſum tuus.* Item verba commendatoria alicujus in epiſtola, non obligant. Cui adde Alciat. *in parerg. lib.* 2. *cap.* 12. dum ſcribit, non ex omnibus verbis induci obligationē, ut ſunt verba adulationis cauſa dicta, prout fit ab Aulicis. Item verba jactatoria, lubricum linguæ, commendatoria, verba calore iracūdiæ prolata, aut nimia alacritate in balneo, vel convivio effuſa: & ibi ponit ænigma de muliere loquace, quæ tamen præter linguam nihil meretricium haberet, quod in triclinio fuerit Coa, ideſt, coitum petens, in cubiculo verò Nola, ideſt renuens, vel negans. Vide quoque Simon.de Præt.*conſ.* 44.*num* 8 *cent.*3. Vbi tradit, verba generalia, dicta animo blandiendi, ſperandi, oſtenſiva affectionis & dilectionis, reſpicientia futurum, oblativa, jactatoria, & pollicitoria potius quàm obligatoria non obligare ſcribentem, ad quod allegat *d.cap. Cum veniſſent, de Inſtit.* & ibi notata per Doctores *in l.Obligationum ſubſtantia*, §.*fin.ff.de act.& obligat.* cum pluribus allegatis ibi videndis.

Nihilominus affirmativa ſententia ſanior eſt. Primò 6
quia æquitate canonica pactum nudum, hodie non minus quàm veſtitum ſervandum eſt per textum *in cap.* 1. *de pact.* ibi. *Pax ſervetur, & pacta cuſtodiantur.* text. *in l. Statuas, ff.de acq.rer.dom.& in cap Qualiter eod.tit.* ubi ait Summus Pontifex, ſtudioſè agendum eſſe, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur, Gloſſ *in l. Quintus, ff.mandati*, ubi habetur, quod verecundia ſit alicui negare, quod promiſerit pacto nudo. Et quod pactum nudum ex definitione juris cononici actionem pariat, teſtatur Gloſſ.*in d. cap.*1. *extr. de pact.* quam ibidem poſt Innoc.Goffred. & Hoſtien.ſequuntur Imola num.9. Panorm.*num.*2.Felin.*num.*5 poſt Butr.Gemin.& alios multos ibi adductos, Fortun.Garſ.*nu.*30.Eman.Soar.*in theſaur.comp.opin.v.Pactum*, ubi hanc ſententiam communem teſtatur, Paul.de Caſtr. *in l.*7.§. *Sed cum nulla, ff. de pact.num.*3. Alex. *num.* 9. Alberic. *num.* 15. Jaſ. *num.* 5. ubi ſimiliter communem appellat, Bald. *in cap. Ad hæc num.*16. *de uſur.* Socin. *in l. legem num.* 2. Dec. *num.*11 *C.de pact.* Archid. *in cap.Iuramenti* 22.*q.* 5. Roman. *in l.*2.*ff.de verb.oblig.* Alciat. *in cap.Cum contingat num.* 137. *extra de jurejur.* Corn. *conſ.* 2.*num.*2. Tholoſan. *ſyntagm. jur. lib.* 21. *cap.* 3. *num.*7. ubi dicit, hanc naturalem obligationem ex nudo pacto ortam fovere jus divinum, ac proinde hodie ex bono & æquo, ſummaque poteſtate Curiarum pro hujuſmodi pacto judicari; eò quòd ubi de periculo animæ agitur ſanctionibus eccleſiaſticis adhærendum ſit.

Quod ipſum etiam nominatim in ſcripta retulit Saly- 7
cet. *in l.Placuit, C.de jud.* Idque eo magis dicendum eſt, quod inter ſimplicem loquelam & juramentum Deus nullam conſtituat differentiam, *cap.Iuramenti* 22.*quaſt.* 5.& *cap. Quoque ſuffragio* 6. *quaſt.* 2. & voluit Gloſſ.

*in cap.*

in cap. 1. de pactis. Quare iure Pontificio ; quod potiſſimum nunc uſu ſequimur, per omnia, ut reliqui contractus ad agendum conditione ex canone firmum eſt, atque efficax] d. cap. 1. ubi Doctores ; præcipuè Curt. num. 10. de de pact. Dummodo ab idoneis perſonis ſine dolo, metu, de re licita conventum ſit, l. 7. § Ait Prætor 3. l. 8. 9. 10. 11. cum ſeq. ff. de pact. l. 3. l. 6. 22. 23. & 25. C. d. tit. Covar. in relect. c. Quamvis 2. §. 4. num. 14.

8 Deinde ex traditione Doctorum, expreſsè ſcribentium, quod pactum etiam nudum per Principem cum ſubdito, aut cum hoſte ſuper inducijs, & pace initum valeat, & producat actionem, ut docuit Baldus d. c. 1. num. 11. de pact. Iaſ. in l. in l. Iuriſgentium, §. ſed cum nulla, v. 32. ff. eod. Idem l. lecta, v. 12. ff. ſi cert. pet. & in l. Quoties, num. 7. C. de rei vendic. Marſil ſingul. 48. Cremon ſingul. 25. Duegn. reg. 16. Exea de pact. num. 364. Aſin. plures allegans prax. Iud. §. 3. cap. 26. num. 8. Tum, quòd verba Principis maioris ſunt vigoris, & efficaciæ, quàm hominum privatorum, ideò inania eſſe non debeant, l. Digna vox, C. de legib. Lum. quod coram Principe, & in his, quæ ipſe gerit, attendatur ius gentium, non ius civile per tradita Aſinij loco alleg. n. 8. ad fin. Conſtat autem ex pacto, iure naturali, ſeu gentium naſci obligationem naturalem, quæ illo iure ſit efficax, l. 1 l. Iuriſgentium 7. §. 1 ff de pact. l. legem 10. l. Bonæ fidei 13. C. eod. Vnde & Vlpian in l. 5. ff eod. ait, congruum eſſe humanæ fidei, hoc eſt, iurigentium, ſeu iuri naturæ, quod ipſum humanum Livio vocatur, pacta ſervare. Si igitur humano iure pacta ſervanda ſunt, certè eodem iure efficacia fuerunt tam ad agendum, quàm ad excipiendum. Hæc enim vis eſt verbi ſervare, cùm ius ſervari quid iubet, ut pluribus declarat Panorm. in d. cap. 1. num. 2. 4. & 5. de pact. Sic & Iuriſconſultus in l. In ijs 5. §. Imperator, de ſolut. diſertè ait, ex pacto naturaliter deberi, hoc eſt, iure gentium, l. Cùm amplius 84. de reg. iur. Et quia pacta conſenſu & conventione conſtant, ex qua iure gentium obligatio exiſtit, l. 1. in fin ff. de pact. l. 1. in fin. de contrah. empt. l. Si non ſortem 26. §. Libertus ; l. Frater à fratre, ff. de condict. indebit. Ideò & per conſequens etiam illo iure actio, ſeu petitio naſcitur Panorm. in cap. Dilecti de iudic.

9 Nihil autem refragatur adducta initio dubitandi ratio, quod ſcilicet nulla ex nudo pacto detur actio, quia, ut ex dictis patet, iure Canonico, quod hac in re ſequimur, contrarium ſtatuitur, idque obtinet in omni foro, ubi ex æquo & bono, & ex ſuprema poteſtate iudicatur, ut ſunt Curiæ ſummorum Principum, Arbitratorum, Mercatorum, & ſimilium, Bartol & Doctores in l. 7. §. Quinimò, ff. de pact. & in l. Si fideiuſſor 29. §. Quædam, ff mandati.

10 Etſi verò variè controvertatur inter Iuriſconſultos, an in reliquis Curijs, in quibus ſecundùm ius civile pronunciatur, ius Pontificium obtinere debeat; tamen communiſſima eſt opinio, & ita uſu obſervatur, ut indiſtinctè ex pactis nudis ſeriò, & deliberatè initis, etiam in foro civili hodie detur actio, Bald. & Salyc. in l. Petens 21. C. de pact. & in l. legitima 6. in prin ff. pact. Iaſ. qui dicit eſſe communem d. l. 7. Sed cum nulla num. 4. Quod & ipſe verius putat, & ſequendum ſtatuit Tholoſan. d. cap. 3. num. 7. ubi etiam Modeſtino Iuriſconſulto placuiſſe dicit, nudum conſenſum ſufficere obligationi, cap. 1. & 2. de oper. nov. nunc. Nam eiuſmodi pacta cùm obligent naturaliter, & ex æquo ac bono, l. 1. in princ. ff. de pact. l. 1 de conſtit. pr. ſequitur eum, qui pacta non ſervat, contra naturam, conſcientiam, atque adeò contra officium boni viri facere ac peccare, ut volunt Canoniſtæ, mortaliter, Gloſſ. in cap. 1. de pact.

11 Et certè D. Paulus ad Roman. 1. 31. eos, qui pacta non ſervant in illis numerat, qui capitaliter delinquunt. Eſt autem definitum inter Doctores, ut quotieſcumq; agitur de cavendo peccato, deque cauſa conſcientiæ, toties etiam in foro civili ius Pontificium debeat obſervari, d. cap. 1. & 2. ubi Doctores de oper. nov. nunc Caſtr. in Auth. At qui ſemel num. 3 & 4. C. de probat. cum ſimilibus, Vveſemb. in parat. ff. de pact.

## CONSULTATIO XXX.

*An Poteſtas laica poſſit imponere collectas rebus Eccleſiaſticorum?*

Sententiam affirmativam his rationibus laici tueri poſ- 1
ſunt. Omnia, quæ intra territorij Principis ſepta continentur, in fide & patrocinio illius eſſe opinione præſumuntur, cap. Omnes Baſilicæ 17. q. 1. Canoniſtæ plerique in cap. Nimis, de iureiur, Alciat de præſumpt. reg. 2. præſumpt. 20. num. 1 de Hier. Monte tract. fin. regund. cap. 30 61. 62. & 83. Gabr. lib. 1. com. opin tit. de probat. concl. 9. Menoch. lib. 3. præſumpt. 100. Maſcard. concl 270. Boſs. tit. de Princip. n. 333. Avendan. de exec. mand. lib. 1 cap. 1. Franciſc. de Claper. cent. fiſc. cauſ. 15. quæſt. 2. Valaſc. de iur. emphyt. quæſt. 8. Choppin. de doman. lib. tit. 9. num. 9. num. 2. Lancell. in templ. Iud. lib. 1. cap. 6. Azeved. lib. 4. conſtit. Hiſpant. tit. 15 leg. 1. num. 57. Brun. conſ. 34. num. 5. Ruin. conſ. 22. lib. 1. & conſ. 13. num. 8. lib. 4. Roland à Valle conſ. 9. num. 17. vol. 2. Cravett. conſ. 615 673 882. 949. Marant. conſ. 105 num. 8. Natt. conſ. 313. num. 3. & conſ. 501. num. 31. 506. num. 30. Oldrad. conſ. 176. Dec. conſ. 528. Schurf. conſ. 26. num. 1. vol. 1. Mynſing. conſ. 16. num. 35. Anchar. conſ. 142. Weſemb. conſ. 42. num. 3. Pariſ. conſ. 15. n. 9. lib. 1. Curt. iun. conſ. 158. num. 24. & 184. num. 8. Pacian. conſ. 3. num. 47. Afflict. dec. 269. num. 5. Capyc. dec. 180. num. 7. Franc. Marc. deciſ. 542. num. 4. p. 2. Anton. de Amat. dec. 116. num. 13. Cavalc. dec. 28. num. 1. p. 1. Concordant cum ijs, quæ eleganter tradit Covar. in repet. 2. cap. Poſſeſſor malæ fidei, §. 10. n. 5. de reg. iur. in 6 ubi ſcribit, quod iure communi Reges ſint patroni Eccleſiarum ſui Principatus per tradita Archidiaconi in cap. Lectis 63. diſt. Bald. in cap Quanto, de iud. col. ult. & in proœmio Rex pacificus col. 2. Corſet. in tract. de excell. Reg. q. 34. neque ſine ratione, Guido de Bayſio in d. c. Lectis, Franc. Marc. dec. Parlam. Delphin. q. 1024. n. 11. Schurf. conſ. 72. num. 10. cent. 1. Cævall. ſpec. com. opin. contra com. to. 4. q. 897. num. 379. ubi ſimiliter cum Covar. alleg. de Rege Hiſpaniæ hoc teſtatur.

Quare ex hoc infertur, Principes interdum ad defenſio- 2
nem Eccleſiarum in ſuis Principatibus ſitarum triplici vinculo obligatos eſſe. Vno qua Principes; Altero qua Eccleſiarum Advocati. Tertio qua eaſdem Patroni ac Collatores ſunt, quia ſemper illis, qui ex conſtructione, dotatione, & fundatione, vel alio titulo iuſpatronatus Eccleſiaſticum habent, onus defenſionis, ne bona illius Eccleſiæ dilapidentur, incumbit, cap. filijs 16. q. 7.

Sic etiam regulariter ſub territorij dominio veniunt 3
omnia iura in eo exiſtentia, & Dominus territorij fundatam habet intentionem in omni ſuperioritatis, & iuriſdictionis iure, ita ut omnia, quæ continentur ſub finibus ſui Imperij, ſubſint eius iuriſdictioni, Alciat. reſp. 12. num. 11. in princ. lib. 3. Valaſc. loco alleg. quæſt. 8. num 21. & ſeq. Ioan. Amic. conſ. 25. nu. 28. poteſtque eiuſmodi iura Princeps intuitu ſuperioris & univerſalis feudi & dominij exercere in omnes ſubditos tam mediatos, quàm immediatos, Claper. dec. cauſ. fiſcal. cent. cauſ. 15. q. 2. n. 77. Coppin. q. 48. n. 2.

Talis enim protectio, defenſio, & cuſtodia bonorum, 4
ac perſonarum generalis, præſertim iuris & facti, de potioribus iuribus iuriſdictionis, & ſuperioritatis dicitur, Plat. in l. fin. C. de erog. mil. annon. lib. 12. Chaſſan. in catal. glor. mund. p. 5. num. 195. Bartol. tract. de cuſtod. clau. à n. 54. Vnde ſoli Principi, vel ei, qui iura Principis obtinet, talis protectio de iure competit, ut aſſerit Menoch. caſ. 338. de arb. Iud. num. 3. Æralb. de privil. & iur. Reg. Franc. num. 39. & 40. Boer. deciſ. 179. à princip Et quod talis protectio ad Dominos univerſales qui omnem iuriſdictionem, & ſuperioritatem habent, pertineat.

dicit Bartol. d. tract. de cuſt. clav. num. 54. Capyc. dec. 27. num 4. & ſeq. Boer. quæſt. 304. Roland. conſ. 18. vol. 3.

5 Hunc in modum de iure communi, quoad Eccleſias ſuæ diœceſis intentionem quidem fundatam, quoad jus ſuperioritatis, habere Epiſcopum, docet Menoch. lib. 6. præſump. 72. num. 1. non autem quoad ejuſdem juris poſſeſſionem, ſcribit Abb in cap. Olim. inter, extr. de reſtit. ſpol. eodemque ſenſu Butr. in cap. Cum ad ſedem, num. 28. & d. cap. Olim inter, eod. in jure duntaxat, non in poſſeſſione, quæ plurimum facti habet, Epiſcopi præſumptionem fundari tradit. Generaliter enim à titulo ad poſſeſſionem non valet illatio, arg. l. naturaliter, §. Nihil. commune, de acquir. poſſeſſ. Bart. in l. Celſus, ff. de uſu cap.

6 Atqui regulariter collectæ præſtantur ob protectionem, & tuitionem, & eis de debentur, qui præſtant protectionem, ut tradunt Vultæus tom. 3. conſ. 35. num. 45. Nevizan. in ſylv. nupt. §. Et ut melius, num. 160. Idemque velle videtur Gryphiand. inter diſcur. Arum. 26. volum. 1. theſ. 87. ubi ſcribit, collectatum & tributorum præſtationes ſubditis incumbere in recompenſationem protectionis, quàm à Domino percipiunt. Quod etiam ſentire videtur Vuhener. obſerv. pract. ubi ex communi praxi atteſtatur, hæc eſſe correlativa, quorum ea eſt conditio, ut poſito ac debito uno, ponatur ac debeatur & alterum, arg. Gloſſ. in clem. un. v. Æternaliter, de ſum. Trin. & fid. cathol. Polit. in tract. vulg. ſubſt. num. 53. Tiraquell. de utroque retr. p. 1. §. 9. gloſſ. 1. num. 3. & 4. Quodque de uno dictum eſt, de altero quoque dictum eſſe cenſetur, l. ult. C. de ind. vid. toll. & l. un. C. de cupr. lib. 11.

7 Verùm nos, his non attentis, contrariæ deciſioni, communi Doctorum ſuffragio ſtabilitæ ſubſcribendo, Eccleſiaſticorum bona à Principe collectis eiuſmodi nulla tenus gravari poſſe definimus. Iura, & Auctoritates adduximus to. 1. Nunc addimus & rationes. Idque ex eo manifeſtum eſt, quod Princeps non poſſit collectas exigere, niſi de bonis, in quibus habet iuriſdictionem, tradente Bartol. in l. un. C de mulier. num. 34 ubi dicit, quod civitas non poſſit collectas imponere pro rebus, quæ ſunt extra territorium, arg. l. ff. de iuriſd. omne jud. & per alia ibi per eum adducta. At protectio, ſive patronatus nec iuriſdictionem, nec collectandi poteſtatem tribuit, cap. Ex parte 18. de privil. Menoch. conſ. 32. num. 29. lib. 1. Eveth. lib. 1. conſ. 55. num. 64. Quod & in literas retulit Sixtinus iuriſconſultus famoſiſſimus in tract. de regal. lib. 2. cap. 14. num. 103. licet ius protectionis & patronatus tantum ſit & tam efficax, ut protectores armis etiam & vi contra injuriam aliorum, & vim maiorem defendere poſſint, ac debeant eos, quos in tutelam, & protectionem receperunt, Vulgat. l. Deſertorem §. fin. in fin. de re milit. Bart. in procem. ff. in princ. col 3. Schurf. conſ. 23. num. 1. & 2. cent. 3. Sixtin. eo loco. Id diſertè tradit Vuehner. ſuperius adductus, qui allegat ad hoc Plat. in l. 1. C. de excuſat. mun. lib. 10. & ibi Bartolus. Vnde nec protectorem pœnas, aut mulctas à clientibus exigere poſſe, docet Panorm. in cap. Accepimus num. 3. ubi Addit. v. Recceptio, de privil.

8 Ut maximè enim mulctæ & pœnæ aliud non ſunt, quam ipſa iuriſdictio, arg. l. 66. in fin. de iur. dot. & l. 8. §. fin. de per. & com. rei vend. Et hinc denegata iuriſdictione, hæ ſtatim denegandæ videtur. Sunt enim fructus juriſdictionis, eamque ſequuntur leg. un. pr. ff. ſi quis ius dic. non obtemp. Surd. conſ. 152. num. 2. Dec. conſ. 40. n. 3. vol. 4. Menoch. conſ. 604. num. 38. Roland. à Valle conſ. 78. n. 8. lib. 2. Natt. conſ. 580. num. 15. Chaſſan. in conſuet. Burg. rubr. 9. §. 18. num. 38. Tiraq. de retract. conſang. §. 5. gloſ. 4. num. 8.

9 Cum igitur collectæ imponantur ratione iuriſdictionis in perſonas, quæ principaliter ratione rerum obligantur competentis. Princeps autem nec in perſonam, neque in facultates Eccleſiaſticorum ullam habeat iuriſdictionem, per ſe manifeſtum eſt, nullam ei competere collectandi facultatem, Caſp. Kloch. de contrib. theſ. 26. Natt. conſ. 636. num. 78. Decian. lib. 1. conſ. 41. num. 41. ubi iuriſdictionem vocat fundamentum collectarum vol. 2. Eo quòd ſtatim ubi iuriſdictio in eſſe producta eſt, publicarum functionum fructus, cenſus ſcilicet, & tributa producere ſoleat, eleganter Thomat. de collect. init. num. 6. Schurf. conſ. 59. num. 26. cent. 1. Loſæus de iur. univ. p. 3. cap 9. num. 2. Garz. de expenſ. cap. 12. num. 64. Tiraq. de iur. primog. quæſt. 69. num. 7. Kloch. ubi ſupra concl. 6. Gaill. obſerv. 54. num. 5. lib. 2. omninò videndus. Hinc tributum huiuſmodi ideò penditur, ut quandam ſubiectionis teſſeram habeant Magiſtratus.

10 Quæ ratio aliam pleniorem producit ex perſonis Eccleſiaſticorum. Conſtat enim per collectarum impoſitionem ſecreta rei familiaris ad eum, qui collectatur, pertinentis, detegi. Siquidem pro modo facultatum, & viribus patrimonij collectæ imponi debeant, leg. 1. C. de de mun. patrim. l. 2. C. de annon. & tribut. l. Omnes, C. de oper. publ. ibi: pro viribus, l. 8. C. de exact. trib. Bart. ad l. un. C. de ſuperind. & Fachin. conſ. 11. num. 34. vol. 1. Rolan. à Valle conſ. 66. num. 11. vol. 1. Tap. in in rubr. cap. 4. num. 43. Claper. cent. fiſcal. cauſ. 4. quæſt. 1. num. 4. & Bald. in l. 1. §. Quod ſi nemo, ff. quod cuiuſque. At verò inhumanum eſt, protectori, ad quem hoc non pertinet, permittere, ut ſecreta domus perſcrutetur, cùm admodũ grave ſit vel rei familiaritatem, ac utilitatem detegi, vel divitias eius invidiæ ſubijcere, l. Quoſdam de metal. l. meminimus, C. & quando, & quib. quart. pars, lib. 10. §. Conceptum, inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc. & ibid. Mynſing. in ult. addit. v. Cum enim requiſitio. Ex quibus infertur, durum & iniquum eſſe, protectoris ac patroni curioſitati bona Eccleſiaſticorum ſervire debere.

11 His inſuper accedit, quod ius imponendi, & exigendi gabellas, ſivè collectas arguat imperium, & ſubiectionis qualitatem, per quas ius territorij fundatur, cap. Si tributum 11. quæſt. 1. cap. Illud 10. quæſt. 3. cap. Tributum 23. quæſt. 8. l. Nulli 27. §. Quod in via, C. de Epiſc. & Cler. & habetur in l. vectigalia, C. de vectigal. Sic docet Bald. in cap. 1. de pace ten. Ita etiam cenſent Canoniſtæ in cap. Super quibuſdam, §. Præterea, de verb. ſignif. & ſequitur Soccin. ſen. conſ. 187 num. 3. Nec imponi, niſi ab habentibus iuriſdictionem, author eſt idem Soccin. in princ. d. conſ. teſtem ad id laudando Bartolum in l. Præſcriptum, §. ult. ff. de mun. & honor. Roſenthal. de feud. cap. 5. concl. 73. num. 5. Pancirol. conſ. 119. num. 64. Monter. deciſ. 13. Maſcard. de probat. concl. 946. num. 5. vol. 2. Hinc collectarum impoſitionem pendere à ſubiectione, dixit Flamin. de Rub. conſ. 1. num. 621. atque ab exactione collectarum deprehendi, locum, vel villam ſolventem collectas eſſe de territorio, ſeu iuriſdictione civitatis, cui ſolvit, reſpondit Alex. conſ. 35. num. 4. vol. 4. Thomat de collect. in princ. num. 6. Gutier. 3. quæſt. civil. 15 num. 20. Quod ipſum teſtatur Vultæ. conſ. 35. nu. 14. vol. 3. ubi ſcribit, cum collectæ impoſitio ſit fructus juriſdictionis, imponi non poſſe, niſi ab eo, qui juriſdictionem habet allegans ad id Salyc. in l. Neminem, C. de Sacroſ. Eccleſ. Alberic in l. Imperium, ff. de iuriſd omn. iud. Alex. in addit. ad Bart. in l 1. C. de ſuperexact. lib. 10. Brun. conſ. 29. num. 9. vol. 1. Idemque ſequuntur multi alij ita, quidem quod exactio collectarum ſine juriſdictione ſubſiſtere nequeat, non ſecus atque effectus ſine cauſa, ut quàm effectus ſine cauſa eſſe & produci nequit, tam collectarum impoſitio non poſſit fieri & in eſſe produci, niſi ſubſit juriſdictio. Quare neceſſariò ex eo quod ius imponendi collectas, juriſdictio eſt, infertur, eas imponi non poſſe, niſi ijs, qui juriſdictioni imponentis ſunt ſuppoſiti, ideſt ſubditis, per doctrinam Bart. in leg. un. C. de mulier. quam ſequitur Alex in lib. 4. §. actor, ff. de re iud. & conſ. 52. vol 5 & conſ. 78. vol. 6. Adeò ut ſicut collectarum exactio juriſdictionis, arg. l. 6. §. fin. de mun. & honor. Ita earum ſolutio ſubiectionis ſit teſſera, Bruning. de var univ. ſpec theſ. 27. lit. A. Vultæ. tr. feud. lib. 1. cap. 5. nu. 7. Mynſing. decad. 11. reſp. 1. n. 97.

Weſemb.

Weſemb.*conſ.*27.*n.*24. *& conſ.* 45. *num.*8. Anguiſol.*conſ.*5. *num.*1.*vol.*7.Natt.*conſ.*185.*n.*4.Cravet.*conſ.*195.*nu.*1. Menoch.*conſ.*32.*num.*30.*&* 70.*& conſ.*983.*nu.*26.Tiraquel.*de iure primog.q.*69.*nu.*7.Strigon.*ſing.*23.*in fin.*Garz. *de expenſ.cap.*12.*nu.*64.Petra *de fideic.q.*12 *num.*164.*&* 168. *&* 392.*&* 405 *cum ſeq.*Coppin.*lib.*1.*de morib. Pariſ.tit.*3.*fol.* 108.Et quamplurimos congerit adſtipulatores Loſæus *de iur. univ. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 2. Diaz de Men. *pract. qq. q.* 21. *n.* 1.

12 Quia igitur non collectantur niſi ſubditi, ſubiectionem ſatis manifeſto evincit collectarum exactio, *l. reſcripto* 6.*§.fin.ff.de mun.& honor.l.*2.ubi Luc. de Penn. notat *num.*1.*C.in quibus cauſ.colon.&c. lib.* 11. Io. Bonifac. *de furt.§.*4*nu.*24.Becc. 73.*conſ.*73.*nu.*9. Et ſubiectionem, vel è diverſo ius ſuperioritatis potiſſimum probari ex iure collectandi, tradit Bald. *in l.*3.*num.*4.*C. de nat. liber.& in l.data opera numer.*28.*C.de his,qui accuſ.non poſſ.*Felin.*in cap.Cum Bertoldus,num.*28 *extra de re iud.*Marſil.*in rubr. num.*276.*C.de probat.*Nellus *tr.de teſtib.nu.* 138. Maſcard. *de probat.concl.*946.*num* 1.Ruin.*conſ.*2.*num.*2.*vol.*4.Natt. *conſ.*672.*num.*1.*& ſeq.*Cravet.*conſ.*662.*num.* 10. Brun.*inter conſ.feud.diu conſ* 34 *n.*16.Mandel *conſ.*62.*n.* 3. Sicut ècontra, ceſſante eiuſmodi onerum impoſitione, ſubiectio quoque ceſſat, ut idem operetur propoſitũ in propoſito, quod oppoſitum in oppoſito, *l fin.§.fin.de legat.*3. Alban. *conſ.*335.*num.num.*5.*lib* 2. At verò Princeps nullam in Eccleſiaſticos habet iuriſdictionem, nec Eccleſiaſtici ſunt illius ſubditi, ut ſexcentis authoritatibus probat Delbene *de Immunitate*, ita ut pudeat non ſolum locos adducere, ſed etiam hac de re dubitare.

13 Præterea fulcitur hæc ſententia communi Doctorum traditione tenentium, forenſes ab onere collectarum præſtandarum regulariter eſſe immunes, ut teſtatur Roſenthal. *de feud. cap.*5.*concluſ.*8.*lit.B* ubi multos conſentientes, adducit, niſi conſuetudo, ſtatutum, vel privilegium eorum expoſcat ſubſidia, Cloch. *de contrib. concl.* 28 vel cataſtrum, publicave utilitas collectationi eoſdem ſubiuget, idem *concluſ.* 29 At verò Eccleſiaſtici ſunt inſtar forenſium reſpectu ſubditorum Principis, Ergo ad collectarum onus non tenentur.

14 Neque refragantur his rationes initio adductæ. Quod enim dicitur ob protectionem, atque tuitionem præſtari collectas, id verum eſt, reſpectu Magiſtratus ordinarij protegentis ſuos ſubditos, non defendentis alienos, ut ſunt Eccleſiaſtici, & clarè docetur à Vultæ. *vol.*3. *conſ.* 35.*num.* 145 ubi dicit, collectas & contributiones ob hanc cauſam dominis ſuis præſtari à ſubditis, quod ab illis defendantur & protegantur, itemque ipſis ius, & iuſtitia adminiſtretur. Quod ipſum diſertè etiam ſcribit Nevizan. *in ſylv. nup. d. §. Ut & melius num.* 100 quem allegat, & ſequitur Univerſ. Lipſ. *conſ.* 36. *num.* 11. *& ſeq.* Nec extructio & fundatio Eccleſiarum ullum Patronis & Collatoribus proprietatis dominium tribuit, *cap. Omnes* 16. *qu.* 7. *& cap.*8. *de exceſ. Præl.* Abb. *in cap.* 6. *de iurepat.* Modeſt. Piſtor. *conſ.* 43. *num.* 17. *vol.* 1 Weſemb. *conſ.* 43. *num.* 1. *part.* 1. Duar. *de ſacroſ. Eccleſ. min. lib.* 5. *cap.* 4. ſed ſervitij duntaxat imponit ſollicitudinem, *c. Piæ mentis in fin.* 16. *qu.* 7. Neque ex ſolo Patronatus iure Patrono aliqua competit iuriſdictio, Cotman. *reſponſ.*34.*num.*20. Is enim Eccleſiæ à ſe fundatæ defenſor tantùm, non dominus fit, *arg. cap.*23. *de iurepat.* Bald. *in l. fin. C. de edict. D. Hadr. toll.* Duar. d. *loco*, & poſt Hoſtiẽ. Butr. & Panorm. Doctores communiter. Unde Principes protectores non magis ius habent dominij, vel iuriſdictionem in Eccleſiaſticos, quam auxiliari milites Reipublicæ, cui inſerviunt, aliquod nanciſcuntur in eandem dominium, notante Tholoſ. *de Republ. lib.* 11.*cap.* 11.*num.*6.

15 Quod autem perſonæ Eccleſiaſticæ neque ab ijs, in quorum ſunt protectione, neque etiam ab illis, in quorum degunt, & bona habent territorio, collectis gravari poſſunt, habetur *l.* 5.*C. de ſacroſ. Eccleſ. Auth. Item nulla, C.de Epiſc.& Cler.cap.*4.*de Immun.Eccleſ.*& tradit Sixtin. *de regal.lib.*2.*cap.*14.*num.*107. Quodque ſint immunes à muneribus patrimonialibus, quæ ſcilicet cum erogatione patrimonij ſubeuntur, ſive ſit munus patrimoniale perſonale, quod imponitur perſonæ, non habita ratione patrimonij quantitatis, ut capitatio, pedagium, & guidagium; ſive ſit patrimoniale mixtum, quod ſolvitur, & imponitur ratione habita patrimonij quantitatis, ſive hoc mixtum onus imponatur ipſis rebus, ut vectigalia, portoria, gabellæ; ſive imponatur perſonis pro rebus, ut ſuperindictum, vel collecta, de quibus Canoniſtæ *in cap. Non minus, de immun. Eccleſ.* Petr. Antibol. *tr. de muner.p.*2. *num.*4.*&* 5. Remig. Gonni *de charit.ſubſid.qu.*61.Suar.*diſp.*23.*de cenſur.ſect.*4. *num.* 23. Bellug. *in ſpecul. Princip. rubr.*46.*§.Donum,& §. Reſtat videre, & §. Sunt & alia*, Vgolin.*in cap.*18.*Bullæ in Cœna Domini*, alijque, definitur in *d.cap. Non minus, cap. Adverſus, de Immun. Eccleſ. cap.* 1. *eod. in* 6. *Clem. un. eod. tit. cap. Quanquam, de cenſib. in* 6. præſertim in *d. cap.* 18. *Bullæ in Cœna Domini*, ubi fertur excommunicatio ſpeciatim Papæ reſervata contra imponentes collectas, decimas, taleas, præſtantias, vel alia onera perſonis, aut bonis Eccleſiaſticis, aut ipſorũ Eccleſiaſticorũ ſine ſpeciali, & expreſſa Papæ licentia, & contra eos, qui talia onera exigunt quocunque modo, vel colore, aut ea ſic malè impoſita à ſpontè dantibus, & concedentibus recipiunt, & contra eos, qui talia per ſe, vel per alios directè, vel indirectè facere, exequi, vel procurare, vel in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cuiuſcunque ſint conditionis, etiam Imperatores, vel Epiſcopi. Et ſuper his innovantur omnes Canones etiam in Lateranenſi Concilio noviſſimo editi, cum ſuis cenſuris, & pœnis.

Quod declaratur primò, ut procedat hæc execommu- 16
nicatio etiam contra imponentes, aut recipientes onera ſuper bonis patrimonialibus Clericorum, ut patet ex eadem Bulla, ibi: *ac eorum bonis*, Sayr.*lib.*3.*cap.*22.*num.*9 *de cenſur.*Suarez.*loco alleg.n.* 21.Quarant.*v.Vectigal.*Vgolin. *ſuper d. cap.*18.§. 3. eſtque communis ſententia, etiamſi non fuerint ad eorum titulum ordinati, Toler. *lib.* 1. *cap.*29 Garzias *de benef. part.* 2. *cap.*2. Filiuc. *tr.* 16. *num.*298. & Layman. *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.*6.*num.* 9. Etiamſi ſint Clerici in minoribus, ſed in habitu & tonſura incedant, Leſſius *de iuſt. & iur. cap.*33. *num.* 8. Guttier. *lib.* 1. *pact.qu.*7.Quarant.*loc.cit.ampliat.*1. & alij apud Dian. *reſolut.* 35. *&* 36. *tr.* 2. *de Immun. part.* 1. dummodo non ſint coniugati, ut Doctores *in c. Ex parte, de Cler. coniug.* Layman. *cap.* 7. *num.* 4. ex Tridentino *ſeſſ.* 23.*cap.*6 *& c. un. de Cler. coniug. in* 6. & dummodo non ſint bona negotiationi expoſita, ut *cap. fin. de vit. & honeſt. Cler. d. cap. Quanquam, de cenſib. in* 6. *& Clem. Præſenti, eod. tit.*

Declaratur ſecundò, procedat de oneribus patrimo- 17
nialibus quibuſcunque, ſive ſint onera rebus ipſis impoſita, ſive perſonis, ut pedagia, & guidagia, ut colligitur ex verbis Bullæ. Et ita docent Sylueſt. *excomm.* 7.§.77.*& excom.*32 Molin.*diſp.*670.*num.*3.*tom.*3.*de iuſt.* Alter.*lib.*5. *diſp.*19.*cap.*2.*§.Sed oritur*, Ladm.*cap.*6.*num.*2 §.9. Vivald.*ſuper cap.* 12. *Bull.num.*1. in emendatis, Vgolin *ibid.* §.1.*verſ.*3.*affi*it*, Suar.*loc.loc.cit.n.*23.

Denique declaratur, ut ſecundum veriorem ſententi- 18
am incurrant hanc cenſuram etiam exigentes onera patrimonialia ab Eccleſiaſticis nulla lege, vel ſtatuto, vel edicto impoſita, ſed propria ſua audacia, ſeu avaritia. Quod tenent Angel. *excomm.*7.*caſ.*23.Tabien. *excomm.* 5. *caſ.* 21. Sylveſt *excomm.* 9. *num.* 46. §. 21. Alter. *cap.* 3.§.2.*animaduerto*, Suar.*diſput.*21.*ſect.*2.*num.* 99. Molin. *diſp.*670.Filiuc *tr.*16.*num* 289. ſatiſque probatur ex ipſo Bullæ contextu, licet plerique velint, quod textus Bullæ videatur loqui de exigentibus impoſita, quodque exigens propria ſua audacia incurrat tamen excommunicationem *d. cap. Quanquam, cenſibus. in* 6. ſi erant onera perſonalia, ut pedagia, vel in excommunicationem *cap. Clericis, de Immun. Eccleſ. in* 6. ſi erant onera mixta,

ut vectigalia, ſeu tributa &c. de quo teſtatur Bulla Cœnæ qu. 16. pun. 1. num. 6. cum Sayro, Quaranta, Vgolino, Duardo, Vivaldo, Toleto, Suarez, Reginald & Souſa.

## CONSVLTATIO XXXI.

*Pleriſque in locis, Oppidis, Civitatibus merum imperium, & criminale eſt penes laicos, civile, & mixtum apud Eccleſiaſticos, dubitatur, quiſnam ipſorum ſit Protector ac Dominus, vocanduſque ſit verus Patronus?*

Etquidem haud præter rationem quis inclinare poſſet, ut exiſtimet Dominum, ius gladij habentem ad defenſionem hominum mero ſuo imperio ſubiectorum. Nam qui iuriſdictioné criminalem habet, Dominus eſt, habens poteſtatem & authoritatem coercendi, ac terrendi, *l. pupilli, §. territorium*, & ibi Alciat *ff. de verb. oblig.* plenè Lucas de Penna *in lib. 2. C. de exact. & executi. lib. 12. col. 2.* & habens criminalem iuriſdictionem apponit cuſtodé in territorio, veluti dignior, referente Capycio *dec.* 27. *col.* 1. cui accedit Boer. *in tract. de cuſtodia clavium col. 6.* idem *deciſ.* 227. Deinde habens merum imperium dicitur, & eſt dominus ratione præeminentiæ quam habet in homines ſecundùm Bart. *in l. Et ſi cum de public. & l. 1. §. Dominùm*, & ibi Io. Igneus, *ff. ad Syllan.* Tertiò commendat hanc eandem deciſionem, quod merum Imperium ſit nobilius, potentius, & dignius ipſa iuriſdictione, ſicut per textum *in l. Imperium ff. de iuriſd. omn. Iud.* & ex Luca de Penna deducit Boerius *d. tr. de cuſtod. clav. num.* 55. Vincent. Cabotius *diſp. de iure publ. lib. 2. cap.* 2. aſſeverans, ius animadvertendi, & pœnas irrogandi inter iura ſupremæ poteſtatis referri. Atqui iura ſtatuunt, quando concurrunt in idem nobilius & ignobilius, potens & impotens, dignius & minus dignum, nobilius, dignius, & potentius ſemper trahere ad ſe id, quod eſt ignobile, impotens, & indignum, *l. In rem actio, §. 1. & ſeq. ff. de rei vendic. & l. Cum quidam, §. fin. ff. de aur. & argent. leg.* cum ſimilibus per eundem Boerium allegatis. Sic qui exercet curam in Eccleſia, dicitur illam habere, licet bona non teneat, quia cura eſt nobilior pars Eccleſiæ, nominatim docente Io. Andrea *in cap. compromiſſa, §. 1. de elect. num. 6.* Sic & proprietas, tanquam nobilior trahit ad ſe poſſeſſionem, *cap. Cum dilectus in fin.* ubi Canoniſtæ *extr. de cauſ. poſſeſſ. l. Si acceptilata, ff. de acceptillat.* Vnde is, qui habet in toto, vel in parte Civitatis merum imperium, quod exceſſivè nobilius & potentius eſt, quàm ſola iuriſdictio, ad quod pertinet cogere, & coercere, *d. l. Imperium*, præferendus eſt in cuſtodia Civitatis, *l. Si pluribus, ff. de leg. 1.* & notant Innoc. *in cap. Ad hæc in gloſ. de offic. Arch.* cum ratione nobilitatis imperij quoad cuſtodiam & protectionem nota ipſi Domino habenti merum imperium cenſeatur eſſe ſubiecta, & etiam de proprietate imperantis potius eſt protegere & cuſtodire, quàm alterius non imperantis, ut notatur *in proœm. ff. in princ.*

2 Hanc ſententiam in terminis amplecti videtur Lucas de Penna *in l. Quicunque, C. de exact. & execut. lib.* 12. ubi dicit, quando ſunt duo Domini alicujus Civitatis vel Caſtri, quorum unus habet juriſdictionem tantùm in parte ſua, & alter merum imperium, & habens merum imperium, imminente bello, vult totam Civitatem cuſtodire, & alter habens juriſdictionem, etiam vult cuſtodire, nec patri, quod in parte ſua exerceat poteſtatem, quod tunc ad habentem merum imperium ſpectet & pertineat, totam Civitatem cuſtodire. Quantò magis igitur eo caſu id procedit, quando quis merum imperium in toto loco habet per *l. Contra pupillum §. 15. Qui ad majus, ff. de re judic.*

3 Verùm, præmiſſis dubitandi rationibus non attentis, hoc in caſu dicendum eſſe puto, ei qui jus dumtaxat gladij habet, nullam incumbere defendendi neceſſitatem, nec ipſum, invito civili Domino, Patroni jus uſurpari poſſe, Ratio deciſionis inde colligitur, quia homines illi, in quos alius merū tantùm imperium habet, ſubditi non ſunt, ſicuti nominatim docet Gloſ. *in Clem. un. §. Ejuſdem etiam, v. ſubditus extr. de for. compet.* ex qua Gloſſa ſingulariter notant Doctores, quod licet ratione delicti forum quis ſortiatur illius Principis, vel Domini, ſub quo deliquit; non tamen propterea ex hoc ejus ſubditum effici, Dec. *in cap. Ad noſtram nu. 3. de appellat. & conſ.* 661. 6. Gig. *tr. de crim. læſ. majeſt. lib. 1. rubr. qualiter & à quibus crim. læſ. majeſt. commit. qu. 68. num. 3.* Boſſ. *tit. de for. comp. n. 46.* Nam aliud eſt forū ſortiri, & aliud ſubditum eſſe, ut exquiſitè obſervat Gail. *de pignorat. cap. 15. nu. 6.* docuitque Dec *conſ. 264. num. 9.* Gozad. *conſ. 49. num. 13.* Alex. *conſ. 157. num. 3. cum ſeq. vol. 1.* Ita in ſimili vaſallus ſortitur quidem forum ratione feudi coram domino feudi, *text. in cap. Cæterum, de Judic. cap. Ex tranſmiſſa, & cap. Verum, de for. comp.* Felin. *in cap. Licet ratione, num. 23. eod. tit.* Attamen non eſt ſubditus ejus, ſi ſub Domino domiocilium non habet. Nam feudum non dat imperium Domino feudi in vaſſallum, ſi ab eo non habet domicilium. Conceſſio enim feudi eſt contractus reciprocus inter Dominum & vaſſallum, *text. in cap. 1. de form. fidelit.* Ex quo contractu nullum reſultat imperium, *text. in Clem. Paſtoralis, de re judic.* Doctores *ibid. & in d. cap. Tranſmiſſa, & d. cap. Verum*, Gig. *d. qu. 68.* Natt. *crim 445. num. 9. vol. 2.* Boſſ. *tit. de crim læſ. majeſt. num. 106 cum ſeq.* Capyc. *dec. 162. num. 12. cum ſeq.* Roland. à Vall. *conſ. 1. num. 26. cum ſeqq. vol. 3.* Oldrad. *conſ. 43. num. 8.*

5 Quod etiam inde evidentius liquet, quia Domino criminalem juriſdictionem habenti nullum juramentum homagij præſtant, ut nuncupatim aſſeruit Afflict. *in cap. 1. nu. 18. Qualiter vaſal. jur. deb. Dom. fidel.* ubi dicit, quod illud merum imperium videatur à Rege conceſſum ſine utili dominio, ideòque ſubditi Domino civilem juriſdictionem cum territorio habenti ſubjectionem jurent, Leopold. *q.* 5. ubi ex Gylm. 2 *deciſ.* 1. aſſeverat naturali tantùm Domino, non accidentali, qualis eſt merum imperium habens, homagium præſtari. Idem diſertè ſtatuit Marin. Frecc. *de feud. lib. 2. auct. 2. poſt num. 2.* ubi dicit, juriſdictionem civilem cohærere territorio, criminalem verò eſſe ſine territorio. Licet enim merum imperium terminetur territorio, non tamen adhæret ei, ſed perſonæ id habenti, *l. more, ff. de juriſd. omn. Jud. cap. Cum contingat in fin. de for. comp.* Bart. *conſ.* 199. Felin. *in cap. Poſt ceſſionem 1. not. de probat.* Alex. Jaſ. & Purpur. *in l. 1. num. 155. cum ſeq ff. de juriſd. omn. Jud.* Quare Innoc. *in d. cap. Cum contingat, & cap. Ad hæc, de for. compet.* dicit, Archidiaconum non habentem territorium, ſed tantùm juriſdictionem, poſſe de jure canonico cognoſcere tam ratione delicti, quàm contractus. Et ipſum ſequitur Butr. *in d. cap. Ad hæc*, Bald. *conſ. 109. vol. 3.* qui loquitur in Archiepiſcopo habente juriſdictionem, ac in omni Prælato, additque Freccia, habentem juriſdictionem civilem, dici Dominum Terræ, eum autem, qui habet criminalem non dici Dominum ſimpliciter, ſed cum adjectione certæ qualitatis, ejuſque dominationem referri ad cauſas criminales, & non ad perſonas, & Terram, ac vulgariter non haberi pro Domino.

4 Unde etiam Capycius *d. deciſ. 27. num. 32.* concludit, habentem criminalem juriſdictionem non poſſe dici Dominum Terræ, & jura ab eo in contrarium allegata, loqui in eo, qui largo modo Dominus dicitur, prout ratione connexitatis vitæ, uxor etiam dicitur domina rerum viri, *l. 1. ff. rer. amot.* ratione præeminentiæ, ſeu gubernationis publicanus dicitur dominus vectigalis, *l. 3. §. 1. ff. de publ.* ratione adminiſtrationis, ſive dignitatis tutor dicitur Dominus rerum pupilli, *l. Interdum, §. Qui tutelam, de fur. l. Qui fundum, §. Si tutor, ff. pro emptore*, ratione honoris patronus dicitur dominus liberti, *l. Cum quis, §. Sejam*, ubi Gloſ. *v. Dominum*, & ibi Bart. *ff. de leg. 3.* Et tamen nemo dixerit, præfatos vocari poſſe dominos in actibus, contractibus, & com-

& commercijs, quæ per ipſos geruntur, ubi ita in terminis per Conſilium Neapolitanum judicatum eſſe ſcribit. Hinc porrò eſt, ut ſi quis uno in loco habeat juriſdictionem criminalem, alius verò civilem, ille dicatur univerſalis territorij Dominus, cui civilis juriſdictio competit, adeò ut etiam inſignia ejus, qui civili, non qui criminali juriſdictione potitur, muris, portis, turribus, apponenda eſſe interpretes Juris palam aſſeruerint. Hinc & Scipio Capycius *in addit. ad d. deciſ. num.* 45. teſtatur in Conſilio Neapolitano deciſum fuiſſe, Baronem tantùm habentem cauſas criminales in loco, cujus juriſdictio eſt alterius, non poſſe vexillum ſuum tempore nundinarum extendere in Turribus, vel alijs locis.

6 Pædicta pluribus firmat idem Freccia *auct.*47.*num.*1. ubi in cauſa Marci Antonij, filij Marini cum Domino Priore Barenſe controverſa de proprietate loci, quia ille habebat in Oppido Rutiliani juriſdictionem criminalem, Eccleſia verò S. Nicolai juriſdictionem civilem, determinatum fuiſſe teſtatur, ejus inſignia muris Oppidi apponenda, qui juriſdictionem civilem, non qui criminalem haberet, cùm illa præditus univerſalis Dominus ilius Terræ dicatur, hac verò, exceptis cauſis criminalibus, nequaquam, & ita eſt duntaxat Dominus quoad quid, oraculo Principis ſpeciali. Quoad qui autem dominium habens, ſuperioritatem ſibi aſſerere nequit, Caſtr. *conſ.*44.*num.*5.*vol.*1. Quod etiam ſpeciatim in terminis reſpoudit Surd. *conſ.*323.*num.* 38. ubi inter alia dicit, habentem merum imperium in caſu delicti tantùm, in reliquis autem non dici Dominum, nec poſſe dicere, quod ſui ſint homines. Quod ipſum etiam ex Gylmanno defendit Bidembac. *nobil. quæſt.* 3. *numer.* 8. aſſerens merum imperium, nullam ſubjectionem continere, ſed de gladij duntaxat poteſtate intelligendum eſſe. Idem regulare eſſe inter modernos ex Jacobo Butrig. *in l.*1.*ff.de offic.Præf.* docuit Roſenthal. *tr.feud. cap.*6.*concl.* 85.*num.* 10. apertè affirmans, ſi unus habeat in Pago, aut Oppido juriſdictionem civilem, inferiorem, & mixtum fortè imperium, alter verò Princeps, Comes, Baro, vel Civitas jus gladij, ſeu merum imperium, tunc jusgladij habentem in homines nullum ſubjectionis, ſive competentiæ jus habere, niſi delicto commiſſo, Theodor. Reincingh. *de regim.ſæcul. & Eccleſ.lib.*1. *claſſ.*5.*cap.*3.*num.*10. ad hoc allegans Afflictum *in d.cap. un.qual.vaſſal.jur.deb.fidel.* & propterea talem malè ſibi vendicare ſuperioritatem, aliaque jura, quia illud planè à caſtris juriſdictionis ſeparatum, ſit; è contrà verò juriſdictionem civilem ordinariam hominum loci impreſſam eſſe, ſcribit ex Affiicto, & Butrio Andr.Chnic. *comm.de Sax.non provoc.jur.v. Ducum cap.*5 *num.*33. Atque idcircò imperium merum, hoc eſt purum, dicitur, quod nullius alterius juris admixtionem habet, ut ex Feſto notavit Ferd. Vaſquius *illuſtr.contr.lib.*1.*cap.*4.*num.*2. Sicuti & merum aurum, in quo nihil ſit alterius metalli, vocavit Plin. *lib.*33.*cap* 1.

7 Præterea hanc deciſionem ſuffulcit quod ejus eſt protegere cujus eſt imperare, ut notant Doctores *in proœm. ſeu prima conſtit.ff. text. in l.* 3. *de offic.præf. vigil.* ubi Doctores, & præſertim Boer. *d.tr.de cuſtod. clav.* poſt *num.*56. ubi dicit de proprietate imperantis potius eſſe protegere, & cuſtodire, quàm non imperantis: At verò ejus eſt imperare, qui habet juriſdictionem civilem; ſiquidem imperare actum juriſdictionalem concernit, nec exerceri poteſt niſi ab habente juriſdictionem, ad quam propriè ſpectat imperium, ut & proclamationes, & editiones emanatæ, quæ naturalem, & actualem quaſi poſſeſſionem juriſdictionis probant, Cæphal. *conſ.* 458. *num.* 48 cujus exercitio juriſdictio manifeſtè evincitur, Raudenſ. *reſp.*2.*num.*241.*& reſp.*3.*nu.*55.*lib.*2. Petra *de fideic.qu.*12.*num.*401.

8 Corroboratur hæc deciſio per reductionem ad inconveniens, quod in jure vitandum, ſtatuit Legiſlator *in l. penul.poſt princip.ff. de impenſ.* & ab omni diſpoſitione removendum eſſe, ſanxit Pontifex *in Clem.*2.*de magiſtr.* Si enim jus protectionis, ſive Patronatus etiam competeret criminalem juriſdictionem habenti; tunc juriſdictionum ſpecies inter ſe facilè confunderentur, & ſic inter ipſos civilis, ac meri imperij Dominos diſſenſionis ſemina ſpargerentur. At vero per ejuſmodi confuſionem, etſi unicuique ſua juriſdictio non obſervetur, totus ordo Reipublicæ confundatur neceſſe eſt, ut ex *text.c.pervenit.*11.*qu.*1. *& in l.cum unus*, §.1. *C. de bon. auctor.Iud. poſſid.* Ex quo & ipſi etiam ſubditi Dominis ſcilicet ſuper protectionis jure contendentibus, nulloque interim eorum defendente magnis calamitatibus, ac miſerijs implicarentur. Neque enim eſſe poteſt ſocietas affectionum, ubi diſſidet diverſitas poteſtatum ſecundùm Oroſ.*v.ad augmentum.* Nec poſſunt ſubjecti eorum inter ſe diſſidentes ad Civitatis cuſtodiam couniri, *c.In nova* 7. *qu.* 26. Nam quoties res aliqua pluribus agenda committitur, dum quiſque diſſentit ab altero, diſpendijs potius, quàm utilitatibus aditus reſeratur ſecundùm Gregor. *in regeſto lib.*1.*cap.*78.

Denique hanc ipſam deciſionem confirmat Frec. *d.* 9
*auct.*47.*num.*2.*ad fin.* expreſsè dicens, Domino habenti juriſdictionem criminalem non dari aliquam ſubventionem, vel aſſecurationem vaſallorum. Unde quicunque alius aſſerens ſibi competere jus protegendi alterius ſubditos, hoc jus probare teneatur, cùm præſumptio juris transferat onus probandi in ipſum, *l. generaliter in fin.ff.de fideicomm.libert.l.ult.in princ.ff. de eo, quod met. cauſ. l.nuptura in fin.ff.de jur.dot. l.ſi chirographum, & l.cum de indebito in princip.ff. de probat. l.ſive poſſidetis, C.de probat.* Menoch. *lib.*1.*præſumpt.*1.*num.*6. Gail. *lib.* 2.*obſerv.*128.*num.*12. *& de arreſt.cap.*7. *num.*4. Myſing. *cent.*5.*obſerv.*68. Gabr. *lib.*1.*de prob.concl.*6.*num.*4. Hinc cùm hac de cauſa qui criminalem habebat juriſdictionem, omnes caſus niteretur ad ſuam juriſdictionem trahere, tanquam eſſent criminales, qui civilem juriſdictionem, eam vellet pro viribus defendere, aſſerens dictos caſus ad ſe pertinere, & Advocati hinc inde multa, atque varia in medium afferrent, recurrentes ad *l. imperium ff.de juriſd. omn. Iudic.* nunquam poſſent ponere gladium ad radicem, quantòque magis hæc materia inquirebatur, tantò magis involveretur, redderetur q; difficillima, ſuper qua varij varia ſenſere, tandẽ hæc concertatio in Regno Neapolitano quievit. Ferdinandus, quem Catholicum vocant, cùm hic caſus ex facto inter Ducem S. Petri in Galatina, provinciæ Hydruntinæ, & hoſpitale S. Catharinæ novellæ, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Montis Oliveti in Caſalibus Turris Padularum, Ara Dei, & Balneoli, Regiam novellam pragmaticam edidit cum aſſiſtentia ſui Sacri Conſilij, per quam declaravit, omnes caſus, culpas, & crimina, pro quibus pœna mortis naturalis, ſeu civilis, vel membri mutilatio principaliter infligenda non venit, pertinere ad juriſdictionem civilem. In quibus verò mortis naturalis, aut civilis, ſeu membri mutilatio principaliter veniret imponenda, ad juriſdictionem criminalem declaravit pertinere. Et dicta Regia pragmatica non habetur inter impreſſas, eſtque data in Civitate Segobienſi 15. Decembris quartæ indict. 1515. cujus eſt initium, *Ferdinandus &c.graviter coram Majeſtate noſtra, &c.* ejuſque authographum eſt apud Monaſterium Montis Oliveti Civitatis Neapolitanæ. Ita refert Arnonus *ſoliloq.* 24. qui eo tempore vivebat, ſcribebatque.

Quibus ita firmatis non obſtant quæ ſuperiùs inducta 10
fuere. Quod enim ad primum argumentum attinet, licet criminalem obtinens juriſdictionem jus terrendi, ac coercendi, & poteſtatem apponendi cuſtodem in territorio habeat; tamen ex eo non infertur, quod idcircò jus defendendi eidem competat. Siquidem jus terrendi maleficos concernat, & nonniſi commiſſo delicto competat, jus verò protegendi cum maleficis nihil commune habeat.

Secundum verò, quod merum obtinens imperium 11
à non-

à nonnullis dicatur Dominus illorum hominum, ubi ei jus gladij competit, ex prædictis decidendi rationibus facilè ſolvitur, quia tantùm eſt Dominus ſecundùm quid, & in caſu delicti, in alijs autem nullum habet in homines loci illius dominium, & conſequenter nullum etiam jus defenſionis.

12 Ad tertium reſpondetur, merum imperium eſſe quidem nobilius, & potentius reſpectu animadverſionis, ſeu punitionis corporalis in facinoroſo, in quem ſenſum rectè dixit Cabotius *d. lib. 2. cap. 5.* in imperio mero nihil eſſe gravius animadverſione in homines facinoroſos; nequaquam verò reſpectu protectionis, aut defenſionis faciendæ extra caſum commiſſi maleficij, quod per carnificem corporaliter puniendum eſt. Proinde nulla ratione conceditur, poteſtatem meri imperij extendi ad protectionem, ſeu patronatum, ſed eandem in terminis ſuæ potentiæ, nempè in maleficijs puniendis conſiſtentis, relinqui.

13 Ad quartum reſpondetur, deciſionem Lucæ de Penna quantum ad terminos noſtræ quæſtionis attinet, tanquam à tramite veritatis aberrantem ſuſtineri non poſſe. Argumentum enim de nobiliori, digniori, & potentiori ad ſe trahente minus nobile, dignum, ac potens, quo in primis ad deciſionem ſuam corroborandam utitur, id, quod extruit non concludit, quemadmodum nec aliæ ejus rationes in comprobationem ſuæ opinionis adductæ ſubſiſtunt, uti nec illud verum eſt, ut ipſe ſcribit, ratione nobilitatis meri imperij totam civitatem Domino habenti merum imperium cenſeri ſubjectam, quia ſubjectio reſpicit ſubditos, at paulò ante probatum fuit, merum imperium nullam in ſe continere ſubjectionem, niſi ratione commiſſi delicti. Si quis autem ſcire velit quantum Penna aberret à noſtro caſu, adeat Scipionem Capyc. *in addit. ad deciſ. patern. conſil. Neap. deciſ. 27. num. 7.*

14 Cæterùm præmiſſa deciſio in quæſtione adducta Patroni nonniſi civili Domino competentis, declarari poteſt, quod in defectum Domini civilis in factis quibuſdam, adverſus quæ tuitione opus eſt, etiam Dominus criminalem habens juriſdictionem, defendendo partes ſuas interponere poſſit, & debeat, ut ſi in locis, vel pagis, ubi alter habet civile, & alter merum imperium, latrones, fures, incendiarij, nocivi homines oberrent, qui ſubditis civilis Domini damna inferunt, iiſque abigendis Dominus civilis inſufficiens ſit, ſubditi contra iſtiuſmodi maleficos defenſione indigeant, eo caſu non prohibetur ſanè Dominus maleficiorum, eos conquirere, capere, atque in illos animadvertere, jubente Ulpiano *in l. congruit 13. ff. de offic. Præſid.* Nam ei congruit malis hominibus provinciam purgare, eamque pacis, quietis, & tranquillitatis pleniſſimam reddere, *l. 1. §. quies, de offic. Præf. Urb.* Quo in caſu tantum merum imperium exercens potius actum captivitatis, quàm protectionis, & patronatus uſurpaſſe dicendum eſt.

## CONSULTATIO XXXII.

*An Clerici cogi poſſint, vel teneantur ad hoſpitandum milites?*

NOn poſſunt. Ita expreſsè præcipitur *in l. 1. C. de Epiſc. & Cler.* quæ eſt Imperatoris Conſtantini, eſtque hujuſmodi: *Juxta ſanctionem, quam dudum meruiſtis*, ſcribit enim Clericis, *& vos, & mancipia veſtra, nullus novis collationibus obligavit, ſed vacatione gaudebitis. Præterea neque hoſpites ſuſcipietis*, ubi gloſſa, & Doctores. Quod in Regno Neapolitano religioſiſſimè obſervatur ex capitulationibus Caroli II. *tit. de privileg. & immun Eccleſ.* confirmatis à Papa Honorio anno 1285. & tradunt Jo. Ant. de Nigr. *in extr. de vit. & honeſt. Cleric. num. 131.* Pariſ. *de ſynd. v. Clericus, §. an apparitor*, Proſper. de Auguſt. ad Quar. *v. vectigal.* Jo. Franc. à Ponte *de poteſt. Proreg. tit. 1. §. 6. nu. 54.* Tapia *lib. 1. de jur. Regni pag 28* & proſequuntur Bonacina *de contract. diſp 2. q. 9. par. 2. num. 5.* ac Bellet. *diſquiſ. Cler. tit. de exempt. §. 3. num. 4. & 5.* alijque, præ cæteris Riccius *in prax. for. eccleſ. p. 1. reſol. 18.* ubi ex Tapia id ampliat ad parentes, & fratres habitantes ſimul cum eorum filijs & fratribus Clericis, idque ratione adjuncti juxta gloſ. in *l fin. C. de mun. & honor.* & latè tradita per Marſil. *in l. de minore §. tormenta num. 14. ff. de quæſt.* & per Carol. de Graſ. *effect. cler. 3. num. 122.* Neque magis ſi conſanguinei militum ornatæ militiæ haberent hoc privilegium non hoſpitandi in domibus ſuis ratione ipſorum militum ſecum commorantium, ut eodem privilegio debeant gaudere conſanguinei Clericorum, qui habitant in eorum domibus ſimul cum Clericis, qui gaudeant omnibus privilegijs militum juxta Gloſſam communiter receptam *in l. miles ff. de re jud.*

Rationem verò non adducunt, at nos antiquis quæſtio- 2
nibus novas rationes addemus. Hoſpitatura enim dicitur munus hoſpitis recipiendi, *l. 3. §. 13 ff. de mun. & honor. l. 10. §. 2. de vacat. l. 10. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Hoſpitia autem priſcis temporibus publicè aſſignari ſolebant, & certi erant homines, quibus hoc munus hoſpitum recipiendorum à Magiſtratu imponebatur, & cenſebatur patrimonij onus, non perſonæ, *d. l. 3. §. nos milites, l. fin. §. penult. ff. de mun. l. 16. §. angariarum, de vacat. muner. l. 1. C. de Epiſc. & Cler.* Modeſtin. *in l. 6. de excuſat.* Atqui patrimonia Clericorum ſunt immunia à quocunque onere, ut alibi demonſtravimus.

Deinde jus hoſpitaturæ, ſi cogatur quis milites hoſ- 3
pitari, infert aliquod imperium, ac cohæret ſuperioritati, ut colligitur ex ijs, quæ notat Menoch. *conſ. 302. num. 29.* ut proinde regalibus accenſeat poſt Baldum Mutius Surgens *in annot. ad tract. Matth. Ant Surgen. ad Præf. Prætor.* quem ad hoc allegat Caſpar kloch. *de contrib. p ſit. 56. in ſchol. ad eand.* Cùm igitur nulla permittatur Principibus laicis, ſive Magiſtratibus in Clericos ſuperioritas, ſeu imperium, ergo neque hoſpitatio ei cohærens.

Et quidem ſub verbis illis Bullæ Cœnæ *cap. 18. colle-* 4
*ctas, decimas, tallias, præſtantias, & alia onera*, comprehenduntur omnia gravamina ſub quocunque nomine ſignificata, ſive adiutorij, ſubſidij, ſubjectionis, ſive donativi, *arg. textus in cap. Clerici, de immun. Eccleſ. in 6.* ſive etiam onera, quæ non conſiſtunt in ſolutione, ſed in obligatione aliqua, ut eſt in ſpecie onus hoſpitandi milites, ad quod nõ tenentur Eccleſiaſtici. Quod intelligendũ eſt non ſolùm quoad bona, & domos, quæ ab antiquo erant de proprietate Eccleſiæ, ſed etiam quoad ea, quæ in dies acquirunt ſic affecta. Nam, quicquid ſit, an onus hoſpitandi natura ſua ſit reale, ut voluit Bartol. *in l. un. ſub num. 34. C. de milit.* & concederemus realia tranſire ad Eccleſiam, in praxi tamen effectum eſt perſonale. Quia non expetitur tantùm tertia, vel dimidia pars domus, idque ſine alio gravamine utenſilium, alimentorum, &c. quo pacto, & non aliter onus eſſet reale *ex l. 2. C. de met. & epid lib. 12. l. un. C. de ſalar. hoſp. non præſt.* ſed mittũtur milites ad ratam æſtimi cujuſcunque, & facultatum cum obligatione præbendi utenſilia, alimenta, &c. quo modo onus tranſit in perſonale, efficiens ſcilicet perſonas juxta res, & habet naturam collectæ, Roland. *conſ. 66. num. 1 & ſeq. lib. 1.* Theſaur. *lib. 1. qu. 93.* Gallia *conſ. 59 num. 71. & ſeq.* ac declaravit Sac. Congregatio Immunitatis in Papienſi, proponente Eminentiſs. Paulucio; nempè Clericos non teneri ad hoſpitandum milites, ne quidem propter bona, quorum titulo non ſunt ordinati. Quod etiam conſtat ex ſubjectis decretis.

Sacra Congregatio Immunitatis, &c. cenſuit, Clericos 5
gaudere immunitate ab hoſpitatione militum, etiam in bonis patrimonialibus, & pro virili. Ita in Dertonẽſi 4. Decembris 1629. & in Papienſi 10. Decembris ejuſdẽ anni, & in Capuana 20. Aprilis 1649. & in eadẽ Dertonenſi 27. Februarij

Dertonenſi 27.Februarii 1630.cenſuit,ſub nomine hæredum non comprehendi Clericos.

6 Item Eccleſiaſticos non poſſe ejici à propriis domibus occaſione habitationis militum Regiorum, ut in Aquilana 16.Aprilis 1630 & in Nullius Altamuræ 27. Aprilis 1632.

7 Ac ſub 30 Junii 1632. dedit litteras Epiſcopis Status Mediolanenſis pro tuenda libertate Eccleſiaſtica ab hoſpitatione militum.Idem decrevit in Dertonen. 27.Martii 1635.ſcripſitque Epiſcopo Bobienſi,ut viriliter tueatur Clerum ab hoſpitatione militum , ut ſub 23.Aug 1633. Item Epiſcopo Placentino ſub 29.Maii 1634.

8 Cenſuitque pariter Domos Regularium , & Monaſteriorum Monialium exemptas eſſe ab hoſpitatione militum ut in Corronen.23.Auguſti 1633.

9 Quod verò ad Clericos ſylvaticos,eos exemptos eſſe cenſuit ab hoſpitatione militum,ſi non adſit conſuetudo in contrarium,ut in Alexan.10.Maii 1633. & in Sulmon. 13.Junii 1640.

10 Neque bona Epiſcopi gravari poſſunt hoſpitatione militum,ut in Regien. 22.Januarii 1649.Immò cenſuit, Domos Eccleſiaſticorum,quanquam laicis locatas,eſſe exemptas ab hoſpitatione militum , ut in Novarien. 9. Junii 1627.

11 Sed quid ſi Dominus tranſeat per fundum feudalem Eccleſiaſticis conceſſum,ipſique ad hoc, ut negocia ſua tantò faciliùs expedire poſſit, utile, & opportunum ſit, ibi habere copiam hoſpitii ? Reſpondeo tunc vaſallus eum hoſpitio excipere , & victualia pro pretio communicare tenetur. Ita Jo.Andr. *in addit. ad Specul.*§.*quoniam,v.ſi quis id de feud.*Bald.*in l.obſervare* 4.*in princ. ff.de off.Proconſ.*idem *in l.venditor, §.ſi conſtat,ff.comm. præd* ubi inquit,quod qui alicui tenetur dare paſſum, & victualia,intelligatur pretio ſoluto.Sequitur ibidem Florian.de S.Petro *in fin.*Innoc.*in c.*1.*col.*2.*extravag.de conſuet.*Angel.*conſ* 139.*col.*2 Barthol.Socin.*conſ.* 120. *nu.*11. *in fin.vol.*, latè Jo.Cæphal.*conſ.*142. *in fin.vol.*3.Camil. Borell *conſ.*1.*num.*111.*centur.*1.Andr.de Iſern.*c.*1. *quæ ſint regal.*Matt.de Afflict.*deciſ.Neapol.*265 & Schrader. *tr. feud.p.*6.*c.*6.*n.*123. Extatque diploma Carolinum apud Regienſes anno Regni Caroli tertiodecimo,Pipini ſeptimo datum. Inde 6 Kal. Octobris Veronæ cùm ageret rogatu Geminiani Epiſcopi Eccleſiæ Mutinenſi confirmavit prædia à Regibus , ac Reginis ante conceſſa , ſimulque cavit,ne quis Judex ab Epiſcopo , aut fodrum exigeret, aut manſiones, aut paratas,aut fidejuſſores acciperet, aut homines ejus ulla ratione vexaret, atque ei plebem Gandacceti,aliaque bona donavit.

12 Hæc autem immunitas ab hoſpitio debetur Clericis etiam ſi habitent in communi,& pro indiviſo cum fratribus,nepotibus multòque magis cum parentibus laicis. Idque ne ſuſtineant incommoda hoſpitalitatis. Tenentur tamen ejuſmodi laici contribuere in pecunia,Et ita in praxi ſervari in Regno Neapolitano,ac Siculo teſtantur Molfeſ.*in ſum.p.*2.*tr.*2.*c.*22.*nu.*166. & Carol.de Graſſ.*effect.*3.*n.*127.

## CONSULTATIO XXXIII.

1 *An Canonicis,& Dignitatibus habentibus uſum mithræ ex privilegio Apoſtolico , liceat intra & extra ambitum Eccleſiæ,puta in proceſſionibus majoribus, & minoribus mithram cum velo appenſo penes ſe perferri facere?*

2 *An in proceſſionibus incipientibus à propria eorum Eccleſia,& longiùs progrediendo, quàm ſit ambitus murorum ipſius Eccleſiæ,ſit eis interdicenda mithra?*

3 *An in aliis Eccleſiis exemptis , vel non exemptis, ſive intra Civitatem , ſive intra Diæceſim licitè utantur mithra?*

4 *An ea jure utantur in Officiis , & Miſſis defunctorum,vel in diebus non feſtis,nec ubique de præcepto? &*

5 *Num ad hæc ſuffragetur conſuetudo?*

AD primum.Privilegium Apoſtolicum ſtrictè in- 1
terpretationem accipit,*c,ut Apoſtolicæ ad fin.de privil.in* 6.cum Gloſſa *in princ* Unde per ſolam mithræ conceſſionem non cenſetur conceſſum velum appenſum,vel poteſtas mithram faciendi deferre poſt Canonicos, cùm hæc non confundantur , & ſint de majoribus Epiſcopo reſervatis , egentque ſpeciali expreſſione , ut contra omnes Prælatos , inferiores Epiſcopo, habentes vel de jure , vel ex privilegio plenum uſum mithræ decrevit S.Congregatio Rituum die 27. Septembris 1659. *in princ.& in reſponſ.ad* 8.*& in fin.*Ruſus in declaratione dicti decreti ſub die 20.Julii 1660. §.*ad* 8. Haud ergo, & multò minus licebit Canonicis, & Dignitatibus, quæ ſubſunt Epiſcopo , nec habent plenum uſum mithræ. Quandoquidem pretioſa non utuntur,nec uti poſſunt,& ubi agimus de mithræ relatione poſt ſe propriè intelligitur de pretioſa,ut declaravit Sacr.Rituum Congregatio contra Capitulum Meſſinenſe die 21. Februarii 1617.

Ad ſecundum. Affirmativè. Nam inferiores Epiſco- 2
pis,habentes uſum mithræ in Conciliis ſynodalibus , & provincialibus ſi ſunt exempti, poſſunt uti mithris auriphriſiatis,aut gemmatis Si verò non ſunt exempti,ſimplicibus, & albis, ac planis tantummodo ex *d.c.ut Apoſtolicæ,* Aliàs.Abbas ; etiam exemptus extra propriam Eccleſiam mithram,& baculum deferre non poteſt , neque in proceſſionibus ex Sacr. Congregatione Concilii Tridentini.

Ad tertium. Invitatis, vel alio modo accedentibus ad 3
Eccleſiam ſive exemptam, ſive non,ſive capitulariter, ſive ſejunctim, ſive intra Civitatem,ſive extra,& in Diœceſi,videtur itidem interdicenda,S.Congregatio Rituum in decretis ſupra relatis utrobique reſpondendo *ad* 10. Ratio eſt, quia privilegium conceſſum perſonis cum adjectione loci, quale eſt hujuſmodi , reſtringitur ad eum locum, ut in terminis ſimilibus docet D. Fagnan. *in c. Cum capella n.*2.*de privil.*

Ad quartam. Gaudentes mithra ex privilegio, ea non 4
utuntur in officiis,& miſſis defunctorum, neque in diebus feriatis, ſed tantùm in ſolemnioribus, & ubique de præcepto,S.Rituum Congregatio in dictis decretis contra inferiores Prælatos,& contra Caſſinenſes.

Ad ultimum. S. Rituum Congregatio aliàs , ac ſæpè 5
reſpondit , quod poſt Epiſcoporum Cæremoniale evulgatum non ſuffragantur hujuſmodi conſuetudines,hodiè penitus abrogatæ,licèt allegaretur immemorabilis,cùm tamen verſemur in facilioribus, quia conſtat de privilegio,ut initio ſupradicti decreti ſub die 27.Septembris,& ſub 20. Julii *Ad* 4.§. *Ad* 8.§. *Ad* 11. *&* §.*ad* 17. Et in ſpecie mithrarum hujuſmodi contra Capitulum S. Michaelis Archangeli de Monte Gargano Sypontinæ Diœceſis S. Rituum Congregatio in Sypontina 1. Decembris 1657.ita reſolvit.

*Viſis,ac maturè perpenſis juribus Capituli Collegiatæ* 6
*Garganicæ ſuper uſu mithrarum ab Archiepiſcopo Sypontino ad S.Rituum Congregationem demandato tranſmiſſis,& ab Eminentiſſimo D.Cardinal. Franciotto relatis, ſacra eadem Congregatio cenſuit, Bullam Bonifacii IX. necnon ſententiam Archiepiſcopi Antonii Marulli , Dignitatibus , & Canonicis Collegiatæ prædictæ nullatenus ſuffragari. Ideoque mithrarum uſum eis interdixit,ac ſub pœnis ejuſdem S.Congregationis arbitrio prohibet. Jura tamen,quæ præter deducta iiſdem obvenerint,S.Congregationi exhibeant;ac interim à prædictarum uſu omninò ſub iiſdem pœnis abſtineant.*

Quod firmavit Rota in Sypontina Cathedralitatis 13. 7
Januarii 1659.coram Eminentiſſimo Cerro.Ponderando , quod uſus mithræ extra limites privilegii eſt indecens,& ſcandaloſus,*d.c.ut Apoſtolicæ, verſ.ne inde ſcandala,*cum Gloſſa *v.Dignitatum.*Ideò quoad velum,mithræque delationem vel poſt ſe , vel in proceſſionibus, vel in aliis Eccleſiis, & in officiis defunctorum verè carent privilegio,ut innuit idem *cap. ut Apoſtolicæ ad fin.*

ibique Gloſſa *v.permittunt*.Quod autem initio introducere non potuerunt ſine privilegio, nec tractu temporis licuit inducere conſuetudine, Rota in Oppidenſi proceſſionum 18.Maii 1646.§. *nam prima*, coram Veroſpio. Maximè ſcandaloſa ex pluribus,ſed præcipuè quod hæc exerceantur coram ſuo proprio Epiſcopo, ſive mithrato,ſive non mithrato. Idque præſertim in privilegio ex conſuetudine, vel præſcriptione non inducto, ſed in privilegio mero, adeout ejus limites prætergrediendo neque conſuetudo,neque præſcriptio ſuffragetur,ſtante initio infecto,& vitioſo,Rot.*deciſ.*136.*num.*12.*ad med.par.* 1.*rec.*

8 Atque ut omnis de hac materia dubitandi occaſio præcidatur operæpretium duxi decretum generale Sacr. Rituum Congregationis hîc attexere, quod eſt hujuſmodi.

9 *Sacror. Rituum Congregatio tollendis ac eliminandis circa Eccleſiaſticos ritus,qui irrepſerunt,abuſibus,ſedulo intenta, poſt Epiſcoporum cæremoniale evulgatum, qui quicquid ad ipſos in ſacris cæremoniis pertinet, abundè præſcripſit, idem quoad inferiores Prælatos, qui Pontificalium uſu fruuntur, præſtandum curare neceſſarium exiſtimavit, ut exceſſus aboleantur, uniformiterque inducatur ſacrorum ritus in omnibus, & præſertim tempore, quo privilegia ipſi perperam interpretantes, obtendenteſque parum obſequi ſtudent decretis pluries ab eadem S.Congregatione hac in re evulgatis, aut ipſa ignorare prætexerunt. Quamobrem omnia ſimul ut unico conſpiciantur obtutu cogere, perque capita digerere conſtituit,quò faciliùs obſerventur.*

10 *Super altari,in quo ſacra erunt facturi ſeptimum nequaquam apponant candelabrum.*

11 *Cathedram,ſeu Sedem fixam, & permanentem ln eorum Eccleſiis ne detineant,ſed tribus ipſis diebus, quibus ex antiquis decretis tantummodò pontificaliter celebrare eſt iis permiſſum,mobili ſede,ſeu cathedra utantur, quam nihilominus triplici ſericeo panno coloris feſtivitati congruentis obducere poterunt,non autem contexto,aut phrygio,ſeu baſilico opere exornato.*

12 *Baldachinum adhibere ſupra ſedem poterunt non pretioſum, aut aureum,ſed ſimplex, & eo, quod altari ſuper imponitur, materia & opere inferiùs. Ad ipſam autem per duos tantùm gradus in presbyterii ſuperficie ſtratos aſcendatur.*

13 *Non abacum alium,præter parvam menſam,& in cornu Epiſtolæ parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mithra,calix,miſſale,thuribulum,navicula, & reliqua ad celebrationem neceſſaria collocentur. Prope verò menſam eandem parieti hærens baculus paſtoralis aptetur.*

14 *Dies verò, in quibus ſolemniter ipſis operari conceditur,ſint de præcepto feſtivi,vel alii,in quibus ipſis pontificaliter celebrare feſtivitatis ratio exigat, nempè Patroni loci,Fundatoris Ordinis,Tituli,& Dedicationis Eccleſiæ. Abſtineant autem ab hujuſmedi Pontificalium uſu in officiis,& miſſis defunctorum quocunque die etiam feſtivo, & de præcepto.*

15 *Ad Eccleſiam accedentes, licet pontificaliter divina peracturi, iiſdemque abſolutis ab altari receſſuri à ſuis Canonicis, vel Monachis, utut mos eſt Epiſcoporum, nec aſſociari ſe ſinant.*

16 *Præterea duos Sacrificii miniſtros, Diaconum nempè Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, duo alii tantùm Diaconicum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum Pluviali eis aſſiſtant. Duo inſuper Capellani, qui de mithra, & baculo, ac totidem Acolythi pro candelabris inſerviant. Præterea ſex alii Canonici, vel Monachi, duo ſcilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidemque Tunicellis induti Divinis hujuſmodi intereſſe valeant, qui tamen non in ſedibus, ſeu ſtallis choralibus, ſed in ſcamnis abſque poſtergalibus panno viridi laneo coopertis,ſitu congruo accommodatis, moxque illinc removendis, conſideant.*

*Mithram pretioſam,niſi illis expreſsè à Sancta Sede* 17
*indultam non adhibeant. Sub mithra pileolum nigri tantùm coloris induant. Baculum poſtoralem albo velo appenſo deferant. Ab iiſque,& aliis Pontificalibus, etiam de Ordinariorum licentia extra Eccleſias ſibi ſubjectas prorſus abſtineant,& neque in proceſſionibus, quæ ab eorum Eccleſiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur, inſigniis prædictis utantur,vel penes ſe præferri faciant.*

*Regulares rochettum non deferant, niſi ex tali ordine* 18
*fuerint,cui indumentum hujuſmodi competat.*

*Invitati ad Eccleſiam exemptam,nec in illa Pontifi-* 19
*calibus uti valeant, nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui,vel benedicti in propriis Eccleſiis uti poſſint privilegio,perpetuis Abbatibus,vel aliàs benedictis indulto.*

*Sacras veſtes ex altari non ſumant, niſi pontificaliter* 20
*divinis vacaturi.*

*Indulgentias impartiri, vel publicare non audeant* 21
*abſque expreſſo ſanctæ Sedis indulto.*

*Pontificales benedictiones cum trina Crucis productio-* 22
*ne in Miſſis tantùm Pontificalibus,necnon veſperis, & matutinis pontificaliter licere ſibi tantùm meminerint. Privatim verò populis,quamvis pleno jure ſubjectis, niſi expreſsè ipſis permiſſum fuerit, etiam pontificaliter induti per Eccleſiam incedentes,benedicere non præſumant.*

*Præſente Epiſcopo ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ per-* 23
*miſſu, etiam pontificaliter celebrantes, à benedictionibus ceſſent.*

*Si Epiſcopus aderit, ipſius ſedes à cornu Evangelii,* 24
*uno ſaltem gradu eminentior Abbatiali,eſt erigenda,hæcque altero gradu humilior,ut dictum eſt, in cornu Epiſtolæ collocetur. A latere Epiſcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici,vel Monachi Monaſterii, & Abbatialis Eccleſiæ conſideant. Confeſſionem cum Celebrante Epiſcopus faciat, iſque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum oſculetur, & populo pontificaliter ( quamvis Abbas ipſe pontificaliter celebret ) benedicat. Epiſcopus præterea trino ductu, & immediatè Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas, niſi celebret, pariter duplici, ac ſubinde Canonici,vel Monachi abbatialis Eccleſiæ unico tantùm ductu thurificentur.*

*Abſtineant tamen Epiſcopi, ubi conſuetudo contraria* 25
*non viget, à frequenti hujuſmodi acceſſu ad Eccleſias exemptas in ſimilibus actibus,ut liberius Abbates valeant ſuis uti privilegiis.*

*In ordinationibus Canonicornm,Clericorum, Mona* 26
*chorum,necnon in veſtitionibus Monialium, & emiſſione profeſſionis earundem, etiam pleno ſibi jure ſubjectarum, in benedictionibus ſacræ ſupellectilis, cæteriſque actibus (miſſarum, veſperarum, & matutinorum ſolemniis ter tantùm in anno, ut præſertur, exceptis ) neque in Eccleſiis, Oratoriis,aliiſque locis,tam publicis,quàm privatis, quantumvis exemptis, eiſdemque Abbatibus pleno jure ſubjectis, mithram,baculum, & quævis alia Pontificalia inſignia,niſi de expreſſa Sedis Apoſtolicæ conceſſione, adhibeant.*

*Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio tantùm ſuarum* 27
*Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant.*

*Reliqua Pontificalia extra loca ipſis Abbatibus ſubje-* 28
*cta,vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant,puta Campanarum benedictiones, Calicum, & ſimilium,in quibus ſacra adhibetur unctio, necnon minorum ordinum collationes.*

*Concionatoribus, qui eorum ſubditis verbum Dei præ-* 29
*dicandi onus acceperint,benedictionem elargiri non præſumant; ſed Epiſcopis, quibus jus hujuſmodi privativè competit,omninò dimittantur.*

*In miſſis privatis,quoad indumenta, cæremonias, mini-* 30
*ſtros,altaris ornatum,& benedictionis largitionem,à ſimplici Sacerdote non diſcrepent, ac proinde ſacras veſtes induant in ſacriſtia,neque utantur Cruce pectorali, unico*

ſint

*ſint contenti miniſtro, aquam cum pelvi, & urceolo argenteo ſibi miniſtrari non ſinant, duaſque tantùm candelas ſuper altari adhibeant.*

31 *His autem Sanctiſſimo relatis, & in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, habita coram Sanctitate ſua per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Brancatium accuratè perpenſis, & maturè diſcuſſis, Sanctitas ſua ea approbavit, & pro omnimoda eorundem obſervatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapſo termino ſex menſium à die publicationis eorundem, omnes & ſingulos uſu Pontificalium gaudentes, tum ſæculares, tum regulares, quantumvis exemptos, & ſpeciali expreſſione indigentes, afficiant, & arctent, ac ſi omnibus, & ſingulis eadem exhibita vel perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent. Indulſitque præterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſint, immò debeant præfatos etiam per cenſuras compellere.*

32 *Cùmque nonnulli ex dictis Abbatibus, & Prælatis proprium habere poſſint territorium, juraque Epiſcopalia, nulliſque ſubdantur Epiſcopis, qui eos coercere, ſi exceſſerint, valeant; eo caſu à Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi aderunt, ſin minus, ab Archiepiſcopis, in quorum provinciis, vel ab Epiſcopis Romano tantùm Pontifici ſubjectis intra, vel prope quorum Diœceſis limites eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tanquam à Sancta Sede Delegatis, ad hujuſmodi decretorum obſervationem prædicti omninò cogantur. Die 27. Septemb. 1659.*

33 Verùm hac in re obiter moneo pro Abbatibus Caſſinenſibus indultum, ſeu declaratum fuiſſe iis competere uſum pontificalium in exequiis nobilium virorum pro Monaſterio Cavenſi tantùm. Item competere ipſis aſſociationem intra clauſtra Monaſterii tantùm, ac poſſe adhibere quatuor alios miniſtros ſuperpelliceo indutos, atque uti mithris ad præſcriptum *d.c. ut Apoſtolicæ de privil. in 6.* Quoad baculum verò teneri ad obſervationem decreti; ac tandem poſſe uti mithra in actu Ordinationum, & benedictionis ſacrorum oleorum cum approbatione Sanctiſſimi ſub die 12. Junii, & 20. Julii 1660.

## CONSULTATIO XXXIV.

*An Eccleſiaſtici poſſint vendere, etiam minutim panem, & vinum, aliaque hujuſmodi abſque ſolutione vectigalium, dum ea colligunt à ſuis patrimonialibus, vel beneficialibus.*

1 RESpondeo, poſſe. Habetur ex *Clem. fin. de cenſib.* ubi Clemens V. ita ſtatuit: *Præſenti Conſtitutione jubemus, ut locorum diœceſani contra eos, qui ab Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis pro earum rebus propriis, quas non negotiandi cauſa deferunt, aut deferri faciunt, vel tranſmittunt, pedagia, vel guidagia ſuo alieno nomine exigunt, vel extorquent in animarum ſuarum periculum, & eorum, à quibus ea exigunt, præjudicium, & gravamen, excommunicationis, & interdicti ſententias à jure prolatas, poſtquam de his ipſis conſtiterit, omnino publicent, vel à ſuis ſubditis, tandiu faciant publicari, donec illi ſic exacta reſtituerint, de tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerint competenter.* Idem diſponitur *in cap. quanquam 4. de cenſibus in 6.* aliiſque juribus, quæ alibi adduxi; eſtque propoſitio certa Theologorum, Canoniſtarum, & Juriſconſultorum à nemine ex Catholicis impugnata, quod Clerici, eorumque bona, ſive patrimonialia, ſive hæreditaria, ſive empta, ſive ſibi donata, ſive quovis alio titulo acquiſita gaudeant privilegio immunitatis à gabellis, oneribus, & tributis per Communitates, & Principes laicos impoſitis, ut copioſè juxta ac ſolidè firmavit Rota *in Brunduſina, & Albanen. Gabellæ* coram Pegna, & coram Buratto *deciſ. 780. num. 2.* ubi addit *litera A.* & in Barchinonen & Hydruntina exemptionis coram Cardinalibus Corrado, & Celſo *deciſ. 412. num. 3. part. 9. tom. 6 recent.* 24. Maii 1658. Idque cùm ex aliis rationibus, tum etiam ex illa, quia perſonæ Eccleſiaſticæ, & earum bona ſunt ſors, & pars Dei, Num. *cap. 3. & 18.* Paral *cap. 16.* Pſalm. 104. Matth. 17. 2. Timoth. *cap. 2.* ad Hebr. *cap. 4. cap. non minus, de Immun. Eccleſ.* Ruffin *lib. 10. hiſt. c. 2.* S. Greg. Magn. *lib. 4. ep. 45.* Bellarm. *tom. 2. controv. lib. 1. de Cler. cap. 28.* Azor. *par. 1. inſtit. moral. lib. 5 c. 12.* Anaſt. Germon. *de ſacr immun lib. 3. cap. 15.* Cujus ſunt perfectiſſimo dominio quæcumque ſunt, cùm ab eo & facta ſint, & conſerventur, Geneſ. *cap. 1. & ſeqq.* Exod. *cap. 13.* Deuter. *cap. 6 & 32.* 1. Reg. *cap. 2.* Pſalm. 17. 85. & 88. Sap. *cap. 12.* Iſai. 43. Marc. 12. ad Epheſ. *cap. 4.* Apocal. *cap. 19.* Concil. Lateran ſub Innoc. III. *cap. Firmiter, & cap. Damnomus de Summ. Trin. & fid. cath.* S. Athan. *in orat. contra Idol. & in Symb.* S. Hilar. *in Pſalm. 134* Nazianz. *orat. 29.* S. Ambroſ. *lib. 1. de fid. cap. 9.* S. Hieron. *in cap. 45.* Iſai. & *in cap. 4 ad Epheſ.* S. Auguſt. *lib. 1. de Trin. cap. 4.* S. Greg. Magn. *hom. 9. in Evang.* Atque adeò illi non eſt improperandum, nec cuidam injuria fit, ſi & pro domus ſuæ honore, atque decore, alimentiſque neceſſariis, reſervavit ſibi quædam pro iis, quos in ſortem ſuam vocavit, quouſque tanquam Principes, aut Duces in Civitatibus, ac Regnis poſuit, ut alios dirigant in viam ſalutis; vel qui ejus laudibus, & cultui eſſent ſpecialiter deputati, & pro quorum pace, ſalute, & cuſtodia debent vigilare Principes ob cultum, & reverentiam debitam Deo, à quo regnum, ac opes, & quicquid boni operis, atque honoris habent, receperunt, Geneſ. *c. 47.* Concil. Colon. *p. 9 c. 20.* Concil Lateranen. ſub Innoc. III. *c. 43* Concil. Lateran ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* Concil. Trident *ſeſſ. 25. c. 20. de reformat.* Joan VIII. *can. ſi Imperator, d. 96.* Symmach. Pap. *in Synodo III.* Romana Bonifac. VIII. *in c. quamquam, de cenſib. in 6.* Anaſtaſ. Germon. *ubi ſup. lib. 3. c. 15. & ſeqq* Azor *loc cit. & par. 2. lib. 9. c. 8. & ſeqq. & p. 3. lib. 5. cap. 19.* Cùmque bona Eccleſiaſticorum dicantur patrimonium Chriſti, Abb. *in cap. Cum ſuper, de ſepult. num. 20.* ſintque Deo conſecrata, ac eatenus vocantur bona Dominica *in can. 40 Apoſtolorum*, quemadmodum Chriſtus non teneretur de hujuſmodi rebus gabellas ſolvere, ſic ſuo modo neque Eccleſiaſtici. Unde hanc rerum immunitatem eſſe de jure divino cum ſanioribus cenſeo. Qua de re Delbene *de parlam. dub. 27. ſub ſect. 1. & ſequentibus.*

2 Ex quibus probatur, quod Eccleſiaſtici omnes quoad perſonas, & bona eccleſiaſtica, & omnia alia bona, quæ non ad negotiationem, ſed ad proprium uſum, vel proprias neceſſitates poſſident, aut vendunt, aut vehunt, non debent vectigalia, nec tributum aliquod, & ſic non tenentur ea ſolvere, & qui illa ab ipſis exigunt, incurrunt ſententiam excommunicationis, immò aliquando excommunicationem Bullæ in Cœna Domini. Siquidem qui vendit vinum, panem, oleum, aliaque ex redditibus ſui beneficii, vel ex ſuis bonis patrimonialibus collecta, non negociatur, quia dictæ res non ſunt fructus emptionis, ſed eorum poſſeſſionum, atque idcircò vectigal ſolvere non debent, Molin. *de juſt. & jur. diſp. 342. §. Idem dicerem*, & ex ipſis laicis Gregor. Lopez *libro 46. parte prima*, Mexia *in pragmat. tax. panis concluſ. 5. numer. 29.* Gutierez *de gabell. quæſt. 49. numero vigeſimo quinto*, Cutellius *de Immun. Eccleſ lib. 2. quæſt. 47. numero 11.* & alii communiter. Unde ſit regula, Eccleſiaſticos ex negociatione ſibi canonico jure non prohibita, vectigalia ſolvere non debere.

3 Et quidem non eſſe prohibitum, ſed permiſſum Eccleſiaſticis aperire, ac retinere tabernam, aut furnum, in quibus non per ſeipſos, ſed per ſuos conductores, vel miniſtros vendant vinum, aut panem proprium, eſt textus *c. ſignificante*, ubi notant omnes, præcipuè Anchar. *n. 1.* Anan. *num. 6.* Bec. *nu. 4.* Franch. *num. 24. de appellat.* ubi etiam Innoc. Andr. Hoſtien. ac proſequitur Abb. & Gemin. *in c. 1. num. 9.* ibique Franc. *col. 2.* in Gloſſ. *v. Ignominioſam, de vit. & honeſt Cleric. lib. 6.* Archid. *in cap. nulli num. 3. d. 44.* Imol. *in cap. fin. num. 14 de cenſib.* Capr. *reg. 95. n. 14.* Sylveſt. *v. Clericus n. 4. q. 6.* & Redoan. *de ſpol. q. 2. num. 47.*

Sicuti non eſt prohibitum Eccleſiaſticis molere frumentum, ut in panem redactum utilius vendant, dummodo non per ſeipſos id faciant, nec alienum frumentum, ſed proprium hoc artificio commutari faciant, Anchar. *in c.fin.n.9.de vit.& honeſt.Cler.* Aymon. *conſ.163.n.3.* Redoan *d.par.2.n.42.& 45.* Farinac *in fragm.crimin.num.172.*

4 Idque maximè inducta conſuetudine antiqua, per quam abſolutè permittitur Clericis macellum, furnum, vel tabernam exercere per alios, Præpoſit. *in d.c.ſignificante,* & Dec. *num.4.de appellat.* poſt Innoc. *ibi in princ.* traditque Genuenſ. *in prax.c.77.nu.7.* Quarant. *in Sum. Bullar.v.vectigal.colum.1.in fin.verſ. Neque ex hoc inferatur.* Quæ ſanè conſuetudo potuit habere, ac præſumitur habuiſſe juſtiſſimam cauſam neceſſitatis ad victum neceſſarium Clericorum, Imol. *in d c.fin.numer.5.* Henric.Boich. *numer.7.de vit.& honeſt.Cler.* Vitalin. *in Clem.fin.num.61.de cenſib.* Speculat. *de Cler.conjug.nu.6.* Ubi quod licitum eſt Clericis publicas tenere tabernas propter neceſſariam, & honeſtam negotiationem, Redoan. *d.quæſt.2.numer.41.& 45.ac ſeq.* Salzed. ad Diaz *in prax.crimin.c.57. colum. 2.* S.Raymond *in ſum.tit.de negoc.ſæcular.* §.2. Immò tunc liceret retinere, ac locare tabernas, & furnum, etiam pro frumento, & vino empto revendendo, Boich. ubi ſupra *num.8.* Redoan. *d. quæſt.2. num.46.* Ita tamen, ut non liceat retinere tabernas, & & furnum pro frumento, & vino empto revendendo, faciendo per ſeipſum dictam emptionem, & venditionem, ſed ſolùm per alios, illis quidem ſubminiſtrando pecuniam, & curam emendi, ac revendendi illis relinquendo, ut per Doctores communiter. Hinc Molina *d. diſput.342.num.10.* quærens, utrum fas ſit Clericis negociari per alios negocia merè lucrativa, tradendo pecunias ſuo conſanguineo, ut ipſorum loco negocietur, aut ineundo ſocietatem cum aliis, vel iis locando redditus beneficii, aut aliud aliquid, itaut ipſi totam operam, & induſtriam adhibeant, adducit Joan.Medin. qui *quæſt.20. art.2.de reſtit.* illos excuſat. Tum quia ceſſat ratio prohibitionis. Quippè cùm negociatio per alium neq; diſtrahat, neque Clerici animum occupet, & modò pecunia ad licitam tradatur negociationem, peccata, quæ commiſerit is, per quem fit negociatio, Clerico non imputantur. Tum etiam, quoniam jura ſolùm videntur prohibere Eccleſiaſtico negociationem per propriam perſonam, ut patet *ex Clement.1.de vit.& honeſt.* quæ ſolùm punit, quando Clericus per ſeipſum exercet officium macellarii, aut tabernarii. Et *in d.c.Significante, de appellat.* tamquam de re licita dicitur, Canonicos habuiſſe ſtallos publicos, in quibus carnes incidebant. Et *in Clem.1. de ſtat.monach.* licet Monachi prohibeantur per ſeipſos venari, non tamen prohibentur id per alios exercere.

5 Unde quamvis Eccleſiaſtici haberent ex ſuis fundis, unde exciperent accedentes ad tabernam, appoſitis cibis ſua opera mutuatis, tamen indecentiſſimum eſſet, Clericos, aut religioſos fieri caupones, aut tabernarios, idque illis expreſsè utatur *d. Clement.1.de vit.& honeſt. Cler.c.1.& cap.9.Trullano*, rectèque mortalis culpæ id damnat Rebellius *2.part.lib.9.quæſt.ultim.num.9.* quem tamen non audio, ſi tabernæ nomine intelligat etiam locum, in quo Clericus minutatim vinum ſuum vendat per matrem, aut ſororem, aut famulum quempiam, ſubſcribit Layman. *lib.3.tract.4.c.17.num.40.* Sed perperam id ſtatuunt. Id enim longè aliud eſt, quàm taberna, in qua vina per cauponem coempta bibantur, & cibi apparentur hoſpitibus; nec prudentum judicio ſordet, aut venditorem Clericum depreciat, ſicut faceret taberna. Et ita Gutier. *tract.de gabell. quæſt.93.num. 37.* & Gironda *de gabell.7.part.in princ.num.15.* Et quamvis idem Molina nō exiſtimet, culpam lethalem eſſe ita per alios negotiari, aliquid tamen fœditatis, atque indecentiæ in ea negotiatione invenire arbitratur ratione ſtatus, quando tamen circumſtantia, puta neceſſitatis, non adeſſet, quæ illam excuſaret. Quod etiam advertit Leſſius *lib.2. c.21. dub.1.num 5.de juſt.& jur.* Tunc etiam permittitur Eccleſiaſticis neceſſaria negociatio etiam in taberna, Gloſſ. in *c.Negotiatorem, d.88.* ſicut etiam artificium, & agricultura, *c.2.& 3 d. 92.* & ſequitur Boich. *in c.ſecundum, Ne Cler.vel Monachi, & in cap.Ex literis, num. 7.& ſeqq de vit.& honeſt Cler.* Illudque obſervat Molina, fas eſſe Clericis & Religioſis habere domos publicas, quas aliis locent vel ad carnes vendendas, vel ad alia negotia in illis exercenda, atq; unde redditus habeant. Tales autem erant ſtalli, de quibus *in d.c.Significante* eſt ſermo.

Hinc petitio laicorum ſuper prohibitione uſus furni, 6
macelli, tabernæ, & hujuſmodi contra Eccleſiaſticos, eſt omninò rejicienda. Aut enim prætendunt interdici Eccleſiaſticis jus locandi cuilibet ſibi beneviſo, apothecas eorum ad coquendum, & vendendum panem, vinum, carnes, & prætenſio eſt exorbitans atque injuſta. Quia poſſunt Clerici, habentes apothecas, ſeu tabernas deſtinatas ad uſum alicujus artis, eas locare ad illius exercitium, Archid. *in c. Nulli Clericorum nu.3 diſt.44.* qui loquitur de apotheca deſtinata ad vendendum panem, Gemin. *in c.1 de vit. & honeſt.Cler* Carol. de Graſſ. *de effect.Cler. effect.6.nu.51.* Quemadmodum etiam poteſt quilibet de populo ædificare in proprio ſolo furnum novum ad panem coquendum, cùm hic ſit actus merè facultativus, ideòque in proprio fundo per dominum liberè explicari poteſt, quamvis alteri noceat, *l.Cum eo, & l.Imperatores ff.de ſervit.urban.præd.l.Fluminum, ff.§.fin. eod.* notantque Doctores *in d.c.Significante, de appell.* Jo.Faber *in §.Æque n.20.Inſtit.de act* Roland. *conſ.22.n.20. lib.2.* & Surd *conſ 127.n,17.ac ſeqq.*

Aut verò prætendunt, prohiberi Clericis ne vendant 7
frumentum piſtori, cui furnus ab iis fuit locatus, & hoc multò minus concedendum eſt. Nam Clerici non emunt frumentum, (idem eſt judicium de vino, & cæteris hujuſmodi) ab aliis vili pretio, ut illud carius vendant, in quo conſiſtit formalitas illicitæ negotiationis *c.Ejiciens 88.d.* Abb. *in c.fin.de vit.& honeſt.Cler.* Redoan. *d quæſt. 2.num.39.* Quia qui emit, ut vendat, id agit, ut lucretur, quod eſt effectus concupiſcentiæ prohibitæ in Clericis, de quo loquuntur *cap.1.in fin. & cap.Sed nec, ne Cler. vel Monach.& 21.quæſt.3.c.1.2.& 3.& Clem.1.de vit.& honeſt.Cler.& cap.Clerici, & cap ſeq.extra, eodem tit.* Et ita intelligit Turrecremata *d.c.Negotiatorum in fin.d.88.* Sed vendunt conductori ſui furni frumentum recollectum ex prædiis patrimonialibus, ſive beneficialibus, in quo contractu nulla poteſt eſſe ſuſpicio illicitæ negotiationis, Abb. *conſ.6.in fin.lib.1.* Decian. *in c. Eccleſia S.Mariæ, num.78. de conſtit.* Cravet *conſ.6.numer.116.* Ubi quod non dicitur negotiari vendens in taberna triticum, vinum, vel oleum ſuum, *& conſ.163. num.3 volum.7.* Roland. *conſ.71.num.12.lib.4.* Graſſ *dict. effect 6.num. 33.* Nam ſunt fructus ex eorum fundo collecti, ſuntque ipſi veri ac legitimi domini illorum non per negotiationem, ſed per uſum proprii juris, quod quilibet habet capiendi fructus ſui fundi. Unde poſſunt indiſtinctè Clerici, ac quomodocumque vendere frumentum, vinum, alioſque fructus perceptos è propriis prædiis ſive ad plenùm, ſive minutim, non obſtante quacumque prohibitione laicali, ut in ſpecie tradunt Bertachin. *de gabell.quæſt.7.colum. 4.* Roland. *conſ.71. num.9. lib.4.* & inter Hiſpanos Salzedus ad Diaz *in pract.crim. c.56.§ ex quibus*, illoſque exponere publicè venales in taberna, vel alibi, prout ſibi magis intereſſe videbitur, & commodum eſt, ut per Innoc. *in d. c. Secundum,* & ibi Boich. *num.3.* dummodo id non faciant per ſeipſos, ſed per alios, Franch. *in c.un.de vit. & honeſt.Cler.in 6.* Redoan. *d.q.2.n.46.* Immò quando Clericus non poſſet aliter vendere ſuum vinum, niſi teneat tabernam, poteſt illam retinere per alios exercendam, ſi habeat, poſſitque; alioquin per ſeipſum, ut per Turrecrem. *in d.c.Negotiatorem num.1.*

9 Immò verò poſſunt,ſi id ſibi magis expediat, ex ſuo frumento per piſtores deputatos conficere panem, illumque vendere, cùm neque etiam in hoc ſubſit aliqua negociatio, ſed ſit licita venditio fructuum recollectorum ex propriis bonis, Laſſart *in c.19.n.62.& 66.* ubi quod Clerici, habentes ſalinas, poſſunt per ſuos operarios ſalem cogere, illumque vendere abſque tributo, Sylveſt. *v.Excommunicatio 9. & Excommun.*21.*numer.*46.ubi quod Clerici habentes ferri fodinas in ſuis prædiis, poſſunt per miniſtros conductos ferrum effodere, illudque vendere, itidemque panem ex ſuo frumento, vinum ex ſuis uvis, oleum ex ſuis olivis, ut rectè Molina *d.diſput.* 142. *num.*7. Et univerſim poſſunt Clerici agros proprios colere, ut fructus vendant, lapides, vel metalla ex ſuis fundis effodere, eaque in aliam ſpeciem mutare; greges in ſuis prædiis alere, ut ex fœtu, lacte, & lana pecuniam ſibi parent, vel ut ipſa animalia adulta & saginata vendant,ceu docent Medin.*C.de reſtitut. quæſt.*30.*cauſ* 2.Molina *ubi ſupra*,Leſſ.*loco allegato*, Bellettus *in diſq.Cler.tit.*1.§.21. *numero decimo quinto*, Genuenſ. *in prax.cap.*62.*numero ſeptimo*, Proſper. de Auguſt. *in in addit.ad Quarant. v.Vectigal.* Squillant.*de privileg. Cleric.capite octavo,num.*38. Alter.*de cenſur.tom.* 1. *diſp.* 19 .*lib.*5.*cap.*6.*dub.*7.Turrian.*in* 2.2.*tom.*2.*diſput.*59.*dub.* 2.Rebellius *parte* 2.*quæſt. ultim.ſect.* & 2. Marth.*de juriſd.parte* 4.*caſ.*3.*num.*9.& 10. Azor.*tom.*2.*lib.*7.*cap.*14. *quæſt.*1.Redoan.*d.qu.*2.*num.*15. quibus præiverant Gloſſ. *in d.cap.Negotiatorem* 88.*d.* Abb.*in cap.*2.*numer.*1.*Ne Cler.vel Monach.*Gemin. & Franch.*in cap.un.de vit. & honeſt. Cler.in* 6.Bertachin.*de gabel.par.*2.*qu.*7. Roland. *volum* 4.*conſ.*71.*num.*9 idem Abb.*conſ.*6.*dub.*2.*volum.*1. Dec.*in cap.Eccleſia S.Mariæ,de conſtit. col.pen.* Aym. *conſ.*163.*colum.*1.*num.*3.Tiraquel.*de nobil.cap.*28. *nu.* 10. Avendagn.*de execut.mand.Reg.cap* 19.*num.*34. Salzed. ad Diaz *d.cap.*56.*§ ex quibus*, & ipſe Cutellius *de Immun.Eccleſ.d.lib.*2 *quæſt.*47.*num.* 13. Carol. de Graſſ. *d. effect.*6.*num.*18.Idque *ex cap.Clericus,d.*91.*ex cap.Nunquam,de conſecrat.d.*5 Gloſſ. *ibidem & d.*41.*qu.*3.*init.* & 14 *q.*4.*cap.Canonum*,aliiſque pluribus, ac declaravit S. Congregatio Immunitatis & Concilii in una *Tridentina* 19 Januarii 1635 & 24 Martii 1645. & in una *Arian.* 6.Octobris 1646.& 4.Maii 1647.& 9. Februarii 1649. in una *Fundana*, ac alibi ſæpè in hunc modum. *S. Congregatio &c.cenſuit,Oratori licere terras patrimoniales, ac beneficiales per laicos colere, & pro ejuſdem culturæ uſu animalia, & pro ſuſtentatione animalium paſcua neceſſaria coemere,ipſarumque terrarum, atque animalium fœtus,ac fructus pro ſua, & familiæ ſuſtentatione vendere, nec propterea illicitæ negotiationis prætextu vexari poſſe, ac debere.* Quin quærenti in una *Tudertina* Procuratori fiſcali 17. Julii 1649.an liceat Clerico ex urbanitate exercere œconomiam agrorum alterius Clerici abſentis,illorumque fructus conſervare,& vendere abſque incurſu illicitæ negotiationis; eadem S. Congregatio reſpondit, *Licere.*

10 Et in una *Caſſanenſi* 23.Maii cenſuit,eſſe quidem permiſſum Clericis conductionem bonorum patrimonialium, & beneficiorum, eorumque culturam pro ſua, & ſuorum ſuſtentatione, non verò conductionem aliorum bonorum,niſi ex urgenti, & præciſa neceſſitate.

11 Et S.Congregatio Epiſcoporum,& Regularium cenſuit in una *Melphitana* 15.Decembris 1603. non cenſeri negotiationem illicitam mittere ad vendendum frumentum,vinum,oleum, & ſimilia collecta in proprio patrimonio, vel beneficio, & in una *Militenſi* 12. Maii 1617. declaravit,non poſſe moleſtari pro negotiis illicitis Eccleſiaſticos,qui emunt frondes mororum, ſeu celſorum pro ſerico. Quin S.Congregatio Concilii 14. Novembris 1626.cenſuit, Clericos poſſe ex urgenti, & præciſa neceſſitate frondes celſorum emere, eaſque ſubminiſtrare pro alimento vermiculorum ad participandum de ſerico. Similiter ſubminiſtrare triticum ſeminandum ad participandum de meſſe. Et 17.Aprilis 1627. cenſuit, licere in neceſſitate presbytero tutori negotiari pupillorum nomine, dummodo id non ſordidè faciat,nec cum ordinis dedecore, lucrumq; quod ex juſta negotiatione provenit non in tutoris, ſed in pupilli cedat utilitatem. idem cenſuit S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium 30.Aprilis 1627.& 11. Auguſti 1628. in una *Sulmonenſi*,& 1. Julii 1639.& 8.Martii 1641 in una *Cariatenſi*, & in una *Conſentina*,& 22.Martii 1631. in una *Bovinenſi*, & in una *Ulyſipponenſi* 16 Novembris 1618. cenſuit, Clericos conducere poſſe res Eccleſiaſticas, dummodo opera manualia per laicos exerceant.

12 Neque dici poteſt,Eccleſiaſticos aperire furnum,ſive tabernam ad æmulationem. Nam æmulatio,quæ ſapit malignitatem atque dolum,eſt probanda,alias non creditur alleganti, *l.Dolum, C.de dolo,l.Quoties, §.Qui dolo, ff.de probat.* Quinimmò præſumitur furnum ac tabernam aperire ex propria utilitate, non ut aliis noceant,Gloſſ.*in dict leg.fluminum,§ fin.ff.de ſervit.urban. prædior.*Cagnol.*in l.Nullus videtur,nu.*1.*ff.de regul.jur.* Menoch.*de arbitr.caſ.*156.*num.*9. & Surd. *conſ.*127. *numer.*19.

13 Minuſque dici poteſt, hoc exercitium Eccleſiaſticis non licere,tum quia divitias ſummoperè abhorrere debent ex Apoſtolo 1.*ad Tim.*6. Tum quia id redundat in præjudicium publicum. Tum quia ex hoc ſcandalum populis contingere poteſt, quod præcipuè evitandum eſt Eccleſiaſticis ex eodem Apoſtolo 1.*Corint* 8 & ex D. Baſilio *in regul.brevior.regul.*64. Nam etſi ditari modo illicito, aut cum detrimento populi non ſit Clerici permiſſum,id tamen modo licito, aut cum utilitate populi illicitum non eſt, ſed omni jure permiſſum,& bono fine factum omninò licitum, ut Doctores cum Innoc *in c.*2.*Ne Clerici,vel Monachi*, quos ſequitur Genuenſ.*d. c* 77.*n.*1.*in annot.*aſſerentes, Clericum poſſe ex artificio lucrari etiam ſine neceſſitate. Præjudicium verò publicum,quod prætexitur,eſt merum figmentum. Imò prætenſio laicorum tendit directè in prejudicium publicum. Nam ſi præjudicium conſideratur in ordine ad emptorem,non poteſt conſiderari in hoc caſu. Quia panis,vinum,oleũ,& alia quoad pondus & menſuram ſunt æqualia cum pane & vino laicorũ,& quoad qualitatem,ſemper ſunt meliora. Atqui annona eſt bonum publicum. Si autem conſideretur in ordine ad Magiſtratum ſæcularem, qui vult, quod ſolùm vendatur panis,& vinum in ſuis furnis,& tabernis ut ipſi majori ſit emulomento,hoc eſt commodum merè privatum, ut diſertè Diana, qui alios congerit *part.*1.*tract de Immun.reſol.*69.Menoch. *conſ.*800 *n.*30.Marth.*de juriſd.p.*4 *cent.*1.*caſ.*2.*n.*10.Bellet. *diſq.cler.p.*1.*tit.*6.*§.*3 *n* 8.Nihilque aliud eſt,niſi monopolium in præjudicium publicum, quod regulariter eſt iniquum, Reipublicæque injurioſum,eo quod Cives emere cogantur carius à Magiſtratu, cæteri verò de Republica,quales etiam ſunt Eccleſiaſtici,impediantur juſtè & commodè negociari,benignioreſque eſſe in precio aliis civibus. Quod cedit in detrimentum Reipublicæ, eſto Magiſtratus juſto pretio vendat. Quocirca meritò id de jure communi *l.un.C.de Monopol.* damnatur ſub pœna amiſſionis omnium bonorum, atque exilii perpetui. Utinam haberemus Nomophylaces, hoc eſt legum cuſtodes,qui exequerentur ſancita illius tituli.

14 Eo præſertim quia prohibitio, ne quid vendatur, niſi in taberna Magiſtratus, vel Baronis non tendit ad utilitatem publicam,& æquè concernentem Clericos,& laicos,ac proindè non comprehendit Clericos,ſicuti etiam docent Covar.*in c.Poſſeſſor parte* 2.& §.*num.* 8. *de jur. in* 6. Bald.*lib.*2.*conſ.*198.Rip.*tractat.de peſt.titul.de remed.ad conſerv.ubert.num.*122.Menoch.*lib.*8. *conſ.*800. *num.*30. Quin,ut benè notat Maſtrill. *de magiſtr.lib.*4. *capite* 18 *numero* 55.& Novarius *de gravam.Vaſal. tom.* 1.*gravamen.*74.Magiſtratus, ſive Barones id faciendo inferunt injuriam vaſallis, niſi id fortè faciant ex jure acquiſito per diuturnam conſuetudinem, quapropter

monet *num.* 3. ut contradicant in principio, ne ſibi præjudicent, ac dent jus ad favorem Baronum per ſuam acquieſcentiam. Et ut docent Graſſ. *in deciſ. tom.* 1. *lib.* 4. *capite decimo octavo, numer.* 79. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 5. *quæſt.* 4. *concluſ.* 3. *numer.* 6. ex Butrio *in cap. Super quibuſdam, de verb. ſignific. numer.* 15. Coriolan. *ibidem* & Gambacur. *de caſibus reſerv. cap.* 5. *in Bull. Cœn. numer.* 7. Barones, vel Magiſtratus id efficiendo incidunt in cenſuras Canonis quinti Bullæ Cœnæ, quia hæc eſt ſpecies cujuſdam vectigalis. Quamvis oppoſitum ſentiat Filiuc. *tom.* 1 *tract.* 16. *c* 5. *num.* 110. motus ex eo, quod talis actio non revocatur ad compoſitionem gabellarum, ſed potiùs ad monopolium. Quod etiam iniquum èſt. Neque etiam id ſcandalum eſt, niſi paſſivum, quod evitari non debet, quando ex mera hominum malitia oritur, & proptereà non ſunt audiendi, docente D. Gregorio homil. 7. in Ezech. *Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur.*

15 Ex quibus, cùm appareat, Eccleſiaſticis, ultra pacificam poſſeſſionem, in qua reperiuntur, aſſiſtere etiam jus commune, meritò ſunt in eadem confovendi. Ex prætenſa enim prohibitione uſus furni, ſive tabernæ vinariæ nedum Eccleſiaſticis adimeretur facilior modus vendendi ſuum frumentum, ſive vinum, quinimmò indirectè cogerentur illa vendere Communitati, ſive Magiſtratui ſæculari pretio viliori, ſicq; conditio Clericorum efficeretur deterior, non ſine gravi jactura Eccleſiaſticæ libertatis, quæ nec directè, neque indirectè lædi debet, *auth. Caſſa, C. de ſacroſ. Eccl. c. Noverit, de ſent. excom. c. fin. de immun. in* 6 Felin. *in c. Eccleſia S. Mariæ num.* 69. *de conſtitut.* Calderin. *conſ fin. eodem tit.* Alban. *conſ.* 8. *num.* 3. Bellon. *conſ* 43. *num.* 1. Honded. *conſ.* 3. *num.* 15. *lib.* 1. & Bulla Cœnæ Domini. Quæ autem efficiunt Clericos deterioris conditionis, quàm ſunt laici, ſunt contra immunitatem eccleſiaſticam, ut præ cæteris tradunt Felin. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut. nu.* 3. Zabarel *in cap. Pervenit, de Immun. num.* 13. Guevara *in propugn. libert. Eccleſ. aſſert.* 1. § 5. *num.* 42. Ricc. *in prax. tom.* 3. *reſolut.* 207. *num.* 7. Pechius de Amortiz. *c.* 6. Megal. *in* 3. *p. lib.* 3. *cap.* 10. *qu.* 1. *num.* 51. Valenzuel. *in defenſ. cenſur. Pauli V. par.* 3. *numer.* 168. & alii, probaturque ex *cap. Quanto, de privileg. & ex cap. fin. de immun. Eccleſ. in* 6. Et in caſu, quo non ſolùm concurrit diſpoſitio juris, ſed etiam conſuetudo longæva, nempè viginti annorum circiter, dicitur jam acquiſitum, & radicatum jus Eccleſiæ. Quod proptereà non poteſt prohiberi ſine diminutione Immunitatis eccleſiaſticæ, ut reſolvit Rota in terminis furni in una Meſſanenſi 21. Junii 1591. coram Cardin. Pamphilio, & Sacra Congregatio Epiſcoporum in una *Reatina*, & Congregatio Immunitatis in una *Civitatis Caſtelli.* Ideòque ſtante obſervantia ſubſequuta, quæ habet vim declarandi, etiamſi res eſſet dubia, *ap. Cum dilectus, de conſuetud.* Cæſar. de Graſſ. *deciſ* 1. *eodem titul.* Rot. *deciſ* 356. *numer.* 6. *parte ſecunda, div.* Clerus eſt manutenendus in ſua poſſeſſione, Bald. *in c. Conquerente col.* 1 *de reſtit. ſpol.* Aym. *conſ.* 140. *num.* 3. Afflict. *dec.* 98. *num.* 1. Quæ ſola obſervantia ſufficeret, cùm habeat vim legis, ut ſentit Dec. *conſ.* 48. *num.* 1. Gabriel. *conſ.* 161. *num.* 8. Tuſch. *concluſ.* 558. *num.* 18. *lit. C.* Ghirlenz *conſ.* 40. *num* 17. *& ſeq. & conſ.* 71. *numer.* 18. *& conſ.* 77. *num.* 13. Bellett. *diſq. cler. parte prima, titul. de exempt.* § 8. *num.* 1. Quo caſu plerique etiam ex Adverſariis aſſerunt, id certum eſſe, nec poſſe ſine peccato ſacrilegii ejuſmodi gabellam imponi, ut cum Salgado fatetur Fontanel. *dec.* 305. *num.* 26. Quod ſi aliqua ſubeſſet dubitatio, favore Eccleſiæ pronunciatur, *l. Sunt perſonæ, ff. de relig. cap. fin. de ſentent. & re jud.* Mandel. *conſ.* 8. *in fin.* Felin. *in capite quarto, num.* 104. *de conſtit.* Jaſon. *in l. filius famil.* § *Divi, numer.* 82. *& in repet. num.* 110. *ff. de leg.* 1. Decian. *conſ.* 3. *num.* 24. *lib* 3. Bellet. *loco citat. tit.* 6. § 4. *num.* 13. Maynard *de privil. contra Venet. p.* 2. *art.* 22. *num.* 61. Ac præſertim ſi inter Eccleſiaſticos, & Communitates ſæculares inita ſit tranſactio ſolvendi ſingulis de Clero certam & determinatam vini, aliarumque rerum immunitatem ita, ut non ſit amplius locus pœnitentiæ, Ludov. *dec.* 18. *n* 38 cùm tranſactio contineat exceptionem litis finitæ, *l. fratris, C. de tranſact. c.* 1. *de lit. conteſt. in* 6. Gloſſ *in l.* 1. *ff. de jurejur.*

16 Et hæc læſio eo eſſet toleratu difficilior, quia non contingeret in competentibus Clericis ex privilegio, ſed in competentibus ipſis, ſicuti cuilibet de populo ex juris communis diſpoſitione, Dec. *in d. c. Eccleſia S. Mariæ n.* 3. Alex. *in d. l. filiusfamilias,* § *Divi, n.* 12 *do leg.* 1 Carol. de Graſſ. *effect.* 2. *n.* 68. *& ſeqq.*

17 Nec minus inſolens eſt in hac re prætenſio laicorum, ut Eccleſiaſtici vendant Communitati laicæ ſuum frumentum, vinum, oleum, & hujuſmodi alia. Quia nemo regulariter, niſi in quibuſdam caſibus privilegiatis, cogi poteſt emere, vel rem ſuam vendere, *l. Invitum, C. de contrah. emp. l. Nec emere, C. de jur. deliberandi,* aliiſque juribus, quæ adducit Panorm. *in c.* 1. *de empt. & vend.* Covar. 3. *var. reſol. c.* 14. *n.* 1. Valaſch. *conſult.* 22. *n.* 1. Ant. Gomez *tom.* 2. *var. c.* 2. *n.* 51 & Molina *diſp.* 341. *à nu.* 1. Unicuique enim liberum eſt de ſuo ad libitum diſponere, *l. in re mandata, C. de mandato, l. Nullus, C. de Judic.* Nec quis cogitur rem potius uni, quam alteri vendere, *l. Dudum, C. de contrah. empt.* ac firmat Cam. *c.* 151. *n.* 1. *& ſeq. lib.* 3. Et quoniam hoc privilegium vendendi rem ſuam ad libitum, & cui quis voluerit competit etiam Clericis, eſſet profectò contra libertatem eccleſiaſticam auferre, quod de jure communi etiam Clericis competit, Butr. & Imol. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit.* ubi etiam Felin. *nu.* 19. & Fulgoſ. *in auth. Caſſa, C. de ſacroſ. Eccleſ.* Alex. *conſ.* 210 *nu* 12 *& conſ.* 211. *nu.* 7. *lib.* 2. Mand. Abb. *conſ.* 8. *n.* 2. affirmans, id procedere ſive directè, ſive indirectè Clericis auferatur, quod de jure communi reperitur conceſſum, & in hac ſententia perſiſtit etiam Covar *in regul. Poſſeſſor, de reg. jur tit. de præſcript. part.* 2. § 4. *num.* 8 & Grammat. *deciſ.* 100. *num.* 10. *ac ſeq.* Imò non ſolùm eſſet Clericis auferre, quod de jure communi conceſſum eſt, ſed prohiberetur indirectè, quod nec jure divino, vel humano eiſdem non reperitur prohibitum, quod eſt contra libertatem eccleſiaſticam, ut tradit Felin. *in cap. Noverit, de ſentent. excomm.* & Sayr. *de cenſur. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 9. Et multò minus ad id cogendi ſunt Clerici ex inſtantia laicorum, quia ſic ſubjicerentur eorum voluntati, dum poſſunt ſuos fructus vendere juſto pretio cui maluerint, illoſque extrahere ad vendendum exteris, non obſtante quacunque prohibitione, Ripa *de peſt. remed. ad conſerv. ubert. numer.* 122. Joann. de Amic. *conſ.* 18. *in fin.* Roland. *conſ.* 6. *numero vigeſimo ſecundo, libro* 4. Grammat. *d. deciſ.* 100. *num.* 15. Et quando etiam urgeret neceſſitas, deberent prius cogi laici, deinde Clerici. Unde cùm ejuſmodi pretenſio tendat ad efficiendam conditionem Eccleſiaſticorum deteriorem, rejicienda omninò eſt, tanquam injuſta, & præjudicialis eccleſiaſticæ libertati. Quod ſi edicto laicali id Clericis prohiberetur, tanquam nullum ex defectu poteſtatis, aboleri debet tam ex juris civilis diſpoſitione, *aut. Caſſa*, & ibi Cyn. & Salyc. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quàm juris Canonici, *cap. Eccleſia, cap. Quæ in Eccleſiarum, de conſtit. cap. ultim. de immunitat. Eccleſ. cap. Noverit, de ſentent. excommun.* & tradit Germon. *de ſacr. immunit. lib.* 2. *cap.* 11. *numero decimo tertio, & ſeq.* Undè nec ſub prætextu, quod Magiſtratus ſæcularis ſe offerat vendere frumentum, vel vinum Eccleſiaſticorum, ad id cogi poſſunt, cùm hac de cauſa non poſſit eis eorum jus retinendi furnum, vel tabernam auferri, neque huic oblationi aſſentiri queunt, niſi in caſu, quo Magiſtratus reciperet totum frumentum, vel vinum, aut oleum Clericorum in ea quantitate, quam ii voluerint vendere plus, minuſve, & eodem pretio, iiſque modis accommodis, quibus in ſuis furnis ac tabernis illa venderent.

18 Multòq; minus ponenda eſt vis omnis in aſſertis fraudibus

dibus Eccleſiaſticorum, dum emunt alienum frumentum, uvamque alienam, vel inferunt frumentum, vel uvam conſanguineorum, & ex iis lucrum capiunt, ac propterea deſiderant laici, ut ſaltem aſſiſtat furno, ac tabernæ Eccleſiaſticorum perſona laica. Nam primò id præſumi non debet de viris eccleſiaſticis. Ideòque non videtur hac in re quicquam ſtatuendum, niſi priùs fraus doceatur, cùm remedia non ſint adhibenda ubi morbus non eſt, neque eſt ſtandum ſimplici aſſertioni laicorum in re, quæ habet contra ſe præſumptionem. Unde ex poſſibilitate committendi fraudes non poteſt, neque debet auferri facultas, & uſus earum rerum, quæ aliàs debentur Eccleſiaſticis. Secundò, quod ſi Eccleſiaſtici in hoc deliquerint habent laici eorum Judicem Ordinarium, qui poteſt jus ſuum dicere, & delinquentes Clericos punire, ut reſpondet Rota coram Cardinale Cavaler. *deciſ.* 286. *ſub numero quinto*, & coram Cardinale Corrardo *in d. Barchinon.* exemptionis, ac proſequuntur communiter Doctores, ſpeciatim Martha, Squillantes, Salas, & Diana, reſolvitque ſæpiùs Sac. Congregatio Immunitatis. Tertiò, in caſu etiam, quo fraudes committantur non eſt dandus aſſiſtens laicus. Tum quia tractu temporis poſſet tranſire in exemplum hujuſmodi aſſiſtentia in caſibus ſimilibus, cùm non ſemper probari poſſit, quod fuerit ab Eccleſiaſtico deputatus. Tum quia indirectè hoc modo daretur occaſio deſtruendi furnum, ac tabernam Clericorum. Nam hic aſſiſtens laicus poterit tam moleſtè ſe gerere contra piſtores, & tabernarios, ut ii facilè poſſent indignari, & abſcedere à furno, & taberna, ſicque laici obtinerent indirectè, quod directè non poſſunt.

19 Quin fas eſt Clericis emere neceſſaria ad proprium, ſuorumque uſum, & vendere ſuperflua vel ex fructibus ſuorum agrorum, vel ex redditibus proprii beneficii, aut undecumque illa habuerint. Immò eſto aliquid vilius emerint, non animo revendendi, fas illis eſt, aucto poſteà pretio, illud carius vendere, & lucrari, neque inde vectigal ullum debent. Ita communis omnium ſententia, licet pretii augmento attrahatur Eccleſiaſticus ad vendendum, intelligens ſe poſteà vilius poſſe emere res ſimiles. Quia, præter dicta, id ad œconomicam gubernationem ſpectat, quæ in Clericis, atque Epiſcopis elucere debet juxta D. Paulum 1. *ad Timoth* 3. *&* 5. Tum quia ad negotiationem requiritur, ut prior emptio facta fuerit animo revendendi. Tum quia duplex eſt negotiatio. Altera merè lucrativa, qua nimirum res emitur, ut integra & immutata manens carius vendatur, quæ Clericis interdicitur, & prohibetur, prout unanimi conſenſu docent Doctores, quos refert, ac ſequitur Lezana *tom.* 4. *ſum. v. Negotiatio*, & dixerat Abb. *par.* 1. *conſ.* 6. *in fin.* Federicus de Sen. *conſ.* 200. ac declaravit pluries S. Congregatio apud Barboſam *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 127. Altera eſt non lucrativa, ſed induſtrioſa, & œconomica, qua ſcilicet quis ſibi, ſive familiæ, & ſuo ſtatui neceſſaria, aut convenientia procurat, quæque impropriè ſolùm negotiatio eſt, ac omnibus, etiam Clericis licita. Nam, ut ait Cardinalis de Lugo *de juſt. & jur. tom.* 2. *diſputat.* 26 *ſect.* 3. *numero* 22. eſt utilis & neceſſaria Reipublicæ. Poteſt enim honeſto fine exerceri ad neceſſariam familiæ ſuſtentationem, vel ad ſubveniendum pauperibus. Idem habet Abulenſ. *in cap.* 25. *Matth. q.* 224. Sà *v. Clericus num.* 20 Rebellius 2. *part. lib.* 9. *qu. ultim. num.* 2. & Gutier. *de gabell. quæſt.* 93. *num.* 16. *&* 17. cùm Sylveſtro, Navarro & Laſſarte. Cùm enim hæc non ſit negotiatio Eccleſiaſticis vetita, ſalva manet eam exercentibus ſua immunitas. Poterit autem in hoc eventu abeſſe injuſtitia ab augmento pretii ob mutationem aliquam circumſtantiarum, de qua rectè Abulenſ. *loc. cit. qu.* 223. *ad* 2. Eſtque ea etiam cauſa germana, cur mercatores poſſint carius vendere. Quod etiam rectè monſtrat Sotus *lib.* 6. *de juſt. qu.* 2. *art.* 2. *concl.* 4. Juſtus enim titulus vendendi carius non eſt fundandus in perſona vendente præcisè ſpectata, quaſi mercator, quia mercatorem agit, poſſit carius vendere, quàm alii, qui mercatores non ſunt, ſi contingat, ut idem vendant, ſed titulus vendendi carius, quicumque demum ſit venditor, fundandus eſt in mutatione circumſtantiarum, penes quas juſtum pretium variari, & creſcere poteſt. Tum etiam quòd alioquin cogerentur Eccleſiaſtici res emptas ſæpè perdere, ſi eas, cùm ſibi ſuperſunt, ampliuſque non deſerviant, non poſſent licitè vendere, vel commutare, ut rectè obſervarunt Molina citata *diſput* 342. *numero* 11. Ricc. *in prax. reſolut.* 317. *numero* 10 Cutellius *de immun. Eccleſ. lib. lib.* 2 *quæſt.* 47. *numero duodecimo*, Delbene *eodem. tit. cap.* 5. *dub.* 3. *ſect* 5. *num* 15. Ac tandem quia, ex *l. un. C. de impon. lucrat. deſcript. lib.* 10. habetur, quòd ſi vectigal ſit impoſitum quibuſdam rebus, quæ transferuntur titulo lucrativo, ſi contractus in ſuo exordio non fuerit lucrativus, etſi poſteà lucri titulo in dominium alicujus ceciderit, tale vectigal non debebitur. Quia primordium rei attendendum potius eſt. Per quam legem Platea inquit, primordium trahere ad ſe ſequentia, ſicque, ſtante ſtatuto, quod nemo ſub certa pœna extrahat, licet poſteà vendat, non incidit in pœnam. Hanc doctrinam amplectitur Bart. & Jo. de Por. ab ipſo Platea relati. Cùm ergo in hoc caſu prima deſtinatio non ſit ad vendendum, ſed ad proprium uſum, vectigal non debetur. Idipſum docet Bertachin. *tract. de gabel. parte octava, membr.* 2. *num.* 1. *&* 2. Gregor. Lopez *in l.* 5. *tit.* 7 *part.* 5. *verſ. Enolo*, ad quam legem, quæ oppoſitum diſponere videtur, reſpondimus, eam intelligi, quando ſtatim Clericus venderet rem emptam ad proprium uſum, quia tunc non cenſetur ſui uſus cauſa illam emptam fuiſſe; ſecus verò quando ea re fuit uſus, & poſteà mutato propoſito, vendidit. Idem probant Marcell. Vulp. *in prax. judic. cap.* 17. *num* 17. *& cap.* 33. *numero* 11. Molin. *d. diſput.* 342. *num* 11. Caſtrus Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 13. §. 3. *num.* 6. Pellizzar. *in man. Regul. tom.* 2. *tract.* 6 *cap.* 10. *quæſt.* 8. *numero primo*, Erman. Buſemb. *in medul. theol. moral. lib.* 3. *tractat.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *numer.* 15. Genuenſ. *in prax. cap.* 77. *numero duodecimo*, & Cardin. de Lugo *de juſt. tom.* 2. *diſput.* 26. *ſect.* 3. *numero* 19. quibus aſſentitur Gabriel Pereyra, immunitatis eccleſiaſticæ non juſtus arbiter *in tract. de man. reg. parte* 1. *cap.* 10. *num.* 3. ibi: *Illud tamen ſemper prænotandum duco, quod ſi contingat, ut Clericus aliquid emat, prout vinum in proprios uſus, & poſteà illud vendat, quod ſuper excreverat, vel illo jam non indigeat, quod ex eo amittit ſuum privilegium, ut ab omni tributo ſit immunis.* Quod egregiè docuit Navar. *in man. cap.* 25. *nu.* 110 quem ſequitur Salſed. ad Diaz *in pr. can. c.* 56. §. *Ex quibus, in fi.* ubi ait, quod ex hoc Clericus puniri non poteſt, nec ex ea venditione gabellam ſolvere tenetur, ſubditque quod in practica eſt notatu dignum, licet id ęgrè audiant publicani, rigidiſſimi exactores, à quibus interrogatus ſæpiſſimè ita reſpondit.

20 Sed quid ſi Eccleſiaſtici aliqua ipſis non ſuperflua, & quæ alioqui retinerent, ſtatuant vendere, quia offertur lucrum, ſeque dat occaſio merces vili pretio abſque revendendi animo comparatas, iterùm vendendi longè carius ob circumſtantiarum mutationem? Admitto cum Sylveſtro *v. Excommunicatio* 9. *num.* 46. & Gutierez *de gabell. quæſt.* 93. *numer.* 23. hanc quoque negotiationem poſſe per Eccleſiaſticos exerceri abſque noxa. Quia cùm merces ſunt coemptæ, aberat animus eas iteratò vendendi; qui animus eſt veluti forma negotiationis, Eccleſiaſticis illicitæ, eò quòd ſit illi indiſſociabiliter annexa cupiditatis irritatio, & effuſio in res externas, advehatque varia incommoda, ob quæ talis negotiatio dedecet ſtatum hujuſmodi perſonarum. At venditio, quæ fit occaſione lucri animo non præconcepti, cùm facta eſt emptio, vel vacat iis incommodis, vel ſaltem multò minus illis gravatur. Nec cenſeo, abhorrere ab hac doctrina benè multos recentiores, quos adducit, ac ſequitur Diana *parte* 1. *tract.* 1. *reſol.* 27. affirmantes, negociationem illam vetari ſacris perſonis, & habere annexum tributi

tributi debitum, ſi à ſæcularibus ea ex cauſa pendatur, in qua lucrum intenditur ex emptione prius facta. Id enim, ut verum ſit, accipiendum eſt de emptione prius facta animo revendendi, quem animum à viris Eccleſiaſticis excluſimus. Quo eodem ſenſu accipiendus eſt Canon. 2. Concilii Tarraconenſis ſub Hormiſda an. 517. celebrati, qui ſic habet : *Sicut Canonum ſtatutis firmatum eſt, quicunque in Clero eſſe voluerit emendi vilius, vel vendendi carius ſtudio non utatur. Certè ſi voluerit hæc exercere, cohibeatur à Clero.*

21 Unde falſa eſt opinio Laſſarti, & aliorum, qua *tract. de decim. vendit. capite decimo nono, numero ſexageſimo,* aſſerit, ſi Eccleſiaſticus emat prædium, plenum fructibus maturis, ſibique ſuperfluos poſteà vendat, debet ſolvere tributum ex fructib. quos ita vendit. Quoniam, ait, fructus illi partes ſunt rei emptæ, ac proinde, ſi prædium emat animo ſibi ſuperfluos vendendi, intervenit negotiatio, ac proinde debet ſolvere tributum ex fructibus ita venditis. Quod falſum eſt. Nam qui tale emit prædium, per ſe emit prædium, ut & fructibus illius anni ac ſequentium potiatur, ſuperfluoſque vendat. Per accidens autem eſt, quod fructus maturi ſint. Neque illos poſteà vendit, tanquam partes rei emptæ, quam emerat, ut reverenderet, ſed tanquam fructus perceptos ex agro, effecto jam ſuo. Quare id appellari non poteſt negotiatio jure aliquo prohibita, ac proinde ex fructibus ita venditis Eccleſiaſticus vectigal pendere non debet.

22 Sed nondum acquieſcunt laici, quin potius à categoriis, tanquam à veſtibulo philoſophiæ ſuæ depulſi, ad naturalis juris caſtra ſe recipiunt, ut juris eccleſiaſtici fundamentum evertant. Obtendunt igitur, quod licet Clerici poſſint vendere ſuum frumentum, vinum, aliaque in ſuis furnis, & tabernis, debeant nihilominus illa vendere in menſura, pondere ac pretio communi ad præſcriptum ordinationis laicæ, cùm ſit lex publica, juſta & honeſta, ſicuti docent Doctores, ac nominatim Michael Ferro *de pragm. pan. parte prima, quæſt. 30. numer. 7.* Caſtropal. *tom. 1. tractat. 3. diſputat. 1 pun. 24. §. 6. num. 5. & 6* ubi quod aliàs Clerici venderent ſine juſtitia, & Salas *de contract. tit. de empt. & vendit. dub. 9. numero quarto, & ſequentibus & dub.* 15. ubi loquitur de furnis & frumentis Eccleſiaſticorum, ſolùmque advertunt pro tranſgreſſione recurrendum eſſe ad Epiſcopum, vel Sac. Congregationem Immunitatis, idem docet Navar. *in man. cap. 23. numer.* 88. Sperell. *deciſ. 13. numer. 10. & 14.* aliique. Quod confirmatur ex diſpoſitione ſan. mem. Pii V. in ſuo Diplomate pro Civitate Bononienſi ann. 1566. in quo præcipitur, quod quævis perſona ſive ſæcularis, ſive eccleſiaſtica cujuſvis dignitatis, gradus, atque conditionis non poſſit conficere panem album, neque tranſgredi ordinationes, conſuetudinem, pondus, ac pretium, quod à Magiſtratu ſæculari ſtabiliri ſolet, ſed omnes debeant in omnibus & per omnia obſervare quicquid hac in re ab ipſo Magiſtratu ſtatuitur. Quod diploma comprehendit etiam Epiſcopos, & Cardinales, licet eos non exprimat, cùm agatur de lege, & cauſa publica, & de materia, in qua nullum habent peculiare privilegium, ut firmant Bellenz. *de charit. ſubſid. quæſt. 66. numer. 15. cum ſequentibus,* Mohed. *deciſion. 22. de renunciat.* Sarnen. *in proœm. reg. Cancell. quæſt. 4. numero ſecundo, poſt med.* ubi aſſerit, quod, ſtante clauſula cujuſvis ſtatus, gradus &c. comprehenduntur Cardinales. *numero* 5. ubi ait, quod prærogativa eorum dignitatis non liberat eos à vinculis legis ubiverſalis, *numer. 6. cum ſequentibus,* inquit, quod ligat Cardinales Conſtitutio prohibens aliquid, quod de ſe eſt malum, & inducit peccatum, ut eſt tranſgreſſio legis univerſalis ſuper pretio, & pondere. Idem tenent Navarrus, Michael Ferro, & Caſtropalaus ſuperiùs allegati. Diploma verò Pii eſt hujuſmodi. *Dilecti filii &c. Aliàs Bartholomæus de Pennis piſtor Bononienſis ſub prætextu, quod ipſe ſuo ſtudio, ac majori impenſa pro commoditate ſcholarium nobilium ægrotantium, ac aliarum etiam perſonarum in Civitate Bononiæ degentium panem venalem album elegantiorem, facilioris digeſtionis ac melioris qualitatis & conditionis conficeret, licentiam, & facultatem panem prædictum conficiendi, ac in ejus domo & furno, licet minoris ponderis eſſet, quàm fieri debet juxta metam, & ordinem Calmerium nuncupatum piſtoribus ipſis pro modo pretii frumenti per Magiſtratus hujuſmodi licentia & facultate, ne ultra duas uncias in pane valoris unius bonorum communi pondere minueretur, à Julio III. tandem cùm in minoribus eſſet conſtitutus, ac in eadem Civitate munere legationis de latere fungeretur, quam poſtquam ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptus fuit, illam confirmari, & ſibi denuò concedi obtinuit. Et licet idem Julius re diligentius perſpecta, & perpenſa, noviſſet, id minimè publicæ utilitati expedire, tandem licentiam & conceſſionem per ſuas in forma Brevis literas caſſaſſet, & annullaſſet; nihilominus præfatus Bartholomæus ſub eodem prætextu à Papa IV. eandem licentiam & facultatem extorſit. Quo exemplo ducti alii piſtores ſimiles licentias ac conceſſiones obtinuerunt, & licentiæ & conceſſiones hujuſmodi Reipublicæ ejuſdem Civitatis valdè pernicioſæ exiſtunt, cùm propterea tam qui ſimiles licentias habere prætendunt, quàm cæteri piſtores hujuſmodi ad conficiendum & vendendum panem malæ conditionis & qualitatis invitentur, & in pauperum præjudicium deterioris conditionis Annona reddatur; Nos attendentes hujuſmodi conceſſiones quaſi monopolia à legibus improbari, ideòque & Reipublicæ in omnibus, & præſertim in mercibus & victualibus vendendis æquitatem ſervari expedire, ut quiſquis abſque alia diminutione ſtudeat bonitate mercium hujuſmodi alios ſuperare, & ſibi pluralitatem ementium allicere &c. conceſſiones, licentias. ac Indulta tam Bartholomæo præfato, quàm cæteris piſtoribus, & quibuſvis aliis perſonis cujuſcunque ſtatus, ordinis, conditionis, ſeu etiam eccleſiaſticæ dignitatis exiſtentibus conceſſas authoritate Apoſtolica caſſamus, annullamus, & dictum Bartholomæum ac omnes alios, & ſingulos piſtores Bononienſes, & quaſcunque alias perſonas tam ſæculares, quàm eccleſiaſticas cujuſvis gradus, ordinis, ſtatus, conditionis, & dignitatis exiſtentes ad obſervationes Statutorum, ordinationum, confirmationum, & conſuetudinum, ac metæ, ſeu Calmerii hujuſmodi per Magiſtratus prædictos dari ſolitarum, quæ ad confectionem ac venditionem panis tam in eorum domibus, ac furnis, quàm extra eos de cætero in omnibus & per omnia teneri, ac juriſdictionem Magiſtratuum prædictorum quoad præmiſſa ſubditos, & æqualitatem inter ipſos in confectione & venditione panis hujuſmodi omnino eſſe ſervandam, & ſervari debere, nullumque Magiſtratum de cætero piſtoribus, vel aliis quibuſvis perſonis ſimiles licentias ſuper præmiſſis concedere poſſe. Quod ſi per ipſos concedi, & per quemcunque ſuperiorem etiam de latere confirmari contingat ex nunc illas caſſamus, &c. Datum Romæ die 9. Februarii 1566.*

Verùm id non difficilè refellitur. Nam edicta lai- 23
calia, ut ſæpiùs dixi, non ligant Eccleſiaſticos ex defectu juriſdictionis. Diploma verò Pii V. non oſtenditur authenticè, non eſt in uſu, eſtque pro Civitate Bononienſi duntaxat. In jure enim, præſertim à facto conceſſionis procedente, nemo poteſt fingere : *Temerarium enim, & indignum eſſe*, dixit Alexander III. in Concilio Lateranenſi, *aliquem ſibi ſua auctoritate præſumere.* Quod refertur *in cap. ſanè, de privileg.* & *in cap. porrò, eodem titul.* ſancitum legimus : *Sic enim eos volumus privilegiorum ſuorum ſervare tenorem, quod eorum metas tranſgredi minimè videantur.* Proindè, cùm catholica, & indubitata ſit concluſio, firmata à Concilio Lateranenſi, quod jure divino ſæculares incapaces exiſtunt ſpiritualis, & eccleſiaſticæ poteſtatis, niſi illa expreſſa, & ſpeciali conceſſione, & privilegio Sedis Apoſtolicæ delegetur, in hiſce conceſſionibus exorbitantibus non expreſſum cenſetur excluſum, ut omiſſis aliis

juribus

de qua agitur;cavetur in Bulla Cœnæ Domini, §.19.ibi: *Quique hujuſmodi lic:ntiam ad perſonas , & caſus non expreſſos extendunt.* Quin conſtat de uſu contrario,ac in ſpecie pro furno Archiepiſcopatus illius Civitatis. Præterea in eo nil aliud continetur , niſi revocatio quarundam licentiarum quibuſdam perſonis conceſſarum. Et quamvis in ſecunda ſui parte dicat , quod obſerventur menſuræ communes, etiam ab Eccleſiaſticis, non idcircò loquitur de Epiſcopis, & Cardinalibus,qui dum agitur de leg bus juri communi contrariis, ac odioſis, non intelliguntur comprehenſi in quacunque clauſula,etiam generaliſſima, niſi exprimantur , ut præcipuè docet Alban. *de Cardinal.quæſt.*42. & Germon. *de ſacr.immun.libro ſexto,cap.6.num.*55 Ac demus etiam,quòd comprehendantur omnes Eccleſiaſtici , non tamen derogat juri communi , quod nunquam intelligitur derogatum , niſi exprimatur, Menoch. *præſumpt* 40.*numer.*15. & 25.*lib.6.* Suarez *de legib.lib.*8 *.cap.*14.*num.*8. & Rota *in rec. dec.* 645.*n.*5.

24 Itaque res hæc redigi debet ad terminos juris communis , quod planè difficultate caret. Nam certum eſt, quod Eccleſiaſtici non tenentur ex vi legum ſæcularium ſe conformare pretio, ac taxæ communi, quatenus illæ ſunt leges,quæ eos obligent , ſed quatenus ratio naturalis , ac divina illos conſtringit ad vendendum juſto pretio,quod illud intelligitur, quod in Civitate commune, ac uſitatum exiſtit. Quia nullo jure divino,vel humano eximuntur Eccleſiaſtici à legibus civilibus quatenus eæ cum libertate eccleſiaſtica non pugnent , ſed ſolùm ad Reipublicæ rectam gubernationem pertineant ; Quod deſumitur *ex cap.*1.*cap.quoniam, cap de capitul*;*d.*10. *cap.cum ad verum,d* 96. & *capite ſeptimo , de nov.oper. nunciat.* Eccleſiaſtici enim in communi vitæ ſocietate ſunt etiam cives,ac membra Reipublicæ , atque idcircò naturali ratione æquum eſt , quod & ipſi etiam præſtent quæ ad communem Reipublicæ gubernationem neceſſaria ſunt ; turpis enim omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens, ait D. Auguſtinus 3.*conf capite* 8. & contra Sotum, Victoriam, Medinam, & alios tenentes oppoſitum,quos citat,& ſequitur Salas *de legib.diſp.* 14.*ſect.*8. *numero* 94.& 104.docent Vaſquez *in* 1 2.*tom.*2.*diſp.*276. *cap.*4.Tanner.*parte prima,lib.*5.*cap.*12.*quæſt.*3 & *part* 2. *lib.*9.*cap.*7.*quæſt.*8.9. & 15. Peſant *tractat.de immun.Eccleſ.diſput.*4.& alii communiter. Quodque id procedat non vi legis,ſed vi rationis, ideſt non quia Eccleſiaſtici ſubditi ſunt , ſed quia ratio dictat ob bonum commune Reipublicæ eas leges ab omnibus eſſe ſervandas, docuit diſertè Cardin. Bellarmin. *in Apolog. contra Reg. Angliæ in reſp.pro juram.fid.fol.*251 & contra Barclaium *cap.*15.traditque Surd.*conſ.*301.*num.*19.*ad* 38. & *num* 50. & *ſequentibus.* Quocirca peccant mortaliter , ſi vendant res ſuas ultra pretium à Republica taxatum , & ad reſtitutionem tenentur , quia peccant contra juſtitiam, ſicuti docent communiter Canoniſtæ *in d. cap. Eccleſiæ S.Mariæ,de conſtitut* & *cap.*1.*de nov.oper.nunc.* Legiſtæ *in l.cunctos populos,C.de ſumm.Trinit.*& Theolog. cum Summiſtis *in v.lex.* Angel.*num.*5.Sylv.*quæſt.* 15. Victor. *relect.*1.*de poteſt.Eccleſ.qu.ultim.propoſ.*4. Barth Medin. 1.2.*quæſt.*96.*art.*5.*dub.ult* Navarr *c* 23.*num* 88 Bellarm. *lib.*1.*de Cler.c* 28.Vaſquez 1.2.*diſput.*176.*c.*4.Suar. *lib.*3. *de legib.c.*34. & *lib.*4.*def.fid.c.*16 Salas etiam *de legibus diſp.*14.*ſect.*8.Sot.*de juſtit.lib.*1 *qu.*6.*art.*7.Molin.*tom.*2. *tract.*2.*diſp.*31 *num.*15.Salon.*tom.*2.*in* 2.2 *quæſt.* 77.*art.* 1. *controv.*10.Ledeſm.*tom.*2.*tract.*8.*c.*32.*diffic.*4 & alii, quos refert, ac ſequitur Salgado *de protect.reg.tom.*1.*par.*1.*c.*1. *num.*64.*præl.*2.Ceval *tr. de cognit. per viam viol. in prolog.num.*30.Peyrin.*de privil Minim.tom* 1.*Conſtit.Julii II.*§.33.*nu.*151. quouſque ſectatur Delbene *tr.de parlam. dubit.*4.*ſect.*16.*n.*1.

25 Quoties igitur Eccleſiaſtici vendiderint panem, ac vinum uno ex pretiis , quæ in Civitate ſunt , non poterit dici , quod operentur contra charitatem , ac rationem naturalem , quæ in hoc eos duntaxat obligat, ut probant Sperell.*deciſ.for.eccleſ.*12.*numero quinquageſimo ſeptimo,* & *deciſ.*13.*numero* 10. Azor.*inſtitut. moral.parte prima, libro quinto,cap.*12 *ante fin.quæſt.*4. Molfeſ *de contract. tit.*3.*de dom.jur.Reg.compet.quæſt.*5.*art.*3. *numero* 35. *in Commun.ad conſuetud.parte* 2.*de perſonis quæſt.*3.*numero* 45. & *ſequent.* qui alios adducit , ac proinde neque peccant. Unde non tenentur, nec cogi poſſunt ad ſe conformandum menſuræ,& ponderi majori, ac pretio minori,& minus uſitato. Quia conditio Clericorum deterior redderetur,quod eſt contra ſacros Canones;ſed ſatis eſt, quod ſe conforment uni ex modis in Civitate conſuetis.

26 Solùm autem difficultas conſiſtere videtur in cognoſcendo,quod ſit pretium juſtum: In quo Doctores diſtinguunt,ſi in Civitate non exiſtat aliud pretium , quàm taxatum à Magiſtratu , quod appellant pretium legitimum , id eſt definitum à lege , in hoc caſu Eccleſiaſtici non poſſunt eligere , niſi illud pretium , non quia taxatum à Magiſtratu ſæculari, ut perperam cenſuit Molina & alii,ſed quia cum ſit pretium conſuetum,exiſtimatur juſtum. At ſi in eadem Civitate exiſtit aliud pretium minus , vel majus taxatum à Magiſtratu , quod aliqui vulgare vocant, hoc eſt quod vulgari æſtimatione conſtituitur,alii naturale appellant,tanquam è naturali prudentia conſtitutum,vel quia ſecundùm naturam uſui accommodatam currit , poſſunt quidem Eccleſiaſtici uni ex iis ſe conformare , omittendo taxas Magiſtratuum. Quoniam ſatis eſt,quod Eccleſiaſtici vendant eo pretio, quod eſt in praxi,& ab emptoribus recipitur, cùm æſtimetur juſtum,ut tradunt Leſſius *de juſt.& jur. lib.* 2.*c.* 21.*de empt.quæſt.*1.*ſect.*6.Sot.*eod tract lib.*6. *quæſt.*2.*art.* 3 *concluſ.*3. & alii. Siquidem pretium, quod æſtimationis , emptioniſve cauſa conſtituitur dictum à peritis, quod ſic ſolùm poſſunt rectè id facere. Quare non eſt audiendus Salas in contrarium adductus. Eodem modo exploditur id , quod dicitur de edictis , quia non obligant Eccleſiaſticos uti emanata à laicis , Azor, *inſtitut. moral.par.*1.*lib.*5 *c.*13.*q.*4 Vigian.*de immun. Eccleſ.diſp.* 2.*concluſ.*5.Vaſquez *in par.*2.*tom.*2.*diſput.*167. *c.*4. *num.* 29.& 30. omneſque paſſim. Quia ſicut carent juriſdictione ſtatuendi *cap.Tua,de decim.* ita etiam & judicandi , *vulg reg.quod forum ſortiri & ſtatutis ligari à pari procedunt.*

27 Neque applicatur diſtinctio illa , in qua laici perſiſtunt , quod ſcilicet pretia Magiſtratus ſint privilegiata. Nam nihil, vel parum refert quod pretium inducatur ex taxa Magiſtratus,vel ex privilegio,vel ex communi æſtimatione. In quovis enim modo ſufficit Eccleſiaſticis, quod hoc pretio ematur , vendaturque. Nam eo ipſo, quod hoc pretium inducitur, fitque juſtum,vel ex privilegio,vel ex communi æſtimatione,vel ex jure municipali,Eccleſiaſtici non lædunt juſtitiam,& charitatem naturalem,dum vendunt eo pretio,quo emptor emere velit. Unde non juvat , quod privilegium eſt derogatio juris communis , & ſupponit probationem extra caſum privilegiatum. Nam id procedit in ordine ad illos , qui ſubjiciuntur legibus prohibitivis , illique juri , contra quod privilegium conceditur. Quia privilegium nil aliud eſt , niſi exemptio , atque libertas adverſus vincula legis , qua quis tenebatur adſtrictus,ut ait Bald.*conſ.*246. *in princ.lib* 3. Atque adeò hæc concluſio rectè applicatur in ordine ad laicos ſubjectos legibus prohibitivis Magiſtratus ſæcularis , non autem in ordine ad Eccleſiaſticos,qui ſunt liberi à quavis lege laica,nec aliam legem agnoſcunt, niſi directionem naturalem,qua obligantur vendere res ſuas pretio conſueto,& accepto ab emptoribus abſque læſione charitatis & juſtitiæ , dum præſtant emptori eandem panis ac vini qualitatem & quantitatem , quæ ab aliis præſtatur, ſolùmque emptorum commodum attenditur ad cognoſcendum juſtitiam pretii,ut docet Leſſius loco allegato *dub* 2.*numer.*13.ubi conſiderat, juſtum pretium non eſſe illud , quod à Magiſtratibus taxatur , ſed illud , quo

commu-

communiter venditur,quia pretium taxatur in gratiam emptorum.

28 Quæ ſanè eò magis amplecti debemus,quia nullum præjudicium publico bono exinde provenit, quando Magiſtratus ipſi tabernas, & furnos aperire velint, totumque reducitur ad eorum lucrum privatum. Quo in caſu docent communiter Doctores,nullatenus aliquod concedendum eſſe, ex quo immunitas eccleſiaſtica vel in minima ſui parte violetur:alioquin, ſi daretur alia interpretatio huic privilegio, utilitati publicæ innixo, reduceretur ad injuſtitiam, cùm reduceretur ad monopolium,à jure damnatum,quemadmodum advertit Sot.d. lib.6.q.2.art.3.concl.4.

29 Illud tandem, quod intendunt laici alienum eſt à veritate.Eſto,inquiunt, non teneri Eccleſiaſticos ad hujuſmodi vectigalia,teneri tamen laicos, qui ab illis emunt, atque adeò licitè Magiſtratus ſæculares edicere poſſunt, ne laici,ſui ſubditi emant res ab immunibus abſque ſolutione vectigalium. Nam de jure vectigal ab emptore, non à venditore debetur, ut latè probat Martin Monter. deciſ.Aragon.20.num.71.Gratian.diſcept. cap.343.num.25.lib.2.poſt Bald. in l.ſi prædium 6.n.6.col.2.in princ ff. de evict.Maſtrill.dec.87.per tot. Nigr. de Laudem.q.12.n.27.28.& ſeq.Id,quod in Regno Neapolitano mordicus ſervatur,ut videre eſt apud Marin.c.169.num.4.& 5.Revert.dec.18.per tot.& dec.32.& dec.192 in fin.Unde licet vendant Eccleſiaſtici, qui ſunt immunes, attamen quia immunitas iſta eſt perſonalis,l.4.§.Quemquam,de cenſi. l.Semper,§.Immunitati,& ibi Bart.& alii,ff. de jur.immun.leg.In hominibus,§.vacationem,ff.de vacat. muner. quando poſtmodum panis, vinum, oleum, aliaque hujuſmodi ſunt emptoris laici, deſinunt eſſe immunia, & ideò laicus emptor tenebitur ad gabellam Bart. in l. Licitatio,§.Mercatores,ff de public.& vectig.Ubi quod emens à Fiſco non eſt immunis à gabella, licet Fiſcus immunitate gaudeat. Quem textum Bartolus adducit in emptorem fructuum Eccleſiæ, ſequiturque Archid. in c. ultim. de cenſib.in 6.cum aliis relatis à Menoch. de arbitr.caſ.562.n.44.de Marin.var.lib.1. c.99. num.7.& c.169.nu.4.& 5.Molin.de juſt.tit.de tribut. tract.3.diſp.663.n.5.Malder.in 2.2.tr.5.c.6.dub.11. Coriolan.in Bull. Cœn.excomm.18.fol.949.Paul.de Caſtro lib.2. conſ.323. Purpurat.conſ.489.n.7.& ſeq. Valaſch.de jur.emphyt q.17.n.5.Mexia in pragm.tax.pan.concl 5.n.39.Pellegrin.de jur.fiſc.lib.1.reſol.5.n.7.Eman.Roderic.in comm.v.Tribu-& qq.regul.tom.3 q.74.art.7.10.& 13. Nec diſſenſit Sanchez in opuſc.tom.1.lib.2.c.4.dub.55.n.40. Layman.lib.3. tr.3.c.3.n.4.Boer.deciſ.213,Laſſart.de decim. vendit.c.19. n.10.Tiraquell.de retract.conſang.§.1.gloſſ.13.n.12. Alex. Trentacinq.lib.1.var.tit.de jur.Fiſci,reſol.5. n.7. Alder. Maſcard de interpr.ſtatut.concl.1.nu.28. Carol. de Graſſ. de effect.Cler,effect.3.ex num.87.Burſat.conſ.42.n. 14.lib. 1.allegans inter alios Feder.de Sen & Archid.Idem proſequitur Auguſt.Morl.in emptor.Jur.par.1.tit.9.de contrah.empt.n.102.Gratian.ubi ſupra c.290.n.24. quem ad hanc rem adducit Fontanell.neciſ.302.num.9.in fin.Bald. conſ.496.n.4.licet pro Anteſignano opinionis contrariæ in alio conſ.31.lib.1. referatur à Sperello deciſ.41.nu.7. Octav.Gronſ conſ.5 per tot.& ſignanter n.33.& ſeq.ſatisfaciens plenè Menochio in ejus conſ.116. ac referens in fine,hanc prævaluiſſe ſententiam,atque ita ſervari in Regno Neapolitano teſtatur Rovit.deciſ.71.per tot.Revert. tota dec.18.dec.32.& dec.192.in fin. ubi de Marinis alios refert;& in his terminis Fontanella,plenè diſcuſſo articulo per quinque deciſiones,ut apud eum legere eſt tom.2.à dec.301.Præcipua verò fundamenta duo ſunt.

30 Primum, quod neque de jure civili,neque Canonico ſit textus expreſſus, qui diſponat contrarium; nempè quemadmodum venditorem eccleſiaſticum,eodem modo emptorem ab eo immunem eſſe,ſed id totum eſſe poſitum in opinionibus Doctorum,ut idem Fontanella obſervat num.24.deciſ.301.& deciſ.302.num.18. Et præcipuam rationem favore Eccleſiæ illam eſſe, quod ſi ab emptore exigeretur, læderetur indirectè immunitas eccleſiaſtica.Unde cùm opiniones Doctorum inter ſe pugnent,licet magis communis dici poſſit favorabilis Eccleſiæ,ut fatetur Sperellus cit.deciſ.41. nu 7.& latiſſimè Menoch.caſ.136.per tot.lib.2.& Dian.reſol. moral.par 1. tr.2.de immun.reſol.48.& par.5.eod.tract.reſol.27.& p.1.reſol.52.idcircò illa opinio, quæ in praxi eſt approbata, poteſt ſuſtineri ex Bobadilla in ſua polit.lib.2.c.18.de juriſd.reali mixta,num.281 Salgad da retenſ. Bullar.par.1 cap.2.num.174.Octav Gronſ.conſ.13 num.11 aliiſque relatis ſub num.20 & ſeqq.d.deciſ.302. addens etiam conſ. Menochii 800.ex nu.38.relata dec.303. num.1.& ſeq.& alios n.15.& ſeq.

Secundum.Quia certum eſt,pretium gabellæ eſſe ſeparatum à pretio rei ex relatis in deciſ.306.nu 17.Quod non poteſt hodie difficultatem habere,præſertim in Regno Neapolitano,dum ſæpè accidit pretium gabellæ excedere pretium rei, & dum gabella non exigitur à tritico,quod venditur,& emitur, ſoletque habere certum & determinatum pretium, ſed ex frumento redacto in farinam,vel in panem. Atque adeò cùm Eccleſiaſtici non patiantur damnum, ſi vendant triticum vel vinum, quod ipſis ſupereſt ex recollecto è ſuis prædiis, ſed lucrentur cum certo detrimento Univerſitatis, ſive Reipublicæ, ſi ex frumento conficiant panem, illumque vendant, hoc lucrum, quod ex ſolo damno, & jactura Univerſitatis provenit, non debet Eccleſiaſticis permitti ex multis relatis ab eodem Fontanella d.deciſ.306.nu.6.& ſeq.& ex ipſa forma ſententiæ,ſeu declarationis, de qua ſub nu 24. Atque adeò non eſt illis permittendum, quod triticum in panem redactum, & vinum vendant ad hunc ſolum finem, ut vendere poſſint tanto carius, quanto pretium gabellæ excedit pretium tritici ac vini, quaſi ſit propria negotiatio Eccleſiaſticis non permiſſa ex textu in Clem.fin.& ibi Gloſſ v.Non negotiandi,de cenſib.relata per Revert.dec.18 n.1. Præſertim quia lucrum hujus negotiationis ex ſolo detrimento Univerſitatis proveniret. 31

Quare edicta ejuſmodi non tenetur Magiſtratus revocare, præcipuè dùm ſub nomine immunium non comprehenduntur Clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ, ſed de aliis exemptis comprobatur, ut proinde revocatio non ſit neceſſaria,Bellett.diſquiſ.Cler.§.3.n.4. ubi quod ſi ſtatutum laicorum expreſsè facit mentionem de Clericis,eſt nullum, eſtque revocandum, ſi verò generaliter loquitur, ſub illa generalitate non comprehenduntur Eccleſiaſtici,Duard in Bull.Cœn.lib.2.cap.15.quæſt.19.nu.83.& ſeq.Sperell.deciſ.10.num.31.& deciſ 12. num.55.& deciſ.100.numero 27.& ſeq.& deciſ.135.num.101 Eòque minus quando edicta non prohibent, ne laici emant ab immunibus panem,& vinum & alia, ſed præcipiunt res emptas ſolùm denunciari, ut propterea dici nequeat eccleſiaſticis perſonis præjudicium inferre,cùm Clerici, licet immunes ſint à ſolutione gabellæ, teneantur tamen oſtendere publicano res,quas deferunt,Graſſ.effect.3.n.257. 32

Proferunt etiam Magiſtratus ſæculares alias rationes. Prima eſt: Clerici,etſi non ſecundùm vim coactivam, ſaltem ſecundùm vim directivam tenentur ſervare ſub peccato mortali leges civiles propter bonum commune latas circa menſuras & pretia rerum,ut ſupra probatum eſt. 33

Secunda:Hujuſmodi edicta non diriguntur ad Eccleſiaſticos, ſed ad laicos ſubjectos Principibus ſæcularibus, ideòque non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam. 34

Tertia:Hæc edicta,quæ fiunt à Magiſtratu ſæculari, non prohibent abſolutè laicis,ne Clericis ſervitium præſtent, ſed ſtatuunt ſolum iis illud præſtari cum aliqua forma, & proinde non eſt contra libertatem eccleſiaſticam. Probatur exemplo. Statutum enim, quod cuſtodes animalium ſolvant pœnam pro damno illato, ligat etiam cuſtodes animalium, quæ ſunt Eccleſiaſticorum, 35

ut

ut tradunt Natt.*lib.2.caſ.*180.*num.*4.Maſcabrun.*conſ.*18. *n.*17. & alii.

36 Quarta eſt exactio temporis longiſſimi, ac conſuetudo,quæ aliquibus in locis eſt, quam Summus Pontifex ſcit, & tolerat,ac proinde tacitè in eam conſentit, Salgad.*de poteſt.Reg.tom.*1 *p.*1 *c.*1.*præl.*3 *num.*139. Qua in parte etiam non contradicit Covar.*in pract.q.c.*31.*n.*5.*&* *c.*35.aliique eorum aſſeclæ.

37 Sed hæc ita commentitia ſunt, ut refellere pigeat. Nam gabella, quæ imponitur ſuper emptore laico contrahente cum Eccleſiaſtico,eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, non ſolùm, quia propter onus gabellæ impoſitum, Eccleſiaſtici indirectè gravantur, cùm ſic vendant vilius res ſuas, ſed etiam quia Eccleſiaſtici de jure poſſunt liberè contrahere cum laicis ſine onere, quod debeant ſubire laici contrahentes cum ipſis. Edictum autem, ſive ſtatutum,quod coarctat Eccleſiaſticos, eiſque adimit,quod de jure ipſis conceſſum eſt, violat libertatem eccleſiaſticam. Atqui Eccleſiaſtici de jure divino, canonico & civili poſſunt liberè contrahere cum laicis abſque onere gabellæ,ut nominatim affirmant Felin. *in d.cap.Eccleſia S.Mariæ num.*69.*de conſtitut.* Surd. *d. conſ.*301.*à numero* 80. Menoch. *libro ſecundo, conſ.*136. Gratianus,qui nobiſcum ſentit in *diſcept.for. tom.*2.*cap.* 390.Laderch.*conſ.*103 *à numero* 8. Tuſch.*tom.*5.*concluſ.* 342.*numero* 140.Roderic.*in ſumm.tom.* 2. *c.* 75. *numero decimo quarto*,Riccius *in prax.tom.*2.*reſolut.* 187. *num.* 2.*&* *reſolut.*283.ubi docet,quod quemadmodum Clericis vendentibus imponi nequit hujuſmodi onus, ita neque ementibus imponi poterit,cùm vendentes & ementes ſint correlativi & ſtatutum contra emptorem habet locum contra venditorem,& è contra, *conſ.*289.*colum.*1. *in fin.*Rota coram Card. Seraph.in una Camerina prædii 10. Novembris 1597. Et ideò immunitas conceſſa venditori juvat emptorem, Felin.*in procem. decret.v. Gregorius numer.*6.Gemin.*in cap.*1.*colum.*1 *de temp. ordin.in* 6 Dec.*conſ.*48.*colum.*3.*in fin.& in l.*1.*nu.*7. *col.*2. *ad med.C.de jus voc.*ubi reddit rationem, quia tractatur de eodem actu,Nell. *de bannit.in* 2.*part.*2.*tempor. qu.*4. & in ſpecie gabellæ, de qua agimus. Sicque concludit Bald *conſ.*31.*poſt med. lib.* 1. ubi, quod hujuſmodi ordinationes & ſtatuta tollant indirectè immunitatem eccleſiaſticam. Siquidem onus gabellæ eſt annexum contractui,& tanto minoris Eccleſia & Clerici vendunt ſuos fructus,quanto majus eſt onus gabellæ, *l.ſi venditor, ff. de ſer.expor.*Quod etiam ſequendo Baldum voluit Surd. *d.conſ.*301.*nu.*81.*lib* 3. ubi quod privilegium conceſſum Eccleſiæ, trahitur, quando ipſi Eccleſiæ non prodeſſet, niſi ad eos traheretur. Tum quia immunitas Eccleſiæ etiam ad alterum extenditur,quando aliàs Eccleſia damnum ſentiret, quia ſcilicet vilius venderet. Tum etiam quia ratione conjunctionis gaudet quis beneficio, quo aliàs non gauderet, Nat. *conſ.*590.*col. fin.* Idem etiam concludit Rimin. jun. *conſ.*724.*numero* 48.*&* 49. *libro ſexto,conſ.*216. *numero ſeptimo*, Et per conſequens redderetur inane privilegium immunitatis conceſſum Clericis venditoribus, Menoch. *conſil.*136 *per tot libro ſecundo.*

38 Et quemadmodum directè non poteſt Princeps ſæcularis imponere onus & gabellam ſuper fructibus, & bonis Clericorum,ita neque indirectè poterit hoc facere exigendo ab illis,qui emunt à Clericis,ſicut in propoſito arguit Dec.*conſ.*48.*col.penult.n.*5.Et quoad Clericos idem dicit Menoch *d.conſ.*136. *n.*8.*lib.*2.

39 Maximè quia hæc gabella eſt onus extraordinarium, quo caſu immunitas conceſſa venditori juvat emptorem,ut diſtinguit Bart.in *d.l.licitatio,*§. *ult.ff. de public. & vectigal. oneribus.* Doctores verò contrarium tenentes,de quibus per Tiraquellum *de retr.lign.*§. 1.*gloſſ.* 13. *n.*1.& Menochium *d.conſ.*136.*nu.*21. loquuntur de oneribus ordinariis. Ac præſertim quia, licet immunitas Clericorum eſſet perſonalis,nihilominus ratione connexitatis privilegium conceſſum perſonæ venditoris extenditur ad emptorem,qui habebit exemptionem non propter ſe,ſed propter perſonam venditoris,qui poteſt vendere ſine onere gabellæ,Dec.*conſ.*48.*in fin. & conſ.*51.*col. penſ.verſ.Non obſtat ergo*,prout generale eſt,ut immunitas etiam perſonalis tranſeat ad ſocios, & correlatos, quando damnum unius dependet ab alio, Menoch.*dict. conſ.*136.*n.*13 Natt.*conſ.*1.*n.*10. & multa adducit Surd. *d. conſ.*307.*n.*80.*cum ſeq.*

Idipſum & perſpicuè expreſſit Zerola *in prax. part.* 40
1.*v.Gabella q* 4.ibi: *in quibuſdam locis ratione gravaminis alicujus univerſitatis laici imponunt gabellas ſuper ſerico,vel vino,vel aliquo hujuſmodi,& ſtatuũt,ut ſolvantur duo carolini, vel quid ſimile pro libra,vel dolio, &c. Et quia vident,ſe non poſſe adſtringere perſonas eccleſiaſticas vendentes,ſtatuunt,ut eos ſolvant laici, qui emunt, & non vident,quod indirectè iſta gabella cadit ſuper perſonas eccleſiaſticas. Nam hoc ipſo propter onus gabellæ ſolvendum laici vilius emunt, & Eccleſiaſtici vendunt; atque adeo talis gabella indirectè eſt lata contra perſonas eccleſiaſticas.* Hoc idem tradit Diana *part.* 1. *tract.*2.*reſol.*49. ubi teſtatur,quod videns, rem eſſe periculoſam, noluerit imponere gabellam vino,quod emebant laici à Clericis,docentque Homobon *p.*2.*tr.* 9.*c.*1.*q.*1. Megal. *in p.*2.*c.*17.*q.*6.*n.*107.Alter.*tom.*1.*diſp.*19.*lib.*5.*c.*6 Mandel.*conſ.*8.*nu.*16.*& ſeqq.*A ponte *in reſp. ad cenſur.Pauli V.fol.*82 aliique apud ipſos,quibus addo Delbene *de Immun.Eccleſ.c.*5.*dub.*7.*ſect.*1.*num.*18 *& de parlam.dub.* 30.*num* 5.& Cutellium etiam *de Immunit. lib.* 2. *qu.*49. Qui idcircò abſolutè, & veriſſimè pronunciant, onus, quod non poteſt imponi Eccleſiaſticis,non poſſe imponi laicis contrahentibus cum illis.

Eodem recidit illud, quod dicebatur de immunitate 41
perſonali,quod falſum eſt. Nam privilegia immunitatis à gabellis,datiis, & vectigalibus ſunt realia, & proinde tranſeunt de jure etiam ad laicos ementes ab Eccleſiaſticis, quorum bona, prædiaque ſunt in ſe privilegiata, & immunia ab onere ſolvendi gabellas, ut alibi probatum eſt. Tum etiam quia privilegium conceſſum Eccleſiæ, civitati,ſtatui, aliiſque perſonis,quæ non moriuntur vel cenſetur reale, ut tradunt Gloſſ.*in leg.Quanquam ff. de cenſib.*Menoch.*lib.*1. *conſ.*276. *numero octavo*, aliiſque plures, ſpeciatim Bartolus, quem refert,ac ſequitur Genuenſ.*pract.quæſt.*15.Thor.*privileg* 161.*in ſum.privileg. piæ cauſ.*Gabriel.*conſ.*161. ubi quando diriguntur ad bona ſunt æqualiter immunia,Felician.de Solis *in tract. de cenſ.tom.*2.*in addit.lib.*1.*num.*1.*& ſequentibus*, & Delbene *dict.capite quinto, dub.*7.*ſect.*17. contra Baldum, Cutellium, Avendagnum, Valaſchum,Carocium, Rolandum, & alios. Vel ſaltem cenſetur mixtum, ac proinde tranſit in emptorem, Gloſſ. *in Clem. v. Excolendos in fin.de decim.*Paul. de Eleaz Zabarel. Imol.Vitalin. Abb. Socin Ruin. Bertachin. Ferrett. Boſſ. Menoch. Riminald. Boer. alii querelati à Sperello *deciſ.* 121.*num.* 43. *&* 63 Habitoque reſpectu ad onera bona Eccleſiaſticorum ſunt æquè privilegiata ab bona Eccleſiæ, ut egregiè docet Suarez *contra Reg.Angl.libro quarto,capite vigeſimo quarto, per tot.*qui *capite* 25. *in fine* firmat hujuſmodi æquiparationem factam eſſe à jure,ex quo iſta immunitas non ſolùm in bonorum ſanctitate, ſed etiam in perſonarum exemptione fundatur. Certum autem eſt, res conditionem ſumere à perſona, *l.*1 *C.de impon.lucrat.de ſcript.lib.*10 *l.fin.ff.de inoff teſtam.*& tradunt Anchar.*conſ.*18.*num.*5.& alii.Bona enim ſunt acceſſoria ad perſonas,*c. ſimiliter* 16.*quæſt.*1. reſque ſunt propter homines, non è contra; ideòque ad dignoſcendum, an immunitas à collectis debeatur, attenditur non ſolùm conditio rei, ſed perſonæ, quam rationem in hac re laudat Andr.de Iſern. *in cap.ver. & plauſtr. numero* 57. *quæ ſint regalia*, cùm non ſolum rei, ſed etiam poſſeſſoris qualitas inſpicienda ſit, *leg* 1.*C.eodem* cum pleriſque aliis adductis per Sperell. *deciſ.*121.*num.*50.& Valentiam *tom.*4.*diſp.*9.*quæſt.*4 Bellettum, Mattham, & alios relatos à Diana *reſol.*22.*tract.*3.*& reſolut.*39.*tract.*2. *part.*1.

Quod

Quod quidem potiori jure procedit in illis bonis, ad quorum titulum Clerici ordinantur. Hæc namque gaudent privilegiis, bonis Eccleſiæ conceſſis, etiam in caſibus à jure non enunciatis, Gloſſ. *in c.2. Epiſcopus, v. Subſidium, de præb.* ibique Dec. *num.*20. Sperell. alios adducens *deciſ.*37.*num.*77. ac reſolvit ſæpiùs S. Congregatio Immunitatis, præſertim in una *Auximana* die 22. Januarii 1626. & in una *Nullius* die 30 Maii 1628. Plures autem ex Doctoribus, in contrarium adductis, non loquuntur in caſu, quo emitur immediatè à perſona Eccleſiaſtica, ſed dumtaxat quando, facta jam emptione, emptor velit iterato vendere; & ſic gabella non imponitur contractui, quia læderet Eccleſiaſticum contrahentem, ſed imponitur actui diſtincto ab ipſo contractu, ut ſi Statutum dicat, quod qui vult dolium vini emptum extrahere, ſive evehere à Civitate, vel in illam invehere ſolvat tantum pro gabella. Id enim non reſpicit immediatè contractum, ſed alium actum, ſcilicet extractionis, ſive evectionis, vel invectionis vini jam empti, qui actus nihil commune habet cum Eccleſia, ſeu cum Eccleſiaſticis, ac perſonis immunibus contrahentibus cum laico, & hoc caſu ſtatutum non eſt contra immunitatem eccleſiaſticam, ac proinde ceſſat immunitas, cùm translatum ſit dominium in perſonam non immunem, & ex mutatione perſonæ poſſeſſoris mutatur conditio rei, ut aſſeruit Bartol. *in d.l. licitatio, §. Mercatores, ff. de public.* & diſtinguit Bellett. *diſquiſ. Cler. parte prima, titul. de exempt. Cler.* §.8. *numero ſecundo*, ex Baldo *conſ.*31 quem etiam ſequuti ſunt Roland. à Vall. *libro quarto, conſ.*61. *numero decimo octavo*, Riminald. *libro 6. conſ.*724. *numero* 49. *&* 60. Surd. *conſ.*127. *numero* 66. Diana *parte* 1. *reſolut. mor. tract.*2. *reſolut.*48. Squillant. *de privileg. Cler. cap.*8. *numero* 28. & alii, ac cenſuit S. Congregatio Epiſcoporum his verbis: *Sacra &c. cenſuit, res Eccleſiaſticorum, quæ venduntur laicis, translato earum in dictos laicos dominio, non retinere amplius exemptionem, neque ab oneribus incertis, & variabilibus* 11. *Septembris* 1598. Vide Carolum de Graſſis *effect.* 3. *à num.*87.

24 Quod planè dignoſcitur in Fiſco. Qui enim emit à Fiſco, non tenetur ad gabellam; at ſi velit poſteà vendere, tunc ratione novi contractus abſque diſtinctione tenetur ad gabellam, ſicuti docet Regens Capycius Latro *dec.*171.*n.*33. ubi *nu. ſeq.* ſubdit ad rem in hunc modum. *Secus verò ſi onus gabellæ eſſet annexum contractui facto cum perſona immuni, quia tunc per indirectum immunis gabellam ſolveret, & non poſſet lædi unus, quin alter læderetur, & ſic ut diximus, gabella ſolveretur per Fiſcum, quod non eſt permittendum. Quo argumento utitur Dec. conſ.*48 *n.*6. *Quett. conſ.*3. *in fin. & ita practicatum vidiſſe, ut emptor emens ab immuni, non ſolvat, teſtatur Peregr. de jur. Fiſc. lib.*6. *tit.*5 *num.*25. Atqui ſi non eſt permittendum, quod Fiſcus ſolvat gabellam indirectè, potiori quidem jure permittendum non eſt, quod illam ſolvat Eccleſia, vel Eccleſiaſticus. Fiſcus enim & Eccleſia æquiparantur in omnibus per modum regulæ, ita ut quicquid conceditur Fiſco, dummodo militet eadem ratio, conceditur Eccleſiæ, niſi tamen à legibus contrarium diſponatur, ut obſervat Everard. *in loc. de Fiſco ad Eccleſ. num.*7. *&* 8. Tiraquel. *privil. piæ cauſ.*143. & Canoniſtæ communiter *in cap.* 1. *de probat.* ac Menoch. *de arbitr. caſ.*526. *num.*27. Quin Eccleſia eſt magis privilegiata, quàm Fiſcus, qui dicitur ultimus privilegiatorum, & contra quem in dubio eſt judicandum, ut voluit Juriſconſultus in *l. Non puto, ff. de jur. Fiſc.* ac reſolvit S. Rota Romana coram Seraph. *dec.*594. *num* 25. Quod argumentum procedit à majoritate rationis, quemadmodum probat textus *in cap. Cum dilecta, de confirmat. util. vel inut. & in cap. Poſt translationem, de renunciat.* traditque Gloſſ. *in l.*1. *C. de condit. indeb.* & in his terminis arguit Ghirlenzon. *conſ.*71. *numero* 13. *& conſ.*77. *num.*12. Nam major dignitas reſidet in Eccleſia, quàm in Principe, ut decernitur *in c. Duo ſunt, & in c. Si Imperator* 96. *d.* Ita ſanè, quod non valeat argumentum à privilegiis Eccleſiæ ad Fiſcum, ſed valeat à privilegiis Fiſci ad Eccleſiam, ſicuti conteſtantur Bartolus, Imola, & Jaſon. in *l. fructus, ff. ſolut. matr.* ſicque firmandum eſt, Eccleſiam & Fiſcum æquiparari in reſpicientibus favorem Eccleſiæ, non Fiſci. Illud autem, quod ad rem facit, eſt, quia Eccleſia & Fiſcus æquiparantur à lege in immunitate à gabellis, ut ex mente *l.*1. *C. ſi propt. publ. perſ.* firmant Gloſſ. & Salyc. ac expreſſit Silv. *conſ.*9 *num.*11. Bartol *in d.l. Licitatio, §. fin.* Balb. *de præſcript.* 5. *part. princip. quæſt* 5 *v. Poſtremò.* Quam æquiparationem, tanquam certam ſupponit Andr. de Iſern. *titul. Quæ ſint Regal. cap.*1. *verſ. Et Plauſtrorum*, eamque ſtabilit Brun. *de ſtatut. excluſ. fœm. art.*8. *q.*22. *num.*109.

25 Fundamenta verò laicorum non ſunt ad rem. Primum enim falsò ſupponit. Nam edictum, ſive ſtatutum eſt contra immunitatem eccleſiaſticam, ſive directè, ſive indirectè conditum ſit contra perſonas eccleſiaſticas. Quod habetur expreſsè in *cap Statutum, de hæret. in* 6. *& in c. Quanto, de privileg.* Item ſive fiat expreſsè, ſive tacitè, *cap. Clericis, §. Nos igitur, de immun. eccleſ in* 6. Idque etiamſi non loquatur de perſonis eccleſiaſticis, Surd. *eo conſ.*301. *num.*77. Duard. *in Bull. Cœn. lib.*2. *can.*15. *qu.*19. *nu.*2. Maynard. *de privil. Eccl. art.*22. *n.*20. *&* 70. Marth. *de juriſd p.*4. *cent.*1. *caſ.*62. *n.*9. Valenzuel. *in defenſ. conſ. Pauli V. p.*3. *num.*123. Mandel. *vol.*2. *conſ.*8. *nu.*3. Guevar. *in propug. libert. Eccleſ.*1. *§.*5. *num.*36. Fagnan. *in tract. de valid. cenſur. ejuſdem Pauli V. parte* 3. aliique paſſim, & explicatius habetur in Bulla Cœnæ, ubi non ſolùm excommunicantur, qui Eccleſiaſticis directè imponunt gabellas, ſed etiam qui indirectè. Nam adhuc revera Eccleſia læditur, non ſolùm quia per hujuſmodi edicta & ſtatuta propter onus gabellæ ſuper emptore laico impoſitum, Eccleſiaſtici vilius vendunt res ſuas, ſed etiam quia iidem privantur jure, quod habent liberè contrahendi cum laicis, qui emendo ab illis non tenentur ad gabellas. At gravare laicos ementes ab Eccleſiaſticis eſt indirectè contra immunitatem eccleſiaſticam, ut ſupra probavimus, firmatque Suarez *in Reg. Angel. lib.*4. *cap.*33. *num.*6. Bald. *d. conſ.*31. *num.*2. Gemin. *in cap. Eos, §. fin. num.*51. *de temp. ordin. in* 6. Imol. *in c.*1. *§.*1. *eodem* Dec. *in l.*1. *num.*7. *C. de in jus voc.* Jaſ. *conſ.*112. *num.*2. *lib.* 1. Roland. *conſ.*61. *nu.*18. *& ſeq. lib.*4. Menoch. *conſ.*136. *per tot. lib.*2. Gabr. *conſ.*161. *num.*3. *& ſeqq lib.*2. Surd. in ſæpè alleg. *conſ.*301. *num* 8. *& conſ.*345. *num.*8 *& conſ.*525. *nu.* 18. Rimin *conſ.*724. *num.*48. *lib.*6. Buccaf. *conſ. incip. Cauſæ*, Tuſch. *lit. E. concl.*558 *num.* 4. Gratian *diſcept. for. c.*26. *num* 16. *lib.*1 *& c.*390 *numer.*2 *&* 3. *lib.* Xammar. *de offic. Jud. part.*1 *c.*11. *& num.*114. ubi id totum ſtabilit Conſtitutione Tarraconiæ, Squillan. *de privil. Cler. c.*8. Bellet. *diſq. Cler. par.*1. *tit. de exempt. Cler.* §.8 *num.* 4. Homob. *de exam. Eccleſ. p.*2. *tr.*9 *c.*1. *q.*1 Molfeſ. *in conſuet. Neapol. p.*19. *q.*23. *num.*6. Ciarlin. *contr. for. c.*22. *num.* 9. *tom.*1. Mandel. *conſ.*8 *per tot.* qui omnes aſſerunt, non ſuffragari, quòd gabella imponatur emptori laico, quia indirectè cedit in præjudicium ac damnum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum vendentium, nihilq; aliud fit, quàm mutatio nominis fraudulenta.

26 Non eſt igitur poſitum duntaxat in opinionibus Doctorum, quod laici ementes ab Eccleſiaſticis non poſſint gravari onere gabellarum. Ideòque exemptio conceſſa Clerico venditori juvat laicum emptorem, quia ſi emptores gravarentur ſolvere gabellam, onus hoc omninò redundaret in damnum, ac præjudicium venditorum, cùm tantò minoris emerent emptores, & ſic defraudati remanerent Eccleſiaſtici ſua immunitate, fieretque fraus legi, quod prohibetur *in leg. fundo, ff. de rei vendit. leg. Non dubium, ff. de legibus* ac tradit *conſ.*48. *num.*5. Felin *in proœm. decret. num.*6. Gemin. *in d. capite primo, colum.* 2. *de tempor. ordin. in* 6. Nam dum onus gabellæ annectitur contractui, oportet quod Eccleſia, & Clerici minoris vendant ſuos fructus, Imol. *conſ.*184. Sylv. *conſ.*19. & plures alii, quos ſequitur Sperel. *dec.*41.

*dec.* 41. *num.* 70. Eòque præſertim , quia privilegium venditoris tranſit in emptorem , *l. Rutilia Polla* , ubi Bart. & alii , *ff. de contrah. empt.* nec inſolens eſt frui quempiam privilegio ratione conjunctionis , quo aliàs non frueretur , Jaſon. *in l. Emancipati* , *numer.* 3. *cum ſeq. C. de coll.* Eſtque regula , quod immunitas etiam perſonalis tranſit ad correlativos . quando damnum pendet ab alio, Menoch *d. conſ.* 136. *num.* 3. *lib.* 2 Gratian. *cap.* 390. *num.* 12. Ita ut omnis cautio, quam comminiſci poſſunt adverſarii , nihil aliud importaret , quàm ut Clerici ſint laicis ſujecti ac ſubdantur oneribus laicalibus , quod eſt omninò impoſſibile , ac damnatum , Abb. *in cap. fin. de vit. & honeſt. Cler.* ubi Dec. *num.* 53. Felin. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ numer.* 76. *de conſtit.* Idque etiamſi onus ſit ordinarium , ſive extraordinarium , & pretium rei impoſitum ſit à lege. Nam adhuc ejuſmodi gabella eſt contra libertatem eccleſiaſticam , quia gravatur laicus , cum quo Eccleſiaſtici habent de jure, ut poſſint ſine onere contrahere , ſicut ſine onere anteà contrahebant.

45 Nec majori difficultate evertitur ſecundum fundamentum, cui inſiſtentes plerique ſe ludunt , præcipuè Gratian. *tom.* 2. *diſcept. cap.* 259. *num.* 42. Comitol. *in reſp. moral. lib.* 4. *qu.* 39. *num.* 2. Caſtill. *lib.* 2. *dec.* 127. *num.* 12. Valalch. *tom.* 1. *conſ.* 60. *num.* 14. Megal. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *q* 6. *n.* 108. Parlador. *rer. quotid. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *num.* 21. aliique contra citati, qui aiunt , gabellam revera non eſſe partem pretii, niſi ſolo nomine , ac proinde poſſe ſeparari à pretio rei, ita ut Magiſtratus , ſive Princeps imponere poſſit rebus juſtum pretium legale, quod conſiſtit in indiviſibili, nec poteſt alterari , ſicque Eccleſiaſtici ſemper habebunt juſtum pretium rerum ſuarum. Nobis verò placet inſiſtere ſententiæ illi, quæ docet, gabellam eſſe partem pretii , quam tradunt Caſtr. *conſ.* 433. *n.* 2. Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap.* 6. §. 2. *dub.* 9. *nu.* 51 Molin *tom.* 3. *diſp.* 608. & *diſp.* 678. *num.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 68. Turrian. *tom.* 2. *in* 2. 2. *diſp.* 36. *dub.* 8 Malder. *in* 2. 2 *tract.* 5. *cap* 6. *dub.* 5. Molfeſ. *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *n.* 123. Laſſart. *de decim. vend. cap.* 15. *n.* 19. Bonacin. *de contract. diſp.* 2. *qu.* 9. *punct.* 1. *num.* 4. Dian. *p.* 1. *reſol.* 48. *tract.* 2. Delben. *de Parlam. d. dub.* 30. *ſect.* 9. *n.* 2. & alii. Ratio recta eſt quia Magiſtratus, & communis Prudentum æſtimatio in impoſitione juſti pretii rerum multas circumſtantias tam intrinſecas, quàm extrinſecas conſiderat , inter quas præcipuè onus gabellæ, ac proinde gabella ſemper involvitur in pretio rei; atque idcircò juſtum pretium rei erit tam pretium immune, quàm gabella, & ſic damnum provenit Eccleſiaſticis , cùm propter ſolutionem gabellæ diminutum pretium rerum ſuarum recipiant. Quæ ratio procedit etiam quando pretium eſt taxatum. Nam adhuc gabella detrahitur à pretio ; ſicque proter gabellam ſolvendam ab emptore vilior eſt taxa , Bald. *d. conſ.* 31. *circa med. lib.* 1. Neque res alteratur pretio ratione gabellæ , ſed diminuitur , ſicque pretio diminuto , additur gabella, conſtituitur juſtum pretium rei ex pretio immuni & ex gabella. Quare hujuſmodi gabella non poteſt imponi laicis emptoribus , quia ſemper illa exigeretur ab Eccleſiaſticis mediante perſona emptorum , ut ſcitè reſolvit Rota in Barchinonenſi exemptionis 13. Junii 1646. coram Card. Corrado, §. *Nam contraria ſententia.*

46 Confirmaturque perſpicuè. Nam certum eſt, rem liberam cariori pretio vendi , quàm onere affectam , ut conſtat ex *l. venditor in fin. ff. de ſerv. export. l. Subſignatum, §. bona* , *de verb. ſignif.* & *l. fundi partem* , *ff. de contrah. empt.* Eſtque aperta ſententia Valenzuelæ *conſ.* 69. *num.* 266. Ex ſui enim natura juſtum pretium rei diminuitur , quando onere gravatur , ut diſertè tradunt Bartolus, Baldus , aliique *in l. per diverſas* , *C. mand.* Cenc. *de cenſibus q.* 32. *num.* 21. & *ſeq.* Rota coram Gregor. XV. *dec.* 553. *num.* 3. & in Ariminenſi manutentionis 10. Julii 1652. coram Albergato, cùm onus adjectum ſemper faciat rem minoris æſtimari , *l. Eum* , *qui*, §. *ult. ff. de in diem addic.* Gloſ. *in l. generali*, §. *fin. ff. de uſufr. leg.* & plenè exprimunt Luc. de Pen. *in l. agros col.* 2. *C. de fund. limit. lib.* 11. Angel. *in l. pretia rer.* & ibi Alex. *col.* 1. *ff. ad l. falc.* Panorm. *in cap. Ad noſtram col.* 2. ubi etiam alii Doctores, *de empt. & vendit.* cum pluribus congeſtis à Tiraquel. *de retract. conven. in præf. num.* 20. & *ſeq.* quibus addo Brun. *de ſtat. excl. fœm. art.* 8. 9. 27. *col.* 3. & *ſeq. in fin.* ac Dec. *conſil.* 167. *numer.* 2. Igitur quicquid deſideratur in juſto pretio ratione oneris gabellæ, exigitur à venditore eccleſiaſtico. Atque adeò debet omninò eſſe immunis emptor earum rerum , alioquin indirectè ſolverent gabellam , quod eſt contra omnia jura.

Proindeque leges, ſtatuta, edicta, ordinationes hujuſmodi, tanquam contra libertatem eccleſiaſticam , ſunt ipſo jure nulla , atque adeò vel revocanda, vel declaranda. Dicitur autem ordinatio eſſe contra libertatem eccleſiaſticam quando per eam laici contra Eccleſiaſticos fiunt audaciores , & Eccleſiaſtici timidiores , Bartol. & Angel. *in l.* 1. §. *qui onerandæ* , *ff. quarum rerum act. non det.* Abb. *in cap. Noverit* , *de ſent. excomm.* Felin. *in cap. Eccleſia num.* 69. *de conſtit.* ſive, ut alii explicant, quando tali ordinatione derogatur juri communi , vel privilegio Eccleſiaſticorum, ut *d. cap. Eccleſia* , & ibi Canoniſtæ, Suar. *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 93. Ut cùm Superior laicus ſtatuit aliquid de re , aut perſona eccleſiaſtica, aut onera imponit Eccleſiaſticis, aut in illos, aut in Eccleſias aliter ſuam juriſdictionem extendit, ſive ea præjudicia directè, ſive indirectè inferant, Suar. *de legib. lib.* 4. *c.* 34. *num.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 38. Layman. *lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 9. *num.* 3. Canoniſtæ *in d. cap. Eccleſia* , & in aliis juribus citatis. Et probabilius eſt etiam dici contra libertatem Eccleſiæ ordinationem illam , qua Eccleſiis , ſeu Eccleſiaſticis præjudicatur in iis, quæ illis competunt vel jure gentium , vel naturali, etiamſi non ut corpori ſpirituali , ſed ut compar i Reipublicæ temporalis , ſeu ratione convictus politici, Cardinal. *in cap. Adverſus*, §. *Cæterum*, *num.* 4. *de immun. eccleſ.* Sayr. *lib.* 3. *c.* 34. *num.* 17. Lapus *alleg.* 92. *num.* 3. Tolet. *d. lib.* 1. *cap.* 37. §. *Libertas*, Suar. *diſput.* 21. *de cenſur. ſect.* 2. *num.* 93. & Vivald *ſuper cap.* 18. *Bullæ num.* 8. Idque etiamſi derogetur privilegio particulari alicujus Eccleſiæ, quatenus uſurpetur juriſdictio contra res, vel perſonas eccleſiaſticas, Dian. *reſolut.* 60. *tr.* 2. *tom.* 1. cum multis per eum adductis. Ideoque *ex d. cap. Noverit*, fertur excommunicatio contra eos, qui fecerint ſervari ſtatuta, vel conſuetudines introductas contra eccleſiaſticam libertatem, niſi ea de capitularibus , ſeu libris ſtatutorum fecerint amoveri. Item contra ſcriptores , & ſtatutarios talium ſtatutorum, contra Conſules, Poteſtates, Rectores, Conſiliarios locorum , ubi talia ſtatuta , aut conſuetudines edita fuerint , vel ſervata , contraque eos , qui ſecundùm illa præſumpſerint judicare , aut in publicam formam ſcribere judicata , quæ excommunicatio non eſt reſervata ex hoc textu, Suar. *d. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 79. Et licet textus det terminum ad delenda dicta ſtatuta duorum menſium , hodie tamen non procedit ; quia intelligitur illa dilatio ſolùm quoad edita ante hanc Conſtitutionem , Suarez *numer.* 80. & Canoniſtæ communiter. Similis excommunicatio habetur *in cap. Gravem* , *de ſent. excomm.* tamen Doctores eam intelligunt eſſe declaratoriam , ſeu Canonem latæ ſententiæ , ut Genuenſ. *in prax. c.* 16. *num.* 1. Rot. Cavaler. *deciſ.* 372. *num.* 1. & *dec.* 10. *p.* 2. *poſth.* Farinac. *numer.* 2. Et in *cap.* 15. *Bullæ in Cœna Domini* excommunicantur qui ſtatuta , ordinationes , conſtitutiones , pragmaticas , ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quavis cauſa , & quovis colore , etiam prætextu cujuſuis conſuetudinis , aut privilegii , vel aliàs quomodolibet fecerint , ordinaverint , publicaverint , vel factis , & ordinatis uſi fuerint , unde libertas eccleſiaſtica tollitur , aut in aliquo læditur , vel deprimitur , aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu Summis Pontificibus , & ſanctæ Sedis Apo-

Apoſtolicæ,& quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur. Et ex §. *Declarantes* ejuſdem Bullæ nulla abſolutio eis ſuffragatur, niſi prius dicta ſtatuta, ſeu decreta, ſeu ordinationes publicè revocaverint, & de capitularibus caſſaverint, & de tali revocatione & caſſatione Papam certioraverint. Incurruntque in hanc cenſuram qui utuntur talibus ſtatutis, &c. aut Judices ſecundùm ea judicantes, aut procedentes, aut exequutores exequentes, aut publicani exigentes, ut Sayr. *lib.3. c. 19.numer.*10. Duard.*qu.*24.*numer.* 1. *ſuper d.cap.*15. *Bull.* Alter.*cap.*3.*col.*8. Filiuc.*tract.* 16. *num.* 268. Item continentur hìc ſtatuta, & ordinationes, quæ ſunt contra jura, ſeu privilegia particularia alicujus Eccleſiæ, etiamſi eo caſu non dicantur contra eccleſiaſticam libertatem, & ideò non contineantur *in cap. Noverit*, ſupra citato, Ugolin. §. 6. Sayr.*lib.*3.*c.*19.*num.* 9. Duar.*qu.*26.*num.* 1. Bonacin.*num.*40 Suar.*d.diſp.*21.*ſect.*2. *num.* 90. *in fine*. Continentur etiam hìc eccleſiaſtici Prælati ſtatuentes contra libertatem Eccleſiæ ſuæ ſua eccleſiaſtica poteſtate, aut ſtatuentes contra jura Eccleſiarum, Sylveſt. *v. Immunitas* 2. §. 7. Alter.*cap.*3.*col.* 1. *in fin.* quamvis alii putent hìc ſolùm agi de laica poteſtate, ut Navar. *d.cap.* 27.*num.*71. Vivald. *in Candelabr.ſuper hoc cap.*15.*in fine.* Non autem hìc continentur conſuetudines, niſi quibus corroborentur ſtatuta, & ordinationes prædictæ, Suar. *num.*86. Item in *auth.Caſſa, C.de ſacroſ. Eccleſ.* ſtatuitur, ut qui per annum contumaces fuerint in non revocandis ſtatutis contra eccleſiaſticam libertatem factis, de capitularibus delendo, bona eorum impunè per totum Imperium ab omnibus occupentur. Requiritur tamen declaratoria. Et in *auth.Item quæcunque, C.de Epiſc.& Cler.* ſi quis per annum obſorduerit in excommunicatione incurſa ob præfatam violationem libertatis eccleſiæ, incurrit bannum Imperiale, à qua non extrahitur, niſi abſolutione eccleſiaſtica præcedente à cenſura. Hæc autem pœna banni Imperialis perſonalis, operatur, ut reus ſit privatus omni juris beneficio, & converſatione civium Romanorum, ſed non ideò eſt infamis, niſi infamia facti, Bald.*in d.auth.Item quæcunque* cum Guil. & Jacob. Butrigar. Requiritur etiam declaratoria. In eadem quoque *auth. Caſſa* ſtatutarii & ſcriptores, & judicantes ſecundùm ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam ſunt ipſo jure infames & privati ipſo facto omni juriſdictione; unde eorum actus ſunt nulli. Prædictæ tamen pœnæ *Extravag.Friderici de ſtatut. & conſuetud.* de quibus *in dictis Authent.* procedunt ſolùm pro ſtatutis conditis contra privilegia conceſſa Eccleſiis per conſtitutiones Papæ vel Imperatoris, Bald.*in l.Privilegia,num.*1 *de ſacroſ Eccleſ.* Salyc *num.*3. Et in *cap. Gravem,de ſent.excomm.* ſtatuentes contra eccleſiaſticam libertatem, ſi contumaces exiſtant, privantur feudis, quæ ab Eccleſia tenent propter feloniam, ſeu ingratitudinem. Et hanc pœnam eſſe latæ ſententiæ, ut ſolùm indigeat declaratione, tenet Abb. *in d.cap. Gravem num.*4. Neque illa recuperabit per abſolutionem à cenſura, Goffred. & Cardin.*in cap.Gravem. num.* 4.

48 Sunt itaque hujuſmodi ſtatuta, ordinationes, ſive bandimenta revocanda, vel declaranda. Quando enim Eccleſiaſtici in iis non nominantur, Magiſtratus cogi poſſunt, ut declarent, quod Eccleſiaſtici, & Eccleſia in illis non comprehenduntur, ut evitetur omne periculum præjudicii. Ita ſapienter ſtatuunt Ancharan. *num.*1. Gemin.*num.*4. Franch.*num.*2.*in cap.fin.de immun. eccleſ. in* 6. S. Anton. 3.*p.tit.*12. *cap.*3.§. 5. Surd. *cit.conſ.* 301.*num.*45. Maynard.*de privil. Eccleſ.p.*1.*art.*22. *num.*31. Guevar. *in propugn. libert. Eccleſ.aſſert.* 2. §.2. *numer.*65. Quando verò in edicto, vel ſtatuto Eccleſiaſtici nominantur, certum eſt, quod ſtatutum & edictum eſt nullum, læditque immunitatem eccleſiaſticam, etiamſi in publica utilitate fundetur, ſitque favorabile Eccleſiaſticis, idque defectu juriſdictionis, ut ſæpè diximus, ac docent præter alios Cavalcan. *lib.*3. *deciſ.*33. *numer,* 16. Ploc.*conſ.*93.*num.* 2. Ciot.*lib.*1.*conſil.*81.*num.*84. Suar *de legib.lib.*3.*cap.*34. *& in Reg.Agl. lib.*4. *cap.*16. Aponte *in allegat.reſp.pro cenſ. Pauli V fol.*71. *& ſeqq.* Maynard. *ubi ſup.p.*2.*art.*22.*num.*46 Guevar.*eod.loc. aſſert.* 1. §. 6. *num.*55.*&* 58. & communiter Doctores in *cap.fin.de reb. Eccleſ. non alien.& in cap.Eccleſia S Mariæ, de conſtitut.* & concinit Bald. *in l.Cunctos populos, num.*20.*C.de ſum.Trin.* Quod ſi dubium ſit, an edictum, ſive ſtatutum libertati eccleſiaſticæ adverſetur, damnumque Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis inferat, poteſt Epiſcopus cogere ſtatuentem ut declaret expreſsè tali ſtatuto, vel edicto Eccleſiaſticos, vel Eccleſias non comprehendi. Si autem evidenter conſtet, eſſe contra libertatem eccleſiaſticam, poteſt ac debet Epiſcopus præcipere, ut edictum, vel ſtatutum revocetur, aboleaturque. Quod ſi id facere Magiſtratus recuſet, debet ipſe Epiſcopus propria authoritate illud tollere, ac propterea declarare, ejuſmodi edicta & ſtatuta irrita, leges & pragmaticas nullas eſſe, ſicuti apertè tradunt Canoniſtæ cum Felino *in d. cap. Eccleſia S.Mariæ num.*145.*de conſtit.* Sayr.*de cenſur.lib.*3. *cap.*34.*num.*17. Alterius *lib.*5. *ejuſd. tract. diſpu.* 19. *cap.* 16.*dub.* 54. Et prudentiſſimè ac optimo conſilio ſæpius reſolvit Sac. Congregatio immunitatis eccleſiaſticæ, præſertim in una *Firmana* die 19. Novembris 1630. in *Aeſina* die 8. Aprilis 1631. & in *Poligianenſi* die 21. Martii 1634. an in uno *Neapolitana* directa omnibus Archiepiſcopis Regni tenoris ſequentis: *Illuſtre, e Reverendeſſimo Monſignore, come fratello. Eſſendoſi havuto notitia, che in Napoli ſotto il di* 3. *Settembre proſſimo paſſato ſia ſtata publicata prammatica, nella quale ſi ordina, che ſino à tanto che le notitie neceſſarie diano luogo à fare altra determinatione, à tutti quelli, ch' hanno comprato annue entrate con Regio aſſenſo, ò gabelle in ſolutum, ò in altro qualſivoglia modo, ſi corriſponda alla ragione di cinque per cento per li capitali, che haveranno sborſato, non volendo che ſi poſſa eccedere per neſſun conto, ò cauſa la detta ſomma, non oſtante qualſivoglia franchigia, che ſi poteſſe pretendere da' creditori, la Sacra Congregatione ſopra le controverſie giuriditionali havendo fatto di cio matura rifleſſione, è venuta in ſentimento, che la medeſima prammatica, quantunque generale, non ſi può, nè ſi deve in modo alcuno eſtendere alle Chieſe, Monaſterii, luoghi pii, e perſone eccleſiaſtiche, che hanno comprato le ſudette rendite tanto per difetto di poteſtà, quanto di volontà. Perche i laici, ſi come è certo, che non hanno alcuna facoltà d'obligare con le loro leggi e ſtatuti eſpreſſamẽte le perſone eccleſiaſtiche e loro beni immuni & eſenti da ogni poteſtà laicale per legge divina & humana, così nè meno l'hanno ò poſſono eſercitarla tacitamente, o per indiretto con parole generali, & equivoche; nè ſi può, nè deve mai interpretare, che gli ſtatuenti con la diſpoſitione generale habbiano voluto includere le coſe, che eccedono la loro poteſtà, e molto meno quelle, che ſono ad eſſi prohibite, e per le quali incorrerebbono nelle cenſure fulminate da' ſacri Canoni, Concilii, e Conſtitutioni Apoſtoliche, non riletando che la prammatica ſia ſtata pubblicata per beneficio publico, ò per altri motivi in eſſa eſpreſſi; imperoche nè la cauſa, benche publica, nè gli altri modi ſudetti ponno ſupplire il difetto della poteſtà, principalmente neceſſaria per la validità degli ſtatuti. Nondimeno acciochè le parole pregnanti della prammatica non diano materia, ò preteſto à' Miniſtri, & Eſecutori laici d'intenderla ſiniſtramẽte, ò d'abuſarla in danno de' gli Eccleſiaſtici, la Sacra Congregatione per rimuovere ogni occaſione di equivoco, ſeguendo lo ſtile de' ſacri Canoni con matura conſideratione e deliberatione, e con l' approvatione della Santità di Noſtro Signore, à cui ſe n'è dato parte, hà dichiarato per decreto ſotto li* 23. *del preſente meſe, e dichiara con la preſente, che la ſudetta prammattica non include in alcun modo le Chieſe, Monaſterii, luoghi pii, e perſone eccleſiaſtiche ſecolari e Regolari, e rendite e beni loro, & hà ordinato che tutto ciò ſi ſignifichi à V. S. affin che lla faccia notificare queſta dichiaratione à coteſto Clero ſecolare e regola-*

*regolare, & Eſattori de' luoghi pii, e gli aſſiſta con la ſua autorità, non permettendo, che venga loro fatto alcun' aggravio, ò pregiuditio, ma proceda contro quelli, che non obediranno, ò controverranno à queſta dichiaratione con le cenſure e pene eccleſiaſtiche, con far regiſtrare la preſente ne' libri della Cancellaria di coteſto Arciveſcovado à perpetua memoria, e con notificare alli ſuoi Suffraganei, & inviarne copia, & avviſi del ſeguito, mentre à V.S. prego ogni bene. Di Roma a' 23. di Luglio 1652.* An autem, ſi ſtatuta hujuſmodi ſint notoria, poſſit Epiſcopus ea tollere, non citatis ſtatuentibus? Sunt qui negant per regulam *l. de unoquoque ff. de re jud. & l. nam ita divus ff. de adopt.* vulgò aliis maximè quia etiam in notoriis requiritur citatio *cap. ad noſtram 3. de jurejur.* At ego affirmo cum cum Archid. *in can. qua Lotharius* propè fin. *2. q. 1.* & cum Felin. *in cap. Eccleſia S. Mariæ col. 43. in fin. de conſtit.* ubi ex aliis multis id comprobat.

49 Hinc craſſiſſimè Carol. de Graſſis cum Bartolo, aliiſque Doctoribus *in l. fin. §. Divus, ff. de publican.* erravit. Nam fraudibus quidem occurrendum eſt, ſed maximè cavendum, ne dum quis alienis occurrere exquiſitis modis intendit, ipſe leges fraudet, propriam exercens juriſdictionem, rectamque ſacrorum Canonum interpretationem offendens. Non enim prætextu evitandarum fraudum licitum eſt laicis nova onera & ſervitutes eccleſiaſticis perſonis imponere, quibus illæ quovis modo impediantur, vel timidiores reddantur in exercitio juris, ac libertatis eis competentis, ut in ſpecie reſpondit Gaſp. Calder. *inter conſ.* Anchar. *conſ. 12. ſub n. 2. & 4.* comprobatque Surd. *d. conſ. 301. ſub nu. 45. & ſeqq. ac ſub n. 90.* Quale quidem onus prædictum eſſe, ratio ipſa comprobat, & experientia demonſtrat. Nam officiales illi, quibus res emptæ à Clericis denunciarentur ex inſita quadam ſuo muneri aſperitate ſe frequenter quibuſcumque reddere ſolent difficiles, atque moleſtos, ut habetur *in l. Quante, ff. de publican.* & ut plurimum Clericis, eccleſiaſticiſque perſonis, ut refertur *in cap. laicos, & in c. laici 2. q. 7.* & in *cap. Clericis*, ibique Gloſſ. *de immun. eccleſ. in 6.* ac præter alios tradit Calder. *d. conſ. 12. ſub n. 4.* Ita, ut longiori interpoſita mora jurgiis, ac contentionibus excitatis venditionem, ac emptionem vel impediunt, vel retardant, eoſque diu fatigatos dimittunt. Quod ſanè permittendum non eſt. Satiſque eſſet, quod Eccleſiaſtici in ingreſſu, vel egreſſu Civitatis bona, quæ per ſe, vel ſuos famulos, ac miniſtros inducere, & extrahere ac vendere intendunt, oſtendant Officiali ibidem reſidenti. Quod ſi oriatur inter eos contentio, vel quia ille negat perſonam eccleſiaſticam, vel bona ejus propria, ſeu prætendat, ea eſſe negotiationi expoſita; prima quidem quæſtio ex habitu eccleſiaſtico, & tonſura quibus incedit deferens bona, vel is, cujus nomine deferuntur, definiri ſolet. Nam ex illis talis præſumitur juxta textum *in cap. ſi Iudex laicus, §. Idem eſſe cenſemus, de ſent. excom. in 6.* Eoque magis exhibitis literis teſtimonialibus Ordinarii, quibus præſtanda eſt fides, *cap. Poſt ceſſionem*, ubi Doctores *extra, de probat.* Rota apud Card. Seraph *dec. 713. ſub num. 1.* & coram Urgellen. *dec. 430. ſub num. 2.* & coram Card. Cavaler. *dec. 483. ſub num. 2.* Altera verò ejuſdem juramento regulariter terminatur juxta Gloſſ. *in Clem. præſenti, v. Non negotiandi, de cenſib.* quam ibi ſequuntur Doctores, addentes, quod in caſu, quo hæc controvertantur, Iudex eccleſiaſticus adiri debet, ut ibidem explicat Lap. Abb. & Imol. *ſub num. 10. & ſeqq.* Cardinal. *ſub num. 9.* ac Vital. *ſub num. 36.* firmatque Bertachin. *de gabel. p. 7. ſub num. 13. & 24.* Roland. *conſil. 71. num. 24. ac ſeqq. lib. 4.* Anton. de Nigr. *in repet. extravag. un. de vit. & honeſt. Cler. num. 321.* & Rota coram Coccino in Barchinonen. exemptionis 20. Iunii 1636. §. *Remanebat ſolum.* Nec ea, quæ tradunt Bartolus, & Doctores *in d. §. Divus*, loquentes de denunciatione facienda, & apocha recipienda per exemptos procedunt in Clericis ac perſonis eccleſiaſticis, qui laicorum conſtitutionibus, & edictis, ita jubentibus non ligantur, ut notant communiter Doctores *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit.* ac reſpondent Calder. aliique relati à Surdo *d. conſ. 301. num. 12. & ſeq.* Honded. *conſ. 3. num. 11. 12. & 23. l. 1.* Undè cùm S. Congregationi Immunitatis proponeretur in una Sorana 16. Ianuarii 1663. An Clerici teneantur recipere ſchedulam à laicis pro molendo ſuo frumento, reſpondit, *negativè*. Præterea aut perſonæ, vel rerum qualitas non revocatur in dubium, & tunc non eſt neceſſaria apochæ petitio, neque receptio, quia notoria eſt illorum exemptio, ut declarat ibidem Bartolus *ſub num. 2.* & probat Bertaz. *conſil. 191. ſub num. 1. lib. 1. crim.* Aut de alterutra dubitari contingit, & tunc cùm ad dictum officialem laicum non ſpectet cognitio, ſed ad Iudicem eccleſiaſticum, ut diximus, ideò nec ab eo recipi debet apocha, ſive illa vim habeat licentiæ, ſive atteſtationis præhabitæ cognitionis, ac juſtificationis, quæ hoc caſu coram eo fieri non debet, ſicut fieri deberet, quando ageretur cum laicis, poteſtati ſæculari ſubjectis, in quibus terminis loquuntur idem Bart. & Doctores *in d. §. Divus*, & Bald. *conſ. 79 ſub n. 4. lib. 2.* Roland. *conſ. 79. ſub num. 89. & n. 9 & ſeq. lib. 3.* Decian. *conſ. 44. ſub num. 112. & ſeq. lib. 4.* Cæphal. *conſ. 451. ſub n. 269. & ſeqq.* aliique plures.

Aliæ verò rationes immeritò urgentur. Quippe non 50
negatur, Eccleſiaſticos teneri ſaltem ex vi directiva legibus laicis ob bonum commune conditis, ſi tamen eæ non pugnant cum libertate eccleſiaſtica directè, vel indirectè illam lædendo. At quando pugnant gravando Eccleſiaſticos, aut eorum jura, libertates, & privilegia diminuendo, iis non ligantur. Sic Molin. *de juſt. & jur. tom. 1. tr. 2. diſp. 31. num. 15.* Colleg Bonon. *in reſponſ. pro libert. eccl. contra Venet. num. 14.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 2. diffic. 31. num. 1.* Squillan. *de privil. Cler. cap. 7. dub. 3. n. 94. & cap. 8. nu. 89.* & A ponte *in reſponſ. pro cenſur. Paul. V. fol. 75.* ac omnes.

Eodem modo depellitur vis ſecundæ rationis. Negatur 51
enim, hujuſmodi ſtatuta non dirigi ſaltem indirectè ad Eccleſiaſticos, neque redundare in damnum, ac ſublationem, vel diminutionem eorum jurium ac privilegiorum, ac proindè ſunt contra immunitatem eccleſiaſticam. Quia, ut ex communi tradit Surd. *d. conſ. 301. num. 74.* & nos ſæpè docuimus, quicquid diſponitur tali modo circa laicos, redundat in damnum Eccleſiaſticorum, atque adeò cenſetur diſpoſitum contra Eccleſiaſticos, quia licet loquantur cum laicis, effectus tamen ſermonis dirigitur in Eccleſiaſticos. Quod rectè notarunt Pariſius *conſil. 27. vol. 1. num. 63.* Riminald. ſen. *conſil. 268. num. 32. vol. 2.* Laderch. *conſil. 103. num. 9.* & ante eos Io. Andr. Anchar. & Gemin. *in d. cap. fin. de immun. eccleſ. in 6.* Abb. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ num. 27. & 31. & conſil. 8. numer. 13. & ſeqq.* aliique paſſim, quos refert ac ſequitur Ugolin. *in reſp. ad juriſconſult. Gymnaſii Patavini, cap. 6. num. 8.*

Pari facilitate deſtruitur tertia ratio, ut in ſpecie contra Nattam reſpondet Carol. de Graſſ. *de effect. Cler. eff. 2. n.* 52
*359.* Quia indirectè lædit libertatem eccleſiaſticam. Exemplum verò, quod adducitur non convincit. Quia famuli & coloni Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum non ligantur ſtatutis, aut edictis ſæcularium, ſive generaliter, ſive ſpeciatim de illis diſponant, ut firmant Surd. *d. conſ 301. n. 74.* Matth. *de juriſd. p. 4. caſ. 8. n. 14.* Duard *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 27. n. 6* Delben. *de parlam. d. dub. 30. ſect. 8. n. 3.* & nos alibi copioſè.

Quarta verò ratio cùm aliàs ex dictis, tum ex his eliditur. 53
Nullo enim temporis, etiam immemorabilis, ſpatio jus hoc laicis acquiri potuit in Eccleſiaſticos, ac eorum bona in gravamen, & perniciem eccleſiaſticæ libertatis; ideòque meritò quæcumque conſuetudo in hac materia expreſsè reprobatur tanquam iniqua, & irrationabilis *in cap. Noverit extr. de ſent. excom. & in d. cap. Quanquam, §. Cum igitur*, ibi: *Contraria conſuetudine quorumcumque, quæ dicenda eſt corruptela veriùs non obſtante, de cenſib. in 6. & in auth. Caſſa, C. de ſacroſ. Eccleſ.* Quorum Canonum diſpoſitio repetita fuit in

in Bulla Cœnæ Domini §. 18. ubi etiam §.15.damnatur
verbis expreſſis quævis conſuetudo, per quam tollitur,
ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis
modo reſtringitur libertas eccleſiaſtica, & §.25.ſpeciali-
ter derogatur quibuſuis privilegiis, & conſuetudinibus,
etiam immemorabilibus, & præſcriptionibus quantum-
cumque longiſſimis, quibus alias à diſpoſitis in dicta
Bulla quivis ſe tueri poſſent, licet ad tollendam, ſeu im-
pediendam immemorabilem ſufficiat, quod per ſacros
Canones quævis conſuetudo fuerit, tanquam improba &
irrationabilis, reprobata Gloſſ.*fin.in cap. Clerici, extr.de
judic.* ubi Abb.*nu.5.& 6.*Bald *in.d.auth. Caſſa,* Gloſſ *in
cap.ult.de conſuetud.* Abb.*ibid. num.5.* Roch.*ſect.5. nu.20.*
Jo.Lup.*de libert.Eccleſ.p.1.q.6.* Gabr. *lib.5.de præſcript.
concl.1.num.9.*Marth.*de juriſd.p.4.caſ.64.*Azor.*tom.1.lib.
5.cap.53.q.8.*Suar.*lib.4.in Reg.Angl.cap.34. nu.* 10.Filiuc.
*to.1.tract.16.cap.10.n.256.*Peſant.*de immun. eccleſ. diſp. 3.
num.2.* Alter.*de cenſur.to.1.lib.5.diſp.16.cap.2.* Acoſta *in
Bull.Cruc.q.79.*Bellett.*in diſq. Cler.p.1. tit.3.*§.3.Comi-
tol.*in tr.apol.contra Venet.cap.3.num.8.* Vigian.*tr. de li-
bert.eccleſ.diſp.2.concl.3.& diſp.3.concl.1.* Ugolin.*in reſp.
ad Iuriſper. Gymnaſ. Patav.cap.7.*Tanner.*in 2. 2. diſp.5.
q.5.dub.4.num.132.* Bonacin.*de cenſur. diſp.2. q.4. pun. 2.*
Souſa *contra Venet.fol.72.* Baldell. *in diſp. theolog. tom.5.
lib.5.diſp.39. numer.11.* Malder. *in p. 2. q. 96. art.4.* Lay-
man.*lib.4.tr.9. cap.10.numer.1.* Fagnan *in tr.de juſt. cen-
ſur.Pauli V.p.4.fol.116.*Philiarch.*de offic. Sacerd.p.1.lib.
3.cap.9.* Et latè probavit Rota in Cracovien. juris legen-
di 21.Maii 5627. coram Coccino *in rec.dec. 71. per tot.
p.5.* confirmata dec.265.*eadem p.* aliique, quos referunt,
ac ſequuntur Mareſcot.*reſol.*101.*num.6. & ſer.lib.2.*Add.
*ad dec.Buratti dec. 435. num. 13. & ſeq.* ac pleniſſimè
Surd. *d. conſil.301. ſub num.13. & ſeqq.* Rota in Valentia
gabellæ 9.Decembris 1598. coram Orano, §. *nec magis,*
Gutier.*de gabel.q.92.num.56.* Jo. Franc. Leo *in theſaur.
for.Eccleſ.p.3.cap.7.num.149.& ſeqq.*Duard.*ad Bull.Cœn.
Dom.lib.2.can.18.q.5.ſub n.6.& q.20.ſub n.5. & can.19.q.
8.num.20.*

54 Neque enim hoc caſu ex longiſſimi, ac immemorabilis
temporis curſu Eccleſiaſticorum conſenſus ac Sedis
Apoſtolicæ beneplacitum, ut aliàs, præſumi poteſt.
Tum quia repugnat ſubjecta materia, in qua agitur de
re expreſsè prohibita per ſacros Canones, & inductiva
peccati, & in qua ipſa conſuetudo eſt à jure improbata, &
ratò ac nonniſi ex urgentiſſimis cauſis maturè cognitis
diſpenſari ſolet. Et propterea talis conſenſus ex ſolo cur-
ſu temporis non præſumitur. Immò neque ex tolerantia
Summi Pontificis, *cap. de conſuet. in 6.* Plura enim non
innoteſcunt, vel per patientiam, neceſſitate cogente,
tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exi-
gente juſtitia, tolerari non debent, ut inquit Innoc.III.
*in cap.Cùm jam dudum in in. extr. de præb.* ibique Gloſſ.
*fin.v.per patientiam* rectè infert, quod inde non inducitur
approbatio, ſeu diſpenſatio, & Rot. *dec.10 ſub n.4.de con-
ſuet.in antiq.*& penes Put.*dec.365.ſub n.2. lib.1.* ac in his
terminis fuit reſponſum in d.Valentina gabellæ *d.§.Nec
magis,& §.Unde præſumptus conſenſus Papæ, & d.dec.71.
nu.15.p.5.rec* ac pluribus probat Surd. *d. conſ.301.ſub nu.
50.ac ſeq* & Suar.*de legib.lib.7.cap.13. num.12.* Quia to-
lerantia ſola, ſuppoſita ſcientia, non indicat ſufficienter
conſenſum. Multa enim per patientiam tolerantur, quæ
non approbantur juxta *d.cap. Cùm jamdudum, de præb.*
Quapropter dixit Filiuc.*ubi ſupra,* quod ſimplex toleran-
tia, quando ſcilicet Princeps non poteſt commodè pro-
videre, non ſatis eſt ad diſpenſandum *ex c.Denique, d.4.* &
Colleg.Bononienſe *in reſp.pro libert.Eccleſ.n.57* aſſeruit,
tolerantiam Pontificis in his caſibus non eſſe approbati-
vam animo inducendi, vel confirmandi conſuetudinem,
ſed potius ut ſcandalum vitetur. Quod deſumptum eſt à
Surdo *d.conſ.301.*

55 Tum etiam quia repetita ſingulis annis publicatio Bul-
læ in Cœna Domini, ſive ſub Martino V. circa annum
1420. ut Soto, Navarro, Graſſio, ac cæteris placet; ſive
antea, ut ſentiunt Ugolinus, Filiucius, Souſa, Duar-
dus, ac alii fieri cœpta, in qua Summi Pontifices pro
tempore impoſitiones, & conſuetudines hujuſmodi,
etiam immemorabiles expreſsè damnant, revocant, &
deteſtantur, oppoſitæ præſumptioni reſiſtit, illamque
prorſus impedit, ac interrumpit, cùm manifeſtum præ
ſe ferat Summorum Pontificum diſſenſum & contradi-
ctionem, ac revocet malam fidem laicorum, Felin. *in
cap.Cùm non liceat, ſub num.12.extra de præſcript.* Prob.
*in addit. ad Monach.in cap. Tibi ſub num. 8. de reſcript.
in 6.* Ruin. *conſil. 37. ſub num. 12. lib. 4.* Navar. *conſil.1.
ſub num.1. de fer.* Rot. in Valentina gabellæ §. *ſecundò
exploratum eſt,* Garz. *de benef. p.5. cap. 1. ſub num.454.
& ſub num.558.* Azor. eo loco *cap.12. §. Quod verò, & §.
ſeq.*

Et demum quia præſumptionem hanc expreſsè repro- 56
bavit, ac revocavit ſa. mem. Urbanus VIII. in ſua Con-
ſtitutione incipiente, *Romanus Pontifex, §. Nec non,*
publicata anno 1641. die 5. Junii. Ac ita in his termi-
nis contra Carolum de Graſſis, & contra conſuetudi-
nem, quæ eſt in Regno Siciliæ, ac alibi docet Ciarlin.
*in contr. for. cap.31.num.13. & 16.* Et contra caſus, quos
vocant privilegiatos, Binsfeldius *in com. de injur. &
damn.dat.cap.7.concl.13.* Baron.*tom.11. an.* 1097. ac Hie-
ronymus Cathena in vita Pii V. adverſus Xibeccam, Jo.
Beltranum de Guevara, Chaſſaneum, Bovium. Qua
de re videndi Henriquez in Summa *lib. 10. cap.28. num.
3. & lib.2.de ſum. Pontif. clau. cap. 10. §.3* Bonacina *in
Bullam Cœnæ tom.3.diſp. 1. q. 21. pun.1.num.24.* Sebaſtia-
nus Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. p. 1. diſp. 3. §.1. num. 9.*
Goffredus *lib. 4. de reb. geſt.* Roberti Guiſcardi *cap.29.*
Camillus Borellus *de præſt. Reg. Cath. cap. 5. per tot.* Fa-
ſellus *lib.7.poſter.decad.cap.1.* Ferdinandus Matute *in re-
ſponſo pro impoſit.gabellæ contra Meſſanenſes fol.24.* Ioan.
*hiſt. Hiſp. lib. 10. cap. 5.* Antonius Coſta *lib. 1. conſil. 1.
num.75. & 85* Maurolicus *in hiſtor. Sicul.lib.3.artic.98.*
Laurentius Ananias *in fabric. Mundi tr. 1. fol. 129.* &
alii.

Atque ita demum, contritis omnibus rationibus laico- 58
rum, ſæpiùs declaravit Sac. Congregatio Immunitatis,
etiam pro Statu Eccleſiaſtico, ut liquet ex ſequentibus de-
clarationibus.

*In Ravennatenſi S. Congregatio Eminentiſſimorum* 58
*Cardinalium Immunitatis Eccleſiaſticæ, & controver-
ſiarum juriſdictionalium præpoſitorum ſæpius cenſuit,
perſonas Eccleſiaſticas vendentes minutatim vinum in
propriis domibus, recollectum ex eorum bonis, non teneri
ad ſolutionem gabellæ nuncupatæ della foglietta ex tenore
Conſtitutionis ſa. me. Sixti V. de ſuper editæ, dummodò
ibidem, ut vulgò dicitur, non faccino far bettole, nè
diano da mangiare, à quibus abſtinere debent ratio-
ne honeſtatis clericalis, cognitionemque fraudum, quæ
de ſuper committuntur ſpectare ad Iudicem Eccleſiaſti-
cum.*

In una *Barenſi,* ibi: *Il Clero di Caſſa Maſſa dioceſi di* 59
*Bari rappreſenta humilmente d'eſſere aſtretto da' Gabellot-
ti di detta Terra di pagare la gabella almeno da' compra-
tori del vino, che vende à minuto, & è raccolto ne' beni pa-
trimoniali, e beneficiali, il che riſultando in pregiudicio
dell' immunità Eccleſiaſtica, e contra quello, che ſi e oſſer-
vato fin' ora, ſupplica d' opportuna proviſione.*

*Sacra, &c. reſpondit, gaudere, ac proindè dentur decla-* 60
*rationes.*

Idem reſpondit in una *Aſſiſien.* ibi: *Per informatio-* 61
*ne del memoriale d'alcuni Cavalieri di Chriſto, che
pretendono d'eſſer eſenti del pagamento della gabella del
vino, il Signor Cardinal Veſcovo ſcriſſe che detti Caval-
lieri hanno fatto la loro profeſſione, e che per ſpatio di molti
anni non hanno pagato, sì come coſta per fede di due ga-
bellieri.*

*Sacra, &c. reſpondit gaudere, ac dari reſolutiones.*

Et in una *Reatina. Il Capitulo, e Canonici di Riete eſpo-
gono, che ſino dal tempo della bo. me. del Signor Cardinal* 62

Cre-

Creſcentio loro Veſcovo in queſta ſacra Congregatione fù ſentita la Communità, che loro foſſe lecito aprire il forno per ſpianare i loro grani, raccolti ne' beneficii Eccleſiaſtici, l'entrata de' quali conſiſte in eſſi grani, e da quel tempo ſino al preſente giorno hanno goduto il detto privilegio, anche con l'utile della povertà. E perche dagli Appaltatori moderni ſi è ottenuta una lettera ſorrettitia dalla Congregatione de bono regimine; perciò havuto ricorſo da Noſtro Signore, ſi è degnata Sua Beatitudine di rimettere la reſolutione à queſta Sac. Congregatione, ſupplicando perciò di non eſſer privati di detto privilegio, che loro compete per diſpoſitione di ſacri Canoni, e di Concilii.

Sacra, &c. reſpondit, licere, gaudere, dentur declarationes, & utantur jure ſuo.

63 Ac in una *Bitettenſi* 7. Martii 1651. *Il Veſcovo informando ſopra il memoriale già dato da quel Clero, riferiſce eſſer vero, che quel Principe ſupponendo d'haver dall' Univerſità il jus molendi privativè, ha ſempre preteſo preibire à' ſuoi ſudditi laici che non vadino al molino del Veſcovo, ma ſolamente alli ſuoi, che molti anni ſono comprò dà' particolari; come anche per creſcere all' Univerſità la gabella del macinato, pretende che li medeſimi ſudditi non poſſano portare à detto Molino Eccleſiaſtico franchigie, compre, donategli dagli Eccleſiaſtici, tenendo opinione, che gli Eccleſiaſtici, i quali non poſſono far pane in caſa, non poſſano vendere, ò donare le loro franchigie: perciò ſupplica d'ordinargli quanto debba eſeguire.*

Sacra, &c. reſpondit, non poſſe prohiberi quin laici adeant Molendinum Epiſcopi, emantq; franchitias ab Eccleſiaſticis, qui poſſunt habere furnum, & conficere panem ex frumento in ſuis bonis recollecto, ideòque dentur decreta, procedatque, ſervatis ſervandis.

64 Rurſus in una *Ravennatenſi*, ibi: *Con memoriale rimeſſo rappreſentano l'Abate e Monaci di Claſſe di Ravenna, che non oſtante i decreti di queſta ſacra Congregatione, che ſia lecito à gli Oratori vendere il vino à minuto, purche non diano da mangiare: E non oſtanti le riſolutioni fatte in Camera del 1624. che la Bolla di Siſto V. hà luogo etiam quando li compratori portano ciambelle e robbe mangiative, purche eſſi venditori non li tengano, ſi fà tuttavia oſſervare il contrario; e riſultando da ciò pregiudicio à gli Oratori, & à loro privilegii, e all' Immunità Eccleſiaſtica, ſupplicano per proviſione efficace à loro favore.*

Sacra, &c. reſpondit, licere.

65 Item in *Aſſinenſi* 6. Februarii 1652. *In Aſſiſi vi è una Compagnia di Confratri, e Suore del terzo Ordine di S. Franceſco, chi vivono ſotto la Regola del Santo, e godono il privilegio del foro, e dell' eſentioni tanto riſpetto à i peſi Camerali, quanto d'altre gabelle. Poſſeggono in commune beni laſciatigli da diverſe perſone, i frutti de' quali ſi diſpenſano à poveri, e in altre opere pie. Venendo aſtretti da quelli Gabelloti à pagar la gabella del vino raccolto in eſſi beni, ricorſero à queſta ſacra Congregatione, la quale ſcriſſe al Vicario, che ſentite le parti riferiſſe. Hora nel proceſſo tranſmeſſo, e nella lettera del medeſimo Vicario ſi legge, che da tempo immemorabile habbiano venduto il vino ſenza mai pagarne la gabella, e ciò atteſtano il gabelliero precedente, & un' altro Officiale. All' in contro il gabelliero moderno hà ricuſato di conſentire nella giuriſdittione di detto Vicario, allegando la pendenza della lite avanti Monſignor Teſoriero, producendo una ſua inibitione.*

Sacra, &c. reſpondit, perſonas ſupradictas connumerandas eſſe inter Eccleſiaſticas, dummodò profeſſionem emiſerint, ac proinde gaudere privilegio fori, & exemptionis.

In una loci Pignæ diœceſis Ventimilien. ſub die 18. Maii 1649. *Sacra Congregatio Em. Card. controverſiis juriſdictional. præpoſ. inhærendo declarationibus aliàs factis, cenſuit exemptionem competere à gabella molituræ frumenti recollecti in prædiis beneficiorum exiſtentis in domino Eccleſiæ, & beneficiatorum, etiamſi farina ejuſdem frumenti per eaſdem Eccleſias, & beneficiatos poſtea vendatur, vel donetur, aut convertatur in uſum aliorum.*

Item in una *Tranenſi* proponente R.P.D. Paulucio. *Il* 66
*Vicario Apoſtolico avviſa, come ſi debba governare nella controverſia che fà l'Univerſità à' Clerici, che non debbano godere l'eſentione della gabella del vino miſto de' beni donatigli pro titulo patrimonii clericalis, pretendendoſi dall' Univerſità di non far buona detta eſentione, ſe non quando ſi trovano ordinati in ſacris, e maſſimanente quando in detti Clerici non concorre il requiſito neceſſitatis, & utilitatis Eccleſiæ.*

Sacra, &c. reſpondit, gaudere, & ideò dentur reſolutiones.

Et in una *Aſculana* proponente eodem Paulucio, ibi: 67
*Li Monaci Olivetani eſpongono, che non oſtanti le dichiarationi di queſta ſacra Congregatione, vengono impediti di vendere i vini raccolti ne' loro beni eccleſiaſtici ſenza pagare la gabella, e patendo in ciò danno notabile, ſupplicano d'ordine preciſo per la detta eſentione.*

Sacra, &c. reſpondit gaudere, & detur decretum.

Necnon in una *Rheginenſi*: *Dal regimento di detta Cit-* 68
*tà fu impoſta gabella ſopra il pane, vino, e carne con comprenſione delle perſone Eccleſiaſtiche, ſotto preteſto d'ottenerne aſſenſo Apoſtolico. E benche detto aſſenſo le ſia ſtato aſſolutamente negato, nondimeno continua ad eſiggerla in pregiudicio di eſſe perſone Eccleſiaſtiche tanto regolari, quanto ſecolari; perloche i Padri Geſuiti ricorrono per opportuna proviſione.*

Sacra, &c. reſcripſit Archiepiſcopo, quod non permittat Eccleſiaſticos ſic gravari.

Idem declaravit in una *Lauretana* 18. Iulij 1629. 69

Et in una *Averſana* ſub die 19. Novembris 1658. *Il Col-* 70
*legio Romano nella Terra di Giuliano hà una Reſidenza per aſſiſtere alla cultura di alcuni ſuoi terreni vicini, nella quale ſi ſuppone eſſerſi ſempre pacificamente venduti à minuto i vini raccolti in altra Maſſaria. E perche i Gabellieri pretendono di aſtringerlo alle gabelle, che ſi pagano da' ſecolari, ſupplicò che ſi ordinaſſe à Monſignor Nunzio di Napoli, ò al Vicario generale di Averſa à non permettere ſimile moleſtia, e gravezza. Al che per informatione riſponde detto Vicario, che eſſendoſi nella detta Terra del meſe di Maggio publicato editto, che niun ſecolare poſſa vender vino à minuto ſenza haver pagato la gabella, e licenza de' Gabelloti, e che niuno ardiſſe comprar vino fuori de' magazzini, e luoghi ſtabiliti dalla Communità eſſo Vicario li 20. di detto meſe con editto dichiarò non eſſere in quello de' Gabellotti compreſi i chierici, e perſone Eccleſiaſtiche, e che però potevano vendere liberamente i loro vini à minuto, e comprarſi da' laici ſenza incorſo di pena veruna.*

*Al che in nome dell' Univerſità, e de' Gabelloti fù riſpoſto, che ſe bene gli Eccleſiaſtici, e Chierici erano immuni e franchi, non eſſere però i Padri Geſuiti del detto Collegio per non haver vigne in detta Terra, ma fanno traſferire i loro vini dalle maſſarie di Cacciabella fuori del territorio di Giuliano, e che conforme alla depoſitione di tre Gabelloti per il paſſato haveva pagato carlini ſette per botte di lagrima. All' incontro i detti Padri eſibirono fede di Franceſco Felice loro Agente, il quale aſſeriſce, che per il paſſato il vino venuto ſotto nome ſuo, e in caſa ſua ſi è venduto à minuto, e perciò haver pagato carlini ſette per botte, e che hora i Padri fanno venire il vino in nome loro, e lo ripongono, e vendono nella propria loro caſa di Giuliano.* S. Congregatio cenſuit gaudere, nempè deberi immunitatem.

Et in una *Nolana* his verbis: *Il Capitolo, e Clero ſup-* 71
*plicano per la dichiaratione d'un decreto fatto à lor favore da queſta ſacra Congregatione ſotto li 26. Gennarò 1644. cio è non comprehendi ſub gabella impoſita vendentibus vinum minutatim ſi ex propriis bonis ipſorum ſit recollectum, che s'intenda non ſolamente de vendentibus, mà ancora de ementibus, e che perciò i laici non pono, nè hanno potuto nè direttamente, nè indirettamente impedire i venditori, e i compratori del vino, e benche ſcholari, che*

*non lo vendano, e comprino ſenza pagmento di gabella.* Sacra, &c. *reſpondit detur ſolitum decretum.*

72 Expreſſius in una *Tarentina* die 17. Iulii 1668. ibi: *Rappræſentò altre volte il Capitolo delle Grottaglie à queſta Sacr. Congregatione, che il Governatore in criminalibus in detto luogo ad inſtanza della Comunità per ordine del Regente della Real Giuriſdittione di Napoli haveſſe fatto publicare, & affiggere bando, col quale ſi proibiva, à gli Ecclesiaſtici che non poteſſero vendere il vino che raccoglievano da' loro beneficii, e beni patrimoniali a' ſecolari, e l'Em. Voſtre reſcriſſero, curet Archiepiſcopus pro revocatione, & D. Nuntio, ut aſſiſtat. Laonde ritrovandoſi in Napoli l'Arciveſcovo procurò la rivocatione di detto bando, e l'ottenne. Succeſſivamente dal medeſimo Governatore ad inſtanza dell' iſteſſa Communità, e d'ordine dell' iſteſſo Regente è ſtato publicato, & affiſſo un nuovo bando, col quale ſi proibiſce che niuna perſona ſecolare poſſa comprar vino à minuto da perſone, che del detto vino non ne haveſſero pagato la ſolita gabella, e comprandolo ſiano tenuti à pagare la gabella pro rata del vino, che compreranno; dal qual bando viene impedito à gli Eccleſiaſtici la vendita de' loro vini, ò pure ſaranno ſforzati per poterlo vendere pagarne la gabella. E benche per parte della Communità ſi aſſeriſca, che il bando non tocca gli Eccleſiaſtici, ma i ſecolari ſoggetti, ad ogni modo non ſi può negare, che indirettamente ſia contro gli Eccleſiaſtici.*

Sacra, &c. reſolvit, *ut procedatur etiam ad cenſuras, à quibus Gubernator, aliique non abſolvantur, niſi integrè ſatisfecerint.*

73 Et in Converſanenſi 14. Ianuarii 1653. ac in Ravennaten. 20. Auguſti 1635. & in Uritana 24. Iulii 1628. & in Ianuen. 9. Aprilis 1647. in quibus expreſsè habetur, Clericos gaudere debere immunitate à gabella vini, ac etiam ementes ab eis. Et in Iuvenacen. 14. Maii 1633. ubi ementes vinum ab Eccleſiaſticis non tenentur ad gabellam impoſitam. Et in Terracinen. 24. Martii 1654 ubi emptores fructuum ab Eccleſiaſticis non tenentur ad gabellam extractionis. Clariſſimè in Panormitana 7. Iunii 1633. his verbis. Sacra, &c. cēſuit ſub gabella impoſita à laicis cōtra emptores vini, quod minutim venditur, non comprehendi emptores vini, quod ab Eccleſiaſticis venditur. Ideòq; Eminentiſſimo Archiepiſcopo incumbit, ut immunitatem Eccleſiaſticorum tueatur, & contra violatores procedat, prout juris eſt. Idem in Bituntina ſub die 18. Iunii 1672. & in Recinaten. & Auximana 9. Septembris 1670. tenoris ſequentis: Eccleſiaſtici poſſunt vendere ſua olea collecta ex ſuis bonis etiam minutim; ideòque non poſſunt impediri, dummodo illud vendant in propriis domibus, decenter, ac privatim id faciant, cùm non deceat, neque liceat incedentibus in habitu & tonſura, ac inſervientibus Eccleſiæ aperire apothecas. Et in Martyranen. 10. Ianuarii 1671 reſcripſit Epiſcopo ad formam decretorum, ſcilicet non eſſe impediendam Eccleſiaſticis venditionem vini, etiam ut dicitur à minuto, dummodo non aperiant tabernas.

74 Idipſum declaravit S. Congregatio Epiſcoporum in una *Tranen.* 13. Ianuarii 1610. nempè, *Communitas non poteſt imponere gabellam ſuper vino collecto in propriis vineis Clericorum etiam minorum ordinum, quod ipſi vendunt laicis, quia vinum Clericorum non poteſt ad gabellam obligari.* Idem expreſſit in una *Sypontina* 11. Septembris 1612. & 1613. & in alia *Tranen.* 22. Ianuarii 1617. & in una *Lavellenſi* 24. Septembris ejuſdem anni.

75 Idem etiam cenſuit Sac. Congregatio Concilii. Cùm enim Syndicus *Oppidi S. Viti* Hoſtunen. diœceſis, de conſenſu Proregis impoſuiſſet gabellam ſuper vino laicorum, exigendam partim à Dominis, partim ab emptoribus, & prætenderet, Clericis vendentibus vinum minutatim, debere miniſtros exigere hanc gabellam ab emptoribus.

*Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Epiſcopum nequaquam permittere debere, ut hujuſmodi exactio fiat per quam immunitas Eccleſiaſtica violatur.*

Quod etiam cenſuit in una *Lancianenſi* 21. Septembris 76
1624.

Quæ quidem pro Regno Neapolitano certiſſima om- 77
ninò ſunt, ut patet ex ſequentibus pro Epiſcopis Regni. *Illuſtre, e molto Reverendo Monſignor come fratello. Venendo riferito a queſta ſacra Congregatione ſopra le controverſie giuriſdittionali, che da' miniſtri Regii ſi dia ordine, che alle perſone eccleſiaſtiche non ſi concedi la franchigia ſolita, nè godano la dovuta immunità ne' beni che poſſeggono, con eſſere aſtrette alle impoſitioni, e gabelle. Quando ciò ſia, non doverà V. S. in niuna maniera ubbidire, ma mantenere il poſſeſſo, nel quale ſempre ſono ſtate le perſone Eccleſiaſtiche di coteſto Regno non ſolo per diſpoſitione de' ſacri Canoni, Concilii, e Conſtitutioni Apoſtoliche, ma ancora per privilegii particolari, conſuetudini, e conventioni con queſta ſanta Sede, procedendo con i mezi delle cenſure, e altri preſcritti da' medeſimi ſacri Canoni, Concilii, e Conſtitutioni Apoſtoliche. E del ſeguito non laſcerà di darne continuato ragguaglio per riferire alla Santità di Noſtro Signore, e opportunamente provedere. E Dio noſtro Signore la conſoli, e proſperi. Di Roma li 25. Gennaro 1650.*

Et pro Archiepiſcopo Neapolitano: *Eſſendoſi nella ſa-*
*cra Congregatione, tenuta per ordine di Noſtro Signore* 78
*martedì proſſimo paſſato 22. di queſto meſe, conſiderato maturamente il decreto fatto dalla Regia Camera ſotto li 15. di Novembre dell' anno paſſato 1649. ſopra la eſentione, che deono godere gli Eccleſiaſtici dal pagamento delle gabelle fù riſoluto, che non può in modo alcuno ſuſſiſtere, ne tolerarſi, come contrario alli ſacri Canoni, alle Conſtitutioni Pontificie, e alle Conventioni particolari ſtabilite con la Sede Apoſtolica nelle Inveſtiture di coteſto Regno, e troppo pregiudiciale all' Immunità eccleſiaſtica. Primo, perche quel Magiſtrato ſecolare ſi arroga l'autorità di far decreti, e precetti in materia ſpettante al foro eccleſiaſtico. Secondo, perche limita, e reſtringe a certo numero di perſone, & a portione determinata di vittuali la immunità competente alli medeſimi Eccleſiaſtici libera, e aſſolutamente per quello che raccogliono ne' loro beni. Et anco per quello, che comprano per lo biſogno delle perſone proprie, e di tutti gli altri, che vivono a ſpeſe di eſſi. E così li priva in effetto di quel più, che per legge divina, & humana ſi dee loro onninamente ſenza diminutione alcuna. Terzo, perche ordina che ſia loro reſtituito nelle medeſime ſpecie di vittuali quello, che viene prima da eſſi nell' atto della compra, ò dell' introduttione, ò eſtrattione pagato in danari, benche per le proprie in qualſivoglia quantità non ſia lecito a i laici d'eſiggere gabella alcuna, nè meno per quelli d' altri per la quantità che ſerve per uſo de' medeſimi Eccleſiaſtici. Per quello poi che comprano a minuto nel foro, e botteghe communi ſi deve per ogni ragione di giuſtitia reſtituire ad eſſi puramente in danari tutto ciò, che ſono aſtretti di contribuire nello ſborzo del prezzo alterato da ſimili impoſitioni, ſenza che vengano gravati di haverlo a ripetere con varii circuiti, li quali in fine doppo molti diſagi, e incommodi, che portano ſeco congiunti, rieſcono di niuno, ò molto poco profitto. Quarto, perche modera, e rivoca parimente le oſſervanze precedenti, le quali erano più favorevoli, overo meno dannoſe al Clero.*

*Quanto poi agli Arrendamenti tanto di Corte quanto di* 79
*Città dovuti agli Eccleſiaſtici ſecolari e Regolari, Chieſe, e luoghi pii, nella ſacra Congregatione ſi determinò non eſſer ragionevole che per fatto, e colpa di altri reſtino privi delle proprie ſoſtanze, inveſtite in eſſi ſotto la fede publica. E che vengano occupate, e impedite loro l'eſattioni anco per la rata degli Arrendamenti ripoſti con termini peggiori, e più rigoroſi di quelli che ſi uſano con laici.*

*Onde non eſſendo ſtati baſtevoli gli officii, e le diligenze* 80
*fatte ſin' ora per la reintegratione dell' Immunità, e ſollevamento degli Eccleſiaſtici dalli ſudetti aggravii, doverà l'Eminenza Voſtra ſubito ricevuta la preſente lettera*

far

*far formare proceſſo, ſe pure non è già formato, nel quale appariſcano i detti prejudicii, e ſucceſſivamēte in eſecutione dell'obligo ſtrettiſſimo, che le impongono i ſacri Canoni procedere ſervatis ſervandis alla declaratoria delle ſcomuniche contro i Miniſtri, e altri colpevoli tanto nell'eſattione delle gabelle, e nella ordinatione e publicatione de' decreti, e precetti, quanto nella occupatione, e denegatione degli Arrendamenti, ò rendite ſudette, comminando anche di più l'interdetto generale nell' iſteſſa Città e ſua Dioceſi, accioche riconoſcano gli errori loro, e ſi diſpongano di emendargli: poiche Sua Santità non intende in modo alcuno di tollerare così gravi eceſſi con tanta offeſa di Dio, e in eſempio pernicioſiſſimo della Chriſtianità.*

81 *Tutto queſto ſignifico a Voſtra Eminenza in riſpoſta dell' ultima ſua delli 5. per eſpreſſo commandamento di Sua Beatitudine, accioche certificata in che maniera debba conformarſi nell' adempimento dell'obligo proprio alla ſua ſanta mente, poſſa operare con quella intrepidezza di animo, che richiede il ſervitio di ſua Divina Maeſtà, e della ſanta Sede: Et attendendo quanto prima l'avviſo di quello che ſarà ſeguitto con la copia de' proceſſi per fine bacio humilmente le mani all' Eminenza Voſtra.*

82 Itaut in Regia Camera ſummaria die 10. Maii 1536. fuerit latum Arreſtum contra Vniverſitatem Arriani, per quam ejuſmodi edicta fuerant publicata, fueritque pronunciatum; *talem ordinationem non comprehendere Clericos & licere Clericis vina provenientia ex eorum territoriis & beneficiis vendere ſine ſolutione dictæ novæ impoſitionis, & ſine alicujus pœnæ incurſu ab ementibus* ut legitur apud Regentem de Marinis poſt *dec. Reg.* Revertetæ *n.33. in ordin. fol.*789. Idemque diſponitur *Arreſto* 56. *num.*6. ubi habetur, *Clericos tractandos eſſe uti exemptos à contributione datii, & gabellæ, etſi venderent omnes fructus ſuorum territoriorum, ſeu fruges, & fœtus animalium, ibidem paſcentium.* Hoc idipſum determinatum fuit *Arreſto* 704. ubi refert idem de Marinis ita ſemel ac iterùm Regiam Cameram judicaſſe, quo etiam in loco inſerit Epiſtolam Eminentiſſ. Cardinalis Granvelæ tunc temporis in Regno Neapolitano Proregis ad Philippum Secundum, in qua hæc leguntur: *Sarà informata la Maeſtà Voſtra, che in queſto Regno à Clerici, e perſone Eccleſiaſtiche ſi oſſerva indiminutamente l'eſentione a riſpetto de' beni di legittima ſucceſſione, e de' beni Eccleſiaſtici in qualſivoglia maniera acquiſtati per cauſa Eccleſiaſtica.*

83 Ratio verò ritè ac rectè formandi hac de re proceſſum videtur eſſe hujuſmodi. Quoad gabellas probari debet. Primò, quod Eccleſiaſtici tam ſæculares, quam Regulares, Eccleſiæ, loca pia coguntur ab Officialibus, ac Miniſtris laicis ad illarum ſolutionem, tanquam laici, quamvis debeant eſſe immunes tam pro rebus, quas invehere faciunt, quàm pro emptis in Civitate in proprium uſum, & illorum, qui vivunt eorum ſumptibus.

84 Secundò poni debent in proceſſu Decreta, & Præcepta Regiæ Cameræ, aliorumque Tribunalium laicorum ſuper limitatione, & taxa Immunitatis eiſdem Eccleſiaſticis competentis, & ſpeciatim Ordinationes, quas dederunt ac publicarunt pro eorum obſervatione.

85 Tertiò major indigentia quantitate taxata pro ſuſtentatione eorumdem Eccleſiaſticorum ac illorum, qui vivunt eorum ſumptibus.

86 Quartò divexationes, atque incommoda, & labores, quos præter gravamen ſolutionis Eccleſiaſtici patiuntur pro recuperatione illius etiam parvæ partis, quæ ab ipſis exigitur ratione earumdem gabellarum.

87 Et ſucceſſivè, præmiſſis debitis monitionibus, tam contra Miniſtros, & exactores Gabellarum, ut deſiſtant ab exactionibus, gravaminibus ac præjudiciis contra Eccleſiaſticos ſæculares, Regulares, Eccleſias, & loca pia, ſintque omnes, & quilibet eorum redintegrati in puro, ac libero ſtatu Immunitatis, quæ iis competit juxta diſpoſitionem ſacrorum Canonum Conciliorum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum unà cum integra reſtitutione totius pecuniæ quę ratione Gabellarum, vel impoſitionum ab ipſis quoquo modo mediatè, vel immediatè, directè vel indirectè exacta eſt; quàm contra Iudices ac Miniſtros, qui condiderunt, ordinarunt, ac publicarunt decreta, declarationes, ac præcepta, & quemvis alium actum præjudicialem Eccleſiaſticis pro illorum vigore ac executione ut illa revocent, deleant, abrogent, atque exhibeant in actis Curiæ Epiſcopalis fidem authenticam de illorum revocatione, & abolitione.

Sicque procedendum erit contra quemlibet illorum, 88
ſervatis ſervandis, ad declaratoriam excommunicationum, quæ à ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Conciliis, infliguntur, ac in Bulla Cœnæ Domini renovantur.

Non tamen procedetur ad appoſitionem Interdicti 89
univerſalis in Civitate, vel diœceſi abſque novo ordine S. Congregationis immunitatis, qui ſolet dari ſtatim ac cognoſcitur, non ſufficere ſolam declaratoriam excommunicationis contra ſupradictos particulares pro redintegratione immunitatis Eccleſiaſticæ.

Quod verò ad Arrendamenta formandus eſt proceſ 90
ſus in quo juſtificetur creditum Eccleſiaſticorum, Eccleſiarum, ac locorum piorum, atque inſtantiæ ab ipſis factæ ac replicatæ pro ſolutione, recuſationes, vel tergiverſationes eorum, qui tenentur ad ſolutionem, & exactio, quàm laici faciunt, præmiſſiſque debitis monitionibus contra eos, qui ad ſolutionem tenentur, ut ſaltem ſatisfaciant pro rata Arrendamentorum repoſitorum, poterit ſucceſſivè procedi, ſervatis ſervandis contra eoſdem obligatos, ac contumaces juxta diſpoſitionem S. Concilii Tridentini *ſeſſ.*22. *de reform. cap.* 11. & prout melius videbitur prudentiæ Epiſcoporum.

## CONSVLTATIO XXXV.

*An Canonici Cathedralis poſſint continuare ſolitum* 1
*ex antiquiſſima conſuetudine, etiam ſine habitu canonicali exiſtentes, retinendi in incedendo, & in ſedendo locum digniorem reſpectu Magiſtratus in quibuſcunque functionibus, in quibus ſimul eſſe contigerit, etiam ſi uti ſinguli incedant?*

*An introducendus ſit uſus duorum thuribulorum, ut* 2
*eodem tempore incenſetur Capitulum & Magiſtratus, vel ſaltem Magiſtratus thurificandus ſit ſtatim poſt Canonicos ante omnes alios de Choro contra hucuſque obſervatam conſuetudinem?*

*An incedentibus Canonicis in habitu canonicali, aſſo-* 5
*ciando Epiſcopum, præſertim Cardinalem, debeant ipſi habere locum poſt Cardinalem, dum Magiſtratus incedit antè cum aliis laicis, vel ire poſt ſpectet ad Magiſtratum ſub prætextu, quod Canonici ſine habitu canonicali non cenſeantur incedere collegialiter, & quod ita ſervetur in aliis Civitatibus, in quibus eſt Epiſcopus Cardinalis?*

QVod ad primum aliàs reſpondit ſacra Congrega- 1
tio ſuper Epiſcopis, præcedentiam deberi Magiſtratui in concurſu cum Canonicis non incedentibus in habitu canonicali, & capitulariter. Sic enim cenſuit in una *Veronenſi* 1594. *Canonici Cathedralis dum extra Eccleſiam incedunt, uti ſinguli, nullam habent juriſdictionem. Unde cedere debent habentibus juriſdictionem & Civitatem repræſentantibus, præſertim ſi de conſuetudine in contrarium non conſtaret.* Verùm in hac re nulla habetur expreſſa diſpoſitio Cæremonialis, quæ cogat Canonicos ad probandam conſuetudinem ad ſuum favorem, & propterea admittenda eſt probatio antiquæ conſuetudinis, quæ attendi debet, quia in omnibus ſuis caſibus eſt rationabilis, etiam ex relata declaratione.

Nam quando Epiſcopus intervenit extra Cathedralem 2
in aliqua Eccleſia ad audiendam nimirum concionem, vel ad quemcunque alium actum, & etiam extra Eccleſiam in quibuſvis actibus publicis, Canonici verò

interveniunt collegialiter quidem quoad numerum, ſed ſine habitu canonicali, valdè conſentaneum eſt honeſtati, ut illi habeant locum honorabiliorem prope Epiſcopum, cum quo ſimul exiſtentes ſemper conſtituunt unum corpus, *cap.*1. *diſt.*12. Gemin. *in cap. Quamvis*, §. *Quanquam numer.*3. *de præb. in* 6. Abb. *in cap. Cum licet*, ubi etiam Felin. *num.*2. *de præſcript.* Gregor. XV. *dec.*284. *num.*2. *& ſeq.* ibique Add. & in terminis extat decretum S. Rituum Congregationis *in Balneogerienſi*, die 15. Januarii 1602. apud Barboſam *in ſum. decret. v. Capitulum in principio.* Nulla enim eſt neceſſitas conſtituendi Collegium, & Capitulum, ut Canonici interveniant cum habitu canonicali, ceſſante ſtatuto, vel conſuetudine. Quia Canonici, hoc eſt perſonæ, & non habitus conſtituunt Capitulum, & Collegium, *cap. Porrectum, de Regul.* cum ſimilibus.

3 Præterea quando etiam Canonici ſine habitu canonicali ſoli ſine Epiſcopo in numero ſufficienti ad conſtituendum Collegium, & repræſentandum Capitulum verſantur in aliquo actu publico ſimul cum Magiſtratu, conſuetudo, ut præcedentia, & dignior locus detur Canonicis ſimili modo eſt laudabilis, atque adeò ſervanda. Sunt enim Clerici primi ordinis, dicuntur membra Epiſcopi, qui eſt eorum caput, & appellantur Epiſcopi fratres, *cap.*2. *de offic. Deleg. in* 6. Innoc. *in cap. Sedes, de reſcript.* Lælius Zecch. *de Republ. Eccleſ. cap.*24. *num.*1. Gratian. *in diſcept. cap.*3. *num.*2. Rota *dec.*3. *n.*3. *p.*5. *rec.* Vnde conveniens eſt, quod à Magiſtratu recipiant majorem honorem, quàm recipit quilibet ſingularis inferior de Clero.

4 Hac igitur conſuetudine exiſtente ad favorem Canonicorum, opus non videtur diſcutere, an & quo pacto Magiſtratus repræſentet Principem, & an Canonici repræſentantes eorum Capitulum, in quo adſunt Dignitates, habendi ſint pro Dignitate, & an præeminentiæ competant habitui, anve perſonæ. Sufficit enim Canonicis vincere ex virtute conſuetudinis, etiam uti ſinguli ex declaratione jam adducta.

5 Quod ad ſecundum manutenendi ſunt Canonici omnes in ſua poſſeſſione habendi thus antè Magiſtratum, quod eſt conforme libro cæremoniali *cap.* 23. *ad fin. lib.* 1. Prætenſio autem ſimultaneæ thurificationis mediantibus duobus thuribulis eſt improbata à ſacra Rituum Congregatione, præſertim in una *Interamnenſi*, ibi: *Magiſtratus contra ejuſdem Cæremonialis diſpoſitionem, prætextu cujuſdam decreti epiſcopalis thurificationem exigit ab Archipresbytero, altero thurificando immediatè Vniverſitatem præfatam & interim continuando primo thuribulo thurificationem aliorum Sacerdotum S. Rituum Congregatio, duplicis thuribuli uſum improbando, mandavit ſervari Cæremoniale Epiſcoporum die* 4. *Iunii* 1644.

6 Idque procedit etiam reſpectu Parochorum, qui Eccleſiæ Cathedrali inſerviunt tanquam Canonici ſupranumerarii, ac reſpectu Clericorum in ſacris conſtitutorum inſervientium ſimiliter choro Cathedralis, ut ſcilicet ex conſuetudine Magiſtratus thurificetur poſt eos omnes. Quia hujuſmodi Parochi Canonici, qui etiam deferunt almutium, & Clerici in ſacris, tanquam tales digniores ſunt laicis, præſertim in choro cum habitu Eccleſiaſtico induti. Quam ob cauſam S Rituum Congregatio in una *Aſculana* loci Pennæ die 17. Martii 1629. reſpondit, Magiſtratum thurificari debere poſt omnes Clericos de Choro. Ita enim habetur: *Priores Terræ Pennæ Aſculanæ diœceſis ſupplicaverunt definiri, an ipſi thurificandi ſint immediatè poſt Canonicos ante alios presbyteros inſervientes? Et Sac. Rituum Congregatio reſpondit, thurificandos eſſe poſt omnes de Choro die* 17. *Martii* 1629.

7 Quod ad tertium. Quando Epiſcopus, præſertim Cardinalis accedit ad Eccleſiam, vel recedit cum cappa, Canonici, collegialiter eum aſſociando cum habitu canonicali ſubſequuntur, & Magiſtratus ſimul cum aliis laicis antecedit juxta Cæremoniale *lib.* 1. *cap.* 15. Idemque dicendum, ſi obſervatum fuerit, quando Canonici interſunt ſine habitu canonicali, in caſu quo Cardinalis incedit ſive in habitu Cardinalitio, ſive camerali. Nam ex univerſali obſervantia Cardinalium omnes laici illos antecedunt, & ſoli Prælati ſubſequuntur, quorum Prælatorum loco Cardinalis Epiſcopus conſuevit habere, dictoque loco honorare ſuos Canonicos, qui repræſentant perſonam in dignitate Prælato ſimilem, Innoc *in cap. Cum non ignores, num.*2. *de præb.* cum allegatis à Gratian. *diſcept.* 111. *num.*10. Adden. ad Buratt. *dec.*903. *n.*16. Lotter. *de re benef. lib.*1. *qu.*16. *num.*69. & Rot. *dec.*57. *numer.*10. *pag.*5. *rec.* 8

Vltra quod eſſet nimis damnanda æmulatio Magiſtratus, ſi prætenderet Canonicos privare hoc honore, attento præſertim, quod omnis alteratio, quæ in hac materia fieret, eſſet fomes diſcordiarum. Nam ſive Magiſtratus incederet poſt, ſimulque cum Canonicis, ſive Canonici incederent ante una cum Magiſtratu, adhuc inter ipſos contenderetur de præcedentia; privare autem Canonicos ſuo antiquo loco, illumque dare Magiſtratui, eſſet injuria. Verùm vide *Conſult. de præcedentia Vicarii generalis*, ubi refertur decretum S. Rituum Congregationis pro variis Gubernatoribus.

## CONSVLTATIO XXXVI.

*An donatio facta à Moniali ſuo Monaſterio ſit nulla ex prætextu, quod illam fecerit de ſola licentia Vicarii Monialium, non autem Vicarii generalis, ad quem dumtaxat pertinere ejuſmodi licentias ſæpè declaravit Sac. Congregatio Concilii, præſertim anno* 1634.

IN hac ſpecie videtur reſpondendum, negativè. Primò, quia Epiſcopus duos conſtituerat Vicarios generales, pro ſæcularium cauſis unum, pro cauſis Monialium alterum, prout de jure poteſt, *Clem. Et principalis, de reſcript.* ubi Gloſſ. & Cardin. *n.*3. *cap. Quoniam in pleriſque, de offic. Ord.* Felin. *in cap. Cauſam num.*8. *de offic. Deleg.* Vgolin. *de offic. Epiſc. cap.*4. §.6. *num.*4. Quare Vicarius Monialium erat Vicarius generalis. Sic namque ſeipſum ſemper ſubſcribebat, præſertim in hujuſmodi licentiis firmandis. 1

Secundò, etiamſi daremus, non fuiſſe Vicarium generalem conſtitutum, præſumitur tamen concludenter ex innumeris conjecturis habuiſſe ſpeciale mandatum, & facultatem ab Epiſcopo ad hos actus. Mandatum autem pleniſſimè probari ex præſumptionibus, & conjecturis, firmavit ſemper Rota, ut in Aretina Commendæ coram Pirovano, in Peruſina fideicommiſſi coram Remboldo, & in *dec.*44. *num.*1. Gregorii XV. ac in aliis. Idque etiam ſi non conſtet ex literis patentibus, vel ſcripturis. Rota in Romana officii coram Pirovano; Seraph. *dec.*1376. *num.*2. Etiamſi illud à lege, vel ſtatuto requireretur ſpeciale & expreſſum, Rota *dec.*44. *nu.*6. Gregorii XV, & *deciſ.*86. *num.*3 Immò ex antiquitate temporis præſumitur adhuc ipſius ratificatio, Soc jun. *conſ.*139. & 146 *lib.*3. Gozad. *conſ.*11. *col.*2 Dec *conſ.*295. *col.*7. Immò etiam circumſtantiæ, & qualitates ipſius, Dec. *conſil.*297. *num.* 4. 2

In hoc autem Vicario innumeræ concurrunt conjecturæ & præſumptiones pro mandato ad has licentias. Primo, quia illas dabat publicè, & ad præſentiam Epiſcopi, itaut reputaretur communiter habens authoritatem. Per hanc conjecturam firmavit Rota validam fuiſſe diſpenſationem ſuper defectu natalium, datam à Vicario, licet aliàs non conſtaret per literas patentes de mandato hujus poteſtatis. Rurſus per eandem conjecturam etiam firmavit Rota in Maurinenſi penſionis coram Pirovano 15. Iunii 1626. validas fuiſſe dimiſſorias datas à Vicario Capituli, quamvis non conſtaret, habuiſſe hanc facultatem à Capitulo. Item per eandem conjecturam reſolvit Rota *in nov. dec.*1. *de offic. Vicar.* valere geſta per Vicarium reputatum communiter tanquam juriſdictionem 3

nem habentem, etſi non conſtaret per literas patentes juriſdictio.

4 Secunda conjectura eſt diuturnitas temporis, & multiplicitas actuum coram tribus Epiſcopis ſucceſſivè geſtorum. Nam plures annos continuos, innumeris vicibus ejuſmodi licentiæ conceſſæ fuerut novitiis Monialibus à quatuor Vicariis Monialium, quam præſumptionem pleniſſimè probare firmavit ſemper Rota in Romana domus coram Manzanedo, in Malaſpina juris votandi coram Sacrato *p. 2. rec. dec. 440. n. 2. & dec. 123. n. 3.* & in Conchen. beneficii coram Sacrato.

5 Tertia conjectura eſt qualitas Vicariorum, qui has licentias dederunt, qui cùm fuerint tot numero, nec non doctrina, dignitate, ac morum probitate inſignes, præſumi omninò non poteſt, voluiſſe ſemper & tot annorum ſpatio delinquere in officio vel ex ignorantia, vel ex malitia. Sic in his terminis de Vicario firmat Rota in d. Maurinenſi penſionis coram Pirovano, *& p. 3. div. dec. 675. n. 3.*

6 Quarta conjectura, quia ſemper hanc juriſdictionem exercuerunt præfati Vicarii Monialium privativè ad Vicarium generalem pro ſæcularibus deputatum. Cùm tamen notum ſit in dubio ſemper conceſſam intelligi juriſdictionem cumulativè cum illo, qui aliàs habet illam ordinariam, ut habet Vicarius generalis. Sic Rota in Piſcen. juriſdictionis coram Card. Plac. 15. Iunii 1590. Dec. *conſ. 3. num. 3.* & S. Congregatio Concilii. Quod eſt evidentiſſimum argumentum innotuiſſe Vicario generali mentem & conceſſionem dictæ juriſdictionis prædictis Vicariis ab Epiſcopo conceſſam. Qua ratione Vicarii generales nunquam reſtiterunt Vicariis monialium. Quod ſi præſumatur, illos quandoque reſtitiſſe, & conqueſtos fuiſſe apud Epiſcopum, cùm tamen Vicarii Monialium non deſtituerint dictas licentias concedere, concluditur manifeſtè, ipſo Epiſcopo adjudicante non deſtitiſſe, & proſequutos fuiſſe illas impertiri.

7 Quinta conjectura ſit ampliſſima poteſtas illis conceſſa ab Epiſcopo, qua poterant cognoſcere de omnibus cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis ad Monaſteria Monialium pertinentia. Quæ poteſtas cùm ita ſemper intellecta ſit & ſervata à quatuor Vicariis doctiſſimis, ut ſcilicet comprehenderet etiam facultatem concedendi dictas licentias, ſic fuiſſe datam ab Epiſcopo fatendum eſt, cùm conſuetudo ſit omnium diſpoſitionum & ſcripturarum optima interpres, *cap. Cum dilectus, de conſuet. l. Minimè, ff. de legib.* Præſertim cùm decennii lapſus intervenit, Molin. *de juſt. & jur. tom. 2. diſp. 590. concl. 9.* Gutier. *pract. lib. 3. q. 62. n. 29.* alter Molin. *de primog. lib. 2. cap. 6. n. 57.*

8 Tertiò denique probatur valere dictas licentias datas, quia error communis dat juriſdictionem, *l. Barbatius, ff. de offic. Prætor.* Rot. apud Creſcent. *dec. 4. de off. Vic.* Non quidem ex eo valebant geſta à Barbatio, quod is communi errore pro libero homine habitus fuerit, ſed publica utilitate id exigente, aliàs innumera ſequerentur abſurda in hoc caſu. Nam tot donationes, & profeſſiones factæ à Monialibus per tot annorum intervalla eſſent invalidandæ cum intolerabili tot Monaſteriorum jactura. Eſſent enim condemnanda omnia ad reſtitutionem nedum ſortium principalium, verùm etiam fructuum perceptorum juxta praxim & perennem conſuetudinam Regni Neapolitani, quæ etiam cum Regularibus ſervatur.

Atque ita cenſuit S. Congregatio Concilii in una Neapolitana die 25. April. 1651.

## CONSVLTATIO XXXVII.

*An qualitas homicidii proditorii excludentis immunitatem Eccleſiæ juxta formam Conſtitutionis Gregorii XIV. debeat plenè, legitimè & concludenter probari? Vbi quid de cadaveris ſanguinatione ad homicidæ præſentiam, deque ejus cauſa?*

ITa ſanè, ac ita quod non ſufficiat probatio per præ- 1
ſumptiones & conjecturas, ut in ſpecie probant Ambroſin. *de immunit. cap. 11. num. 4.* Mar. Ital. *eod. tract. lib. 1. cap. 6. §. 1. num. 80. & ſeqq.* Farinac. eodem pariter *tr. cap. ult. num. 374.* & anteà *conſ. crim. 76. num. 2. & ſeqq.* cui ſubſcripſit Falconius, & eandem opinionem probat *nu. 21. vol. 1.* quam etiam tenent ſcribentes inter ejus conſilia criminalia *conſ. 168. num. 8. cum ſeqq. vol. 2.* Giurb. *conſ. 10. n. 24. de exeq. mand. p. 1. cap. 22. num. 5.* Aret. *in cap. Cum non ab homine*, ubi Abb. & alii *de judic.* Vermigliol. *conſ. 105. nu. 1.* Molin. *de ſacr. homin. c. fin. num. 149. & ſeqq.* & in terminis dictæ Conſtitutionis latiſſimè firmat Ciarlin. *contr. 50. num. 61. & ſeqq. lib. 1.* Dian. *p. 5. cr. 1. reſol. 9. num. 1.* Donat. *de Aſyl. reſol. 191. num. 3. & ſeq.* Ric. *dec. 168. num. 5. p. 1.* & poſt alios Bonacin. *de cenſ. tit. de immun. Eccleſ. diſp. 3. q. 7. prop. 2. num. 4* Caſtill. *dec. 156 à num. 4. p. 2.* & declaravit S. Congregatio Immunitatis in Theatina 30. Iunii 1651. Ita ut neque admittatur probatio æquivoca, quæ poſſit eſſe & non eſſe, Vermigl. in his terminis *conſ. 94. num. 9. & conſ. 495. nu. 3.* Farinac. *conſ. 128. n. 8. & conſ. 175. nu. 12. lib. 2.*

Primò, quia captus in Eccleſia habet pro ſe regulam 2
immunitatis, ut probat textus in *cap. Inter alia, & cap. penult. ac fin. extr. de immun. Eccleſ.* Qui autem habet pro ſe regulam, dicitur etiam pro ſe habere juris præſumptionem ad textum *in l. ab ea parte, ff. de prob.* Alciat. *reg. 1. præſumpt. 28. num. 6.* Ac ideò qui dicit caſum non eſſe comprehenſum in regula immunitatis Eccleſiæ, debet concludentiſſimè, ac evidentiſſimè id probare, cùm faciat aſſertionem contra præſumptionem juris.

Deinde, quia qualitas tribuens juriſdictionem non 3
præſumptivè, & per indicia, ſed concludenter probari debet, ut inquit textus *in l. 2. §. ſed ſi dubitetur, ff. de judic.*

Præterea, quia, quando lex probationem requirit, in- 4
telligitur de vera & plena probatione, non autem de præſumptiva, ut colligitur ex textu *in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit.* & notant Canoniſtæ *in cap. pro humani, extravag. de homicid. in 6.* ac poſt alios Ricc. *in pr. reſol. 38. n. 3.*

Poſtremò, quia Conſtitutio Gregoriana ſuper immu- 5
nitate Eccleſiarum non ſolùm in ſpecie, ſed per modum conditionis vult prius conſtare de veritate criminum commiſſorum, antequam rei Curiæ ſæculari tradantur, ibi: *Niſi cognito, an verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint.* Et ideò non ſufficit probatio præſumptiva, ut pluribus comprobant Farinac. *d. conſ. 76. n. 6.* Ambroſ. *ad d. Conſtitut. d. cap. 11. n. 4. & ſeqq.* Mar. Ital *loc. cit.* Scribentes ad Farinac. *d. conſ. 168. n. 9. & ſeqq.* Ricc *ubi ſupra nu. 4.* Caſtill. *d. dec. 156. num. 5. p. 2.* Cùm dicta verba requirant probationem plenam, certam, & concludentem, Donat. de Aſyl. *reſol. 191. num. 6. & ſeq.* Maximè ad fundandam juriſdictionem Judici laico in præjudicium extracti ab Eccleſia, Donat. *d. reſol. 191. n. 4.* Vermigl. *conſ. 90. num. 3.*

Quare ſi teſtes non concludant perneceſſe, quod præ- 6
tenſus reus homicidium proditoriè cõmiſerit, non poteſt pretendi probatio plena & concludens delicti pro pœna, pro non immunitate, ſed merum indicium, ut pluribus illuſtrat Petr. Barboſ. *in repet. l. 2. repet. 1. num. 87. & ſeq. ff. ſolut. matr. in rubr. de probat. n. 253.* Felin. *in cap. Afferte, poſt num. 10. de præſumpt.* ac fusè Farinac. *de indit. & tort. q. 37. num. 53. & q. 52. nu. 50.* ubi, etſi dicat, dari arbitrium Iudici torquendi, vel condemnandi ex dicto indicio, tamen *n. 65.* declarat, hoc procedere quoad pœnam extraordinariam, & de reo confeſſo, ac convicto. Quo repetit *q. 86. n. 55.* aliiſque in locis.

Præcipuè ſi teſtes fuerint examinati in foro ſæculari, 7
qui non probant in Eccleſiaſtico. Quia, licet deponant ſuper eiſdem perſonis, tendunt tamen ad diverſum finem, pro quo Iudex Eccleſiaſticus non debet ſtare proceſſui Iudicis ſæcularis, ut latè probavimus, ac tradit Ricc. *in pr. reſ. 450. num. 3.* ſtante præſertim, quod recognitio hujus

hujus articuli ſpeciatim demandata eſt Epiſcopo: Iudici ordinario, ut benè conſiderat Farinac. *d. tr. de immun. num.*367.*ac ſeqq. & cit. conſ.* 76. *num.* 2. atque ideò non poteſt attendere, quod ipſi conſtat extra ſua acta, declaravitque S.Congreg.Immunit.in Salernitana 18.Martii 1631. dicens, concernentibus delicta confugentium quòd nulla ratio habeatur proceſſui Curiæ laicalis. Et licet aliquando præſtetur fides proceſſui laicorum ante confugium facto, id tamen non ſufficere, declaravit eadem S.Congreg.in Caſtrimaris 18.Decembris 1629. cum aliis declarationibus, quas 1.*tom.*retulimus.

8 Vnde quamvis proditio dicatur quando eſt homicidium commiſſum ſub ſpecie amicitiæ, vel poſt pacem, aut fidem, ſuſpectam, ut explicat Farinac. *de delict. & pœn.qu.*18.*nu.*73. *& ſeqq.* Attamen id procedit quando verè, & concludenter probatur per conteſtes,idoneos de viſu, homicidium eſſe perpetratum proditoriè nullis dictis verbis, ſed ſub velamine amicitiæ, ut pluribus oſtendunt Vincent.de Franch. *dec.*713.*num.*15. *& ſeqq.p.*4.Farinac.*d.q.*18.*n.*74.& Scribentes ad ipſum *d.conſ.*168. *n.*74.Caſtil.*d.deciſ.*156.*nu.*38.ac Giurb.*conſ.crim.*60.*n.*15.

8 Dum igitur hoc legitimè non probetur, non poteſt Fiſcus laicus ex ſolis præſumptionibus proditionem prætendere, ſed rectè præſumere vel illud commiſſum fuiſſe ex nova cauſa, quæ potuit oriri inter ipſos amicos, cùm homicidium in amicum ſemper præſumatur, potius caſuale, quàm deliberatum & proditorium, ut tradit idem Farinac.*de homic.q.*126.*p.*3.*n.*182. *& conſ.crim.*1. *n.*5.ibique Add.*lit.A.& conſ.*19.*nu.item* 19.ubi etiam Add. *lit. X.* vel ab homine ignoto, cùm ſemper in dubio ſit capienda præſumptio in favorem amici, & carcerati, atque in excluſionem delicti, ut notant Gloſſa & Doctores *in leg.*1.*Cod.ad leg.Corn.de Sicar.*

9 Idque etiam ſi vulneratus illicò nominaret, atque inculparet amicum pro delinquente ac proditore. Quoniam ipſius aſſertio nullum facit indicium, non præcedente inimicitia, & non concurrentibus aliis requiſitis, de quibus plenè *de judic. & tort.q.*46. *num.* 36. *&* 153. *ac ſeq.* & ante ipſum Clar.*in* §.*fin.q.*21.*nu.*14.ibique Baiard. *nu.*56.& Caſtil.*d.dec.*186.*n.*10.

10 Ac præſertim ſi teſtes non ſint examinati, ac repetiti, citato prætenſo reo carcerato, ſicuti neceſſarium eſſe de jure ac vigore dictæ Conſtitutionis Gregorianæ demonſtrant Scribentes ad Farinac. *d.conſ.*168.*n.*39. Vel ſi non appareat verificatum corpus delicti. Nam ſi Curia ſæcularis prætendat probatum per teſtes corpus delicti ex vulneribus, quamvis proditoriè illatis, & animo occidendi, non idcircò quis excluditur ab immunitate Eccleſiæ, ut probat Farinac.*eod.tr.de immun. cap.*9. *n.*145. Si verò per mortem inde ſecutam, debet apparere probatio corporis delicti per viſum ac repertum, ut in praxi ſervari docet Foller.*in pr.crim.v.Capiat informationem num.*429.*& ſeqq.* Clar. *in pr.*§.*fin.q.*4.*num.*3.*per tot.* Farinac.*de inquiſ.q.*2.*n.*4.

11 Quare hujuſmodi prætenſus reus reſtituendus erit Eccleſiæ, à qua fortè extractus fuit prætextu, quod commiſerit homicidium proditorium ad textum *in c.miror* 17.*q.*4.*ac l.præſenti* ubi Bartol. & alii, *C. de his, qui ad Eccleſ.confug.*& ad fusè notata per Farinac. *de delict. ac pœn.qu.*28.*num.*1.*& ſeqq.& de immun.cap.*2. *num.*48. ſæpiuſque citatos Scribentes *d.conſ.*168.*num.*49.*lib.*2.ac declarandum, gaudere immunitate.

12 Hinc nota, quod ad licentiam extrahendi concedendam, ut nimirum reus retineatur tutò in carceribus, donec probetur delictum, non requiritur certitudo delicti, ſed ſufficit dubium, neque eſt neceſſe, quod talis opinio vel dubium reſultet ex notitia judiciali, ſed ſufficit extrajudicialis, etiam quæ reſultat ex proceſſu Iudicis laici, juxta declarationes S. Congregationis Epiſcoporum in Neapolitana 23. Aprilis 1602. in Meſſanen 4.Maii 1604.& iterùm in Neapolitana 1. Iulii 1622. Ad conſignandum verò delinquentem Curiæ ſæculari plena probatio requiritur, ex eadem S Congregatione in Cremonen.24.Februarii 1612. & 27.Iulii 1618. Nec poteſt conſignari propter ſolum proceſſum factum à Iudice laico, ex eadem S.Congregatione in Neapolitana 23.Iunii 1600. & in Veſtana 15. Octobris 1613. & regulariter ad conſignandum reum foro ſæculari non ſufficit notitia extrajudicialis ex eadem Sac.Congregatione in d.Neapolitana 1.Iulii 1622. Quod etiam declaravit Sac. Congregatio Immunitatis in Melevitana 15. Iunii 1638.dicens ad effectum extrahendi delinquentem non requiri probationes concludentes, ſed pro arbitrio, & conſcientia Epiſcopi, ſecus verò ad extrahendum, & Curiæ ſæculari conſignandum. Et luculenter in Lauden.7.Novemb.1651.his verbis. Ad privationem privilegii immunitatis, requiritur concludens, & plena probatio.

Ex quibus reiiciendi ſunt Gambiraſ.*deciſ.*281. Sanfel. *deciſ.*135.*num.*3.Dian.*p.*5.*tr.*1.*reſol.*9. Graſſet. *de prodit.*§. 29.*à nu.*172 *& ſeqq.*Lezan.*v.Immunitas n.*28 Delbene *de Immun.cap.*16. *dub.*42.*ſect.*1.*ſn.* 13. aliique allegati à Cortiad.*dec.*21.*num.*62.*&* 75.ac Merlin. *controv.for.*64.*n.*10. quatenus aſſerunt ad amittendam immunitatem Eccleſiæ requiri probationem ſaltem ſufficientè ad torturam,inter quos etiã Gama *dec.*186.*n.*149.*& ſeq.ac dec.*281.ſibi contrarius,cùm in *dec.*279.teſtetur contrarium vidiſſe judicatum, & non ſufficere præſumptivam probationem. Nam qualitas proditionis requiſita in Conſtitutione Gregoriana ad effectum non gaudendi immunitate debet in primis conſtare, & verificari pro parte Fiſci, ut firmant Bart.*in l.Siquis poſthumo,* §.1. ibique Iaſ.*num.*5.*ff.de lib. & poſth.in l.*1.§.*quod autem,ff.ne quid in flumine publico,* Surd.*conſ.*33.*num.*3. *& conſ.*131.*n.*25. *lib.*1.*& conſ.* 179.*n.*4. *lib.*2.Grat.*diſcept.*619.*n.*17.*ac ſeqq. p.*2. fusè Giurb. *conſ. crim.*10.*n.*24. ubi alios congerit, ita, ut pro qualitate non ſufficiant indicia reſultantia ex delicto principali, ſed debeant eſſe ſeparata, & concludentia ſuper ipſa qualitate, ut probat idem Farinac.*de inquiſ.qu.*11.*n.*63. 13

Et licet amicitia operetur proditionem, ut inquit Bartol.*in l.reſpiciendum,* §.*delinquunt, ff. de pœn. & in Extravag.ad reprimendum, v.rebellis,* Luc.de Pen. *in l. fin.C.de delat. lib.*10. ac alii quos cumulavit Farinac. *de carc.q.*28.*nu.*24.*& de immunit.cap.*9 *nu.* 135. *ac ſeqq.* id tamen procedit vel quando amicitia eſt ſimulata, ut dicunt Felin.& cæteri *in cap.*1. *de homic.* Alex. *conſ.* 145. *num.*5.*lib.*7.Decian *tr.crim.lib.*7.*cap.*29.*num.*19. *& ſeqq.* Villag.*de extenſ.leg.ſuper immun.Eccleſ.lib.*5.*q.un.nu.*52. Maſtrill.*de indult.cap.*29.*n.* 2. *& ſeq.* Ambroſin. *d. Bull. Gregor.cap.*9.*n.*3. Farin.*de delict.q.*18.*poſt n.*74. *& de immun.d.cap.*9.*n.*173.Caball.*de homicid.n.*396.Catal. *de indul.cap.*31.*n.*6.*& ſeqq.*ibique Io: Bapt.de Leonard.*in ſua alleg.num.*14.*& ſeqq.*ac plenè Hieron.Campan. *tract.diverſ.jur.canon.rubr.*11.*cap.*32.*num.*7.*& ſeqq.*Card. Tuſch. *v.Proditor, concl.*869.*num.*4.*& ſeqq.* à quibus non diſſentit Bartol, *ubi ſupra,*& notat Carol.de Graſſ. *de effect. amicit. nu.*242. *cum ſeqq.* Vel quando conſtat amicum ſine diffidatione, & nullis præcedentibus verbis, ac nulla interveniente rixa occidiſſe amicum. Tunc enim verè dici homicidium proditoriũ probat Bart.*in d.l.reſpiciendum,* §.*delinquunt,v.*1.*ac d.v.rebellis n.* 4. *& ſeq.* Gloſſ. *in cap.Cleric.*46.*de* ubi Turrecr. & alii Io: Andr. *in cap.*1.*extr.de feud.* Par.de Put.*de re milit.lib.*2.*q.*7.*nu.*2.Gigas *de crim.læſ.majeſt.tit.de prodit.q.*1.*num.*16.*& ſeq. & q.*9.*n.*5.Gutier.*pract.quæſt lib.*3.*q.*2.*num.*4.*ac ſeqq.*Covar.*var.reſol.cap.*20.*num.*7.Gomez.*de delict.cap.*3.*num.*5. Azeved. *ad reg.conſtit.lib.*1.*tit.*2. *leg.*3.*num.*11. Remig de Gon.*de immun.fallent.*14.Afflict.*dec.*265.*nu.*64.Cæphal. *conſ.*65.*n.*13.*& ſeq.lib.*1.Giurb *conſ.crim.*60.*n.*2.*& ſeq.*Villagut.*loc.cit.n.*53.*&* 54.Bayard.ad Clar.§.*homicidium à n.*22.*& q.*68.*n.*107.Cavalc.*de branch.reg.p.*1.*num.*75.*& ſeq.* Cabal.*de homic.n.*396. ubi alii, Gratian.*diſcept.*380.*n.*39. *p.*2.Ambroſ.*in eundem loc.n.*3.*& ſeqq.*Campanil.*d.cap.*31. *nu.*8. ubi & alii, Cevall.*comm.contra com.q.*817.*nu.*1. Farin.*d. quæſtio.* 18. *articul.*74. *& de immunit. d. capit.*9. *num.*137. 14

*n.*137. *& ſeqq. ac conſ.crim.*132. *num.*2. & Scribentes *ad conſ.*168.*nu.*74.*vol.*2.*p.*1. & poſt alios Guazin. *defenſ.* 1. *cap.* 38.*n.*39.

16 Non autem quando ex proceſſu datur vera, & ſolida amicitia inter occiſum & occidentem. Quia tunc non præſumitur homicidium proditorium, ſed caſuale, ac improviſum, ut ſcilicet ex nova alia cauſa, & inopinata inter ipſos tunc contingente provenerit, ac tale delictum patratum fuerit, Alberic. *in l.*1 §.*Divus ſub n.*3. ubi etiam Angel. *n. item* 3. ac Marſil. *nu.*43.*ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Gloſſ. *in l.*1.*v. non occidendum, C. eodem*, idem Marſil. *in l. un. num.*207.*C. de rapt. Virg. conſ.*51.*nu.*47. Jo. de Amic. *conſ.*65.*n.*11 *& conſ.*85. Flam. de Rub. *conſ.*41.*nu.*47. *lib.*1. Signorol *conſ.*63.*num.*10 *& ſeq.* Bertac. *conſ. crim.*208.*nu.*13.*& ſeq. lib.* Card. Alban. *conſ.*1. aliique innumeri, quos ſequitur Farinacius *de homic. q.*126.*numer.*182.*& ſeqq. ac conſ. crim.*1.*num.*5. ibique Addit. *lit. A. vol.*1.*& conſ.*142. *num.*3. *vol.*2.

17 Quia cùm proditio habeat ſecũ animum deliberatum, ac præmeditationem, ut ait Farinac. *d.q.*18.*n.*73. Cabal. *de homicid. num.*37. & Bellizon. *in alleg. impreſ. in tract. Cattal.* poſt *cap.*31. *num.*15. numquam cenſetur inter amicos commiſſum delictum animo deliberato, vel proditorio, niſi dictus animus cum prædicta qualitate probetur, ut præter relatos tradunt Jo. Andr. Hoſt. & alii *in cap. Inter alia, de immun. Eccleſ.* Viv. *deciſ.*391.*num.*7. Joſ. Ludov. *deciſ. Lucen.*37. Mar. Anton. *var. reſol. lib.*3. *reſol.*10. *nu.*4. & Giurb. *conſ.*10. poſt *num.*24. Atque adeò cùm non conſtet de negativa interventus rixæ, neque de affirmativa præmeditationis, meritò excluduntur termini homicidii proditorii, Gutier. *p. qu. lib.*1. *qu.*2. *nu.*3. *&* 9. Dec. *tr. crim. lib.*7. *c.*19. *nu.*9. Cabal. *de homic. nu.*397. *& ſeq.* ac Peguer. *dec.*54.*n.*9.

18 Ideòque minimè ſufficiens eſt ad exiſtentiam homicidii proditorii probatio amicitiæ inter interficientem & occiſum. Tum quia generalis regula eſt, quod licet ex parte interficientis non comprobetur pura rixa, homicidium tamen non cenſetur præmeditatum, Caſon. *de maleſ. cap.*5.*nu.*5. *in tr. noviſ. tom.*11.*p.*1.*fol.*282. Blanc. *de indic. d. tr. tom.*11.*p.*1 *fol.*265.*num.*54. Menoch. *de arb. caſ.*361. *nu.*23. Farin. *q.*126.*num.*106. Giurb. *conſ. crim.*82.*numer.*25. Tum quia probatio amicitiæ magis oſtendit, animum & intentionem non fuiſſe ad occidendum, ſed quod occidens id fecerit ex ſuperveniente rixa, vel improviſo caſu, Carrer. *in pr. crim.* §. *homicidii autem numer.*72. Menoch. *præſump.*40.*n.*22.*& ſeq. lib.*1. Bertaz. *conſ. crim.*29.*n.*14.*& conſ.*133.*n.*15.*lib.*1. cum aliis.

19 Neque aliud cenſendum ex iteratione vulnerum. Quia licet ex illorum qualitate aliquando inſurgat animus occidendi, non tamen quando nulla apparet præcedens occidendi cauſa, inſurgit præſumptio præcedentis deliberationis; quia animus potuit ſupervenire ex ſuperveniente rixa, Clar. §. *homicidium num.* 6. *v. ex oppoſito med.* ubi quod Senatus Mediolanenſis ita ſæpiùs judicavit, Menoch. *de arb. d. caſ.*361.*num.*33.*& ſeqq.* ac Farinac. *qu.* 126. *num.* 188. Sed quia pro excluſione præmeditationis prævalent præſumptiones provenientes non ſolùm ex omiſſa præparatione armorum, veſtium, pecuniarum, & hujuſmodi aliis de quibus Bertaz. *conſ. crim.*85.*nu.*14. Abb. *conſ.*46.*num.*9. ac Mant. *conſ.*325.*nu.*16.*&* 152.*nu.*8. Farin. *conſ.*61.*num.*11. *lib.*1. idcircò ad effectum immunitatis maximè confert ratio textus ſacræ paginæ in *Deuteron. cap.*19. *v.*6. quia nullum contra eum, qui occiſus eſt odium prius habuiſſe monſtratur, dum enim diſponit immunitate gaudere homicidam, quem non monſtratur prius odium habuiſſe, ſatis exinde inſurgit, quod proditio abſque hac demonſtratione non præſumitur, ut etiam textum præfatum ad præmeditationis excluſionem adducit Menoch. *de præſumpt.*40.*n.*24.

20 Nec mirum, quia proditor non dicitur is, qui amicum occidit, ſed qui nulla præcedente inimicitia, vel diffidatione, ſeu rixa ſub colore & figura amicitiæ aliquem conſulto & cogitato occidit, hoc eſt quando actibus amicitiã profitetur, ſed in corde ac mente aliud gerit, & ſic requiritur amicitia poſitiva, ſub cujus fide, & tutela amicus ab amico occidatur, & ſine amicitia non datur proditio juxta doctrinam Bartol. *in d. extravag. ad reprimendum, ut rebelles, & d.l. reſpiciendum*, §. *delinquunt, ff. de pœn.* quem cæteri ſequuntur, relati à Sperel. *dec.*23.*n.*6. *& ſeqq.* ubi adducuntur exempla ſacræ Scripturæ, Cephal. *conſ.*57. *n.*13. *lib.*1. Vinc. de Franch. *dec.*78. *numer.*15. Prax. Neapol. *cap.*76. *num.*1. *per tot.* ubi, quod ita fuit declaratum, ac nos alibi. Dum igitur non apparet præceſſiſſe inter amicos aliquam inimicitiam, contentionem, rixam, vel aliud ſimile, quod potuerit præbere cauſam doloſè diſſimulandi animum, & expectandi occaſionem occidendi, prout requiri videtur à Cæphal. *ubi ſupra numero* 15. à Menoch. *de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt.* 40. *numero* 24. ab Eugen. *conſil.* 65. *n.*22. *lib.*2. ab Honded. *conſil* 87.*n.*99.*lib.*2. profectò dici non poterit homicidium proditoriè cõmiſſum fuiſſe.

21 Et licet Clarus *in d.* §. *homicidium n.*10 conſideret proditionem, quando nulla præceſſit inimicitia, id tamen intelligi debet ubi inſimul conſtet de non cauſa, & non diffidatione, ne alias dicamus omne homicidium commiſſum in perſonam, quę non erat inimica, proditorium eſſe, cum alio non probato regulariter præſumatur commiſſum in rixa, niſi probetur, quod abfuit omnis caſus fortuitus, qui tunc oriri potuit ad tradita per Menoch. *d. caſ.*361. *ſub n.* 33.

22 Sanguinationem autem cadaveris quod attinet, an ſit certum argumentum perpetrati homicidii pernegamus. Ajunt enim accidiſſe frequentiſſimè, ut homicida adducto ad cæſi cadaver, ſanguis inde ubertim efflueret, ſi homicida intra viginti quatuor à cœde & morte horas, aut ut Ficinus *ad Conviv. orat.* 7. *cap.* 3. memorat, intra ſeptem inducatur. Alii longè etiam prolixiorem moram admittunt. Nam Loyer *lib.*4. *de ſpectr. cap.*21. affirmat, ſe hanc cadaveris ſanguinationem deprehendiſſe factam poſt diem circiter quintum à cæde, Boerius *deciſ.*162. exemplum affert, quo idem contigit poſt dies octo, & alterum quo idem deprehenſum eſt poſt duos menſes à cæde. Eventum verò ipſum abſolutè, ſeu nulla temporis limitatione appoſita tradunt plurimi Iuriſconſulti apud Farinac. *in pract. crimin. q.*52.*num.*154. & alii, quos referunt *lib.*3. *miſcell. cap.*5. Læl. Biſciol. *tom.*2. *lib.* 15. *cap.* 1. Delrius *in Octav. Senec. ad verſ.*117. & Collius *lib.*4. *de ſanguine Chriſti d.*3. *cap.*1.

23 Hujus autem effectus varii varias cauſas proferunt ſanè inanes, quas legere eſt apud Pelbart. *roſar.*3.*v. Homicidium* 4. *tit. de pœna homicidii*, *verſ. tertia pœna.* Sed reliquis prætermiſſis, Aponenſis *in ſect.* 7. *problem. q.*6. id refert in ſpiritus inimicitiis ſuccenſos, & ſpecie iræ quaſi fœtos, quos homicida ei impreſſit, quem occidit. Expetunt enim ad proprium domicilium regredi, ideoque accedente ad cadaver eo, à quo impreſſi ſunt, deſirium remeandi, ebullitione produnt. Magni facit & approbare videtur hoc placitum Loyer *ſupra.* Affineque eſt placitum Collii *loc. alleg. c.*6. affirmantis, hunc effectum oriri ex virtute quadam per homicidam, odii & irarum ſtimulis actum, impreſſa ei, quem obtruncat. At Dandinus *lib.*2. *animæ digreſſ.*39. prædictum effectum tribuit ſpiritibus occiſi nondum ſedatis, & idcircò commoventibus ſeſe ad commotos in præſentia cadaveris ſpiritus homicidæ. Quo fortaſſe reſolvitur quod nuperus Porphyrii interpres dixit *ad l.*2. *de abſtinentia*, nempè rationem hujus effectus reddi poſſe ex eo, quod animæ è corporibus per vim avulſæ, deſiderio corporis non longè ab eo ſedem figant poſt diruptam unionem, ut fert ſententia Ægyptii, quem eo loco refert Porphyrius. Hæc ſi admittantur, fatendum conſequenter erit, effectum iræ ab occiſo conceptum, gignere commotionem corpoream in cadavere juxta poſteriorem ſententiam: Vel idem præſtari per iram ab occidente conceptam juxta alterum placitum.

24 Neutrum tamen admittendum eſt. Quis enim non videat,

deat, ſive ab occiſoris, ſive ab occiſi ſpiritibus ira ſuccenſis, fateamur proficiſci effectum illum, idem contingere debere cadaveri bovino, aut aſinino, ſi ab aliquo ex ira occidatur? At nemo finxit effectum illum ſanguinationis in aſini, vel bovis, alteriuſve ullius bruti cadavere deprehendendũ eſt. Deinde ſpiritus ſunt naturę ſupra modum evanidæ & diſſipabilis, ut propterea ridiculum ſit exiſtimare, eos poſt non modò horas, ſed & dies plurimos præſtolari in cadavere occurſum homicidæ. Quod verò commoveatur ad occurſum homicidæ ob incenſos adhuc ejus ſpiritus, & inſulſe fingitur. Sic enim omnes, qui commoti, vel irati accederent ad caver periclitarentur inſimulari cædis patratæ. Nec magis ſapit quod, dicitur, ſpiritus appetere redire poſtliminio ad eum, à quo occiſi ſunt, illumque occurrentem internoſcere, & ſuum emigrandi deſiderium ebulliendo prodere. Quæ tam nullo fundamento, imò cum tam perſpicua inanitate philoſophandi aſſerunt, ut non videantur longa confutatione egere. Paria propè opponere licet adverſus illam virtutem impreſſam, à ſpiritibus diſtinctam, quam Collius fingit, vultque ſopitam jacere abſente occiſore, ad hujus autem adventum excitari ad operandum, & ſanguinem attrahere. Qui operandi modus cauſæ inanimæ, præſertimque attractrici, nullo fundamento, veriſimilitudinis colore tribuitur. Æquè ſanè, ut cætera omittamus, à quocumque altero ſuccenſente imprimi deberet virtus illa attractiva alieni ſanguinis, ſicque ad præſentiam, & occurſum iteratum iraſcentis oporteret ſanguinem ſequi in altero, quod eſt apertè ridiculum.

25 Sapientioribus verò ea videtur optima philoſophandi ratio, ut cum effectus ille contingit (ſæpè enim non contingit, ut certis experimentis deprehenſum eſt, ac præter cæteros teſtatur Bellus *in auct. aphoriſm. polic. p. 2. lib. 2. diſcurſ. 40.*) Deo humani ſanguinis vindici, eaque via clancularium homicidam detegenti, adſcribatur. Tunc enim ſolere hanc cadaveris ſanguinationem accidere cum homicidium fuit occultum & proditorium affirmat Comeſtor apud Pelbartum *ſupra*. Ad Deum certè non ad iram, ullamve aliam naturalem cauſam effectum iſtum refert Sybill. *decad. 3. cap. 8. qu. 4.* poſt Henricum de Aſſia. Idem habet Ægydius *quod lib. 5. q. 25.* Idem velle videtur Major *in 4. diſt. 15. q. 19.* explicatè autem Theſaurus *dec.* 174 Item Majol. *colloq.* 1. qui addit inſigne exemplum, quo id totum debere referri ad miraculum, videtur perſpicuè demonſtrari. Nempe S. Thomæ, Herefordienſis in Anglia Epiſcopi, cujus ſacra oſſa omni jam carne prorſus nudata, cum in Tuſcia obiiſſet, tandem in Angliam aſportata ſunt. Obviam autem illi facto Comite Gloverinæ, per quem S. Epiſcopus admodum fatigatus, & magnis atrocibuſque injuriis affectus, non tamen occiſus fuerat, multo ſanguine manarunt. In qua narratione omnes præcluſæ videntur ambages ad utcumque ſtabiliendas reſponſiones propoſitas, tantumque non apertè affirmatur, Deum eſſe, qui clamantem ad ſe humanum ſanguinem ultum velit. Qua ferè ratione accidere dixerim quod Boethus, & Laſſævus in deſcriptione Scotiæ referunt de halecibus non ultra revenientibus, ſi eorum piſcandorum, vel coemendorum cauſa fundatur humanus ſanguis.

26 Itaque, quicquid ſit de aliis cauſis, quas citati Authores varias proferunt, & expendunt, negamus eas, quæ ſuperius adductæ ſunt, ad probandum certo perpetratum homicidium, validas eſſe.

27 Sed adiiciamus noſtra parerga quoad extractionem è loco immuni. Et quidem poteſt Epiſcopus ex Conſtitutione Gregoriana extrahere delinquentes, etiam ab Eccleſiis Religionis Hieroſolymitanæ, ut decretum à S. Congregatione Immunitatis in Meſſaneñ 6. Maii 1652. Item poteſt extrahere in caſibus non expreſſis in Bulla Gregoriana ad effectum correctionis tantùm: eadem S. Congregatio in Interamneñ 27. Martii 1640. & in Aretina 31. Auguſti 1649. & in Neapolitana 18. Februarii 1640. & in Cathaceñ 1. Septembris 1643.

Extracti à loco immuni, dum articulus diſcutitur debent retineri ſub cuſtodia Curiæ eccleſiaſticæ: eadem S. Congregatio in Neapolitana 30. Septembris 1626. S. Congreg. Epiſc. 30. Septembris 1617. & Conſtit. Gregorii XIV. Confugientes verò non debent retineri ligati in Eccleſia eadem S. Congregatio in Caſineñ 8. Februarii 1639. 28

Epiſcopus non poteſt expellere confugientem ab Eccleſia, ne incidat in manum Curiæ ſæcularis, eadem S. Congreg. in Cæphaluneñ 19. Martii 1647. 29

Extractio à loco non eſt permittenda, niſi ſolis Epiſcopis, non autem inferioribus, & ante illam requiritur proceſſus: eadem S. Congregatio Nullius Orbitelli 23. Martii 1638. 30

Extrahentes indebitè, & apponentes cuſtodes loco immuni ſunt excommunicati. Eadem S. Congreg in Aprutina 1. Octobris 1641. & in Neapolitana 2. Iunii 1632. & in Andrien 6. Feb. 1635. & in Bitetteñ 22. Maii 1635. & in Theatina 20. Iunii 1651. 31

Nemo poteſt extrahere delinquentes abſque facultate Apoſtolica, exceptis caſibus in Bulla Gregoriana. Eadem S. Congreg. in Conſentina 30. Ianuarii 1628. & in Romana 12. Decembris 1628. & in Cajetana 1. Decembris 1637. & in Neapolitana 14 Octobris 1630. 32

Extractio non permittitur ad effectum examinandi delinquentem. Eadem S. Congreg. in Mutineñ 13 Iulii 1638. 33

In caſibus non exceptis in Bulla Gregoriana non licet Iudici eccleſiaſtico extrahere & reum tradere Curiæ ſæculari, abſque incurſu cenſurarum. Eadem S. Congreg. in Valliſoleta 19. Iunii 1627. 34

Extractio non debet fieri per laicos, ſed cum aſſiſtentia Iudicis eccleſiaſtici. Eadem S. Congreg. in Cathaceñ 11. Auguſti 1631. 35

Extractus à Curia laicali debet reſtitui eidem Eccleſiæ etiam ſupervenientibus probationibus ſuper aliis delictis. Eadem Sac. Congregatio in Ianueñ 8. Decembris 1632. Deinde eſt extrahendus ſervatis ſervandis juxta formam Bullæ Gregorianæ. Eadem S. Congreg. Mediolaneñ 13. Novembris 1663. Aliquando tamen reſtitutio extracti fit alteri Eccleſiæ cum diſpenſatione Pontificis. Eadem S. Congreg 29. Novembris 1634. 36

Legatus Apoſtolicus non habet facultatem extrahendi. Eadem Sacr. Congreg. in Bononieñ 8. Aprilis 1630. & in Ferrarieñ 15. Maii 1637. 37

Inductus doloſe blandis ac ſubdolis verbis ut exeat ab Eecleſia, ad quam confugerat, ſi exeat, & capiatur, eſt reſtituendus Eccleſiæ. Eadem Sac. Congreg. in Aquapendii 24. Ianuarii 1668. & in Anagnina 10 Maii 1670. de quo nos latè tom. 1. 38

Pro perquiſitione & extractione rerum confugiatarum ad Ecceſiam à doloſis debitoribus, vel decoctoribus, vel à reis furto ablatarum. Item pro extractione, atque ejectione eorum abutentium confugio Eccleſiarum ſole expediri à S. Congregatione Immunitatis facultas in forma juxta ſtylum apud Secretarium dictæ S. Congregationis. 39

Attentans extrahere à cancellis ferreis, vulgò ferrata Eccleſiæ, reum illi adhærentem incidit in excommunicationem. Eadem S Congreg. in Peruſina 4. Aprilis 1671. 40

Die 12. Iulii 1672. in Beneventana ſuper trina extractione delinquentium facta per miniſtros Regiæ Audientiæ Montis Fuſculi Regni Neapolitani ex territorio Beneventano Status Eccleſiaſtici S. Congregat. Immunitatis cenſuit, mandantes, extrahentes, & retinentes præfatos extractos incidiſſe in cenſuram in Bulla Cœnæ Domini, & ideò commitendum Auditori Cameræ Apoſtolicæ, ut procedat, & exequatur ac injungendum Nuncio Neapolitano, ut aſſiſtat, omneſque extracti retineantur in carceribus laicis nomine Eccleſiæ.

Vt autem reus extractus retineatur in carceribus laicis nomine Eccleſiæ requiritur licentia S. Congregationis Immunitatis. Eadem S. Congregat. in Squillaceñ 19. Iulii 1667. 41

Cognitio,

43 Cognitio, an extractus gaudeat immunitate tam ſæcularis, quam Regularis de jure communi ſpectat ad Epiſcopum, etiam præciſa Bulla Gregoriana, quæ loquitur de laicis. Sac. Congreg Epiſcop. in Meliteñ 25. Octobris 1602. & in Roſſaneñ 10. Martii 1610. Non ad Nuntium, niſi ſpecialiter fuerit commiſſa. Eadem S. Cong. Epiſcop. in Florentina 16 Julii 1627.

44 Cognitio delictorum commiſſorum à confugis ſpectat ad Ordinarium, cui conceſſa fuit extrahendi licentia. Eadem S. Congreg 26. Junii. 1607.

45 Licet multiplicitas delictorum aggravet delinquentem, non tamen addit qualitatem, quæ requiritur, ut Curia eccleſiaſtica poſſit tradere reum ſæculari. Eadem S. Congreg. in Montis Alcini 11. Maij 1640.

46 Obſervandumque eſt, quod delinquentes, à loco immuni extracti aliquando conceduntur liberè Curiæ laicæ, ut ex S. Congregatione Immunitatis in Bononieñ 25. Septembris 1637. & in Mutineñ 11. Junii 1627. & in Cremoneñ 29. Decembris 1625. & in Averſana 25. Septembris 1627. & in Ferrarieñ 23. Julii 1632. Interdum conceduntur ex gratia, ex eadem S. Congreg. in Papieñ 2. Julii 1624. & in Mediolaneñ 2. Junii, & in Laudeñ 29. Septembris ejuſdem anni, ac iterum in Mediolaneñ 16. Decembris 1625. Sæpè conceduntur citra pœnam ſanguinis, ut in Januen 19. Novembris 1625. & in Romana 22. Januarii 1627. & in Sutrina 9. Martii 1627. & in Imoleñ 22. Decembris 1631. & aliquoties ratione publici boni ejiciuntur ab Eccleſia, ut in Nepeſina 9. Novembris 1626.

## CONSULTATIO XXXVIII.

*An qui non ex induſtria, ſed caſu, vel ex ſubita ira, ſive excandeſcentia mutilat, vel occidit in Eccleſia, vel Cœmeterio, privetur Eccleſiæ immunitate? Ubi de homicidio, vel mutilatore amente, puero, invito, coacto, ob ſui ſuorumque defenſionem, & hujuſmodi aliis, eorumque cauſa.*

1 AFfirmant ex probabiliori ſententia Abb. *in cap. Inter alia, de immun. Eccleſ. n.* 8. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 22. *n.* 15. ejus magiſter Navar. *cap.* 25. *nu.* 20. Suar. *de Relig.* 10. 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 6. Clar. *in pr.* §. *fin. q.* 30. Farinac. *de carc. q.* 28. *n.* 54. Layman. *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.* 3. *n.* 6. Peregrin. *de immun. cap.* 6. *n.* 15. Gambacurt. *eod. arg. lib.* 5. *cap.* 23. Barboſ. *de jur. u. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 104. Lezan. *v. Immunitas, n.* 11. Decian. *lib.* 6. *cap.* 28. *nu.* 5. Germon. *de ſacr. immun. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 79. Bonacin. *diſp.* 3. *q. de immun.* 7. §. 4. *v.* 7. Cutell. *de immun. Eccleſ. lib.* 1. *q.* 11. quibus adſtipulatur Thomas del Bene *eod. tract. cap.* 16. *dub.* 19. *ſect.* 4. *ubi num.* 3. ait, quod ita declarari videtur à conſuetudine.

2 Ratio autem præcipua eſt, quia tam Innocentius III. *in d. cap. Inter alia*, quàm Gregorius XIV. *in conſtit.* ſua *de immun. Eccleſ.* generaliter ſine diſtinctione homicidis, & mutilatoribus in Eccleſia, in qua delinquunt, hanc pœnam inferunt.

3 At nos negativam partem amplectimur cum Farinacio *in append. de immun. nu.* 238. & 240. ubi recedit ab opinione, quam antea tenuerat *in alleg. q.* 28. *n.* 54. *de carcer.* ac dicit eſſe veriorem, eanque ſequuntur Tuſch. *v. Eccleſia concl.* 11. *n.* 13. & 14. Azor. *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *q.* 6 Gutier. *pract. quæſt. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 3. & *ſeqq.* Azened. *lib.* 1. *tit.* 2. *leg.* 3. *n.* 24. & *ſeqq.* Zambell. *in repert. moral. v. Eccleſia quoad ejus immun. n.* 13. Mar. Ital. *de immun. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. §. 3. *n.* 1. & *ſeqq.* Sperell. *dec.* 59. *n.* 36 Novar. *in ſum. Bullar. tit. de immun. Eccleſ. nu.* 58. Charrar. *dec. crim. Cur. Mediol.* 74. *nu.* 12. Dian. *p.* 1. *tr.* 1. *de immun. reſol.* 11. & *p.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 7. ubi teſtatur ita pluries deciſum, præſertim in Urbe ſub annum 1639. occaſione homicidii commiſſi in Eccleſia Lateranenſi, quæ eſt caput & mater omnium Eccleſiarum, de quo caſu in ſpecie loquitur Vermigliol. *conſ.* 103. eumque refert Joſeph Seſſe *dec. Regni Arag.* 141. ubi *n.* 8. *ac ſeqq.* ait, ab hac ſententia, tanquam à communi, non eſſe recedendum, & confirmat Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *reſol.* 107. & ante omnes docuit Jo. Andr. *in d. cap. Inter alia n.* 1. & 2. & 5. quibus adde Villagut. *de extenſ. leg. cap. fin. num.* 417. ubi prolixè juribus ac Doctorum authoritate id firmat, fuitque obſervatum in Civitate Neapolis anno 1640. occaſione cujuſdam rixoſi homicidii perpetrati in Eccleſia Domus pro feſſæ Societatis Jeſu, dum ibi expoſitum erat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum diebus bacchanalibus, ac cenſuit S. Congregatio Immunitatis in una Puteolana die 14. Junii 1661. in qua cùm quæreretur, an qui ob rixamè feneſtra domus immunis Eccleſiæ ſclopo occiderit exiſtentem in Eccleſia, gaudeat immunitate, reſpondit, gaudere. Et clariſſimè in Algareñ 24. Martii 1637. ibi: *Occidens in Eccleſia provocatus in rixa, gaudet immunitate*, ut proinde mirum ſit, quàm facilè dixerit del Bene, pro contraria ſententia conſuetudinem extare.

Nec deſunt rationes. Nam textus *in d. cap. Inter alia, de immun. Eccleſ.* in quo privantur immunitate occidentes, vel mutilantes in Eccleſia, inquit, quod *nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes* &c. *niſi per Eccleſiam, ad quam confugiunt, crederent ſe defendi, nullatenus fuerint commiſſuri.* Ergo ex argumento contrario, occidunt, vel mutilant in Eccleſia non ſub ſpe immunitatis, & per exceſſum, ſed ex pura ac ſubita iracundia, vel caſu aliquo, non ſunt privandi immunitate. Id, quod etiam annotavit Hoſtienſis ad hunc locum, *n.* 2. 4

Deinde, quia, ut homicidium, vel mutilatio privet immunitate, ita debet eſſe graviter culpabile, ut ſimul etiam ſit graviter Eccleſiæ injurioſum. Quia homicidium, vel mutilatio privans immunitate eſt homicidium, vel mutilatio propriè dicta. Hoc autem eſt cum injuria, quia lædit reverentiam Eccleſiæ, & in vita jus occiſi: Qui autem occidit vel mutilat ex caſu, vel ex ſubita & pura iracundia, non lædit reverentiam Eccleſiæ, neque jus occiſi. Quia primi motus non ſunt in noſtra poteſtate, animuſque cujuſlibet, licet ſapientis, ex hujuſmodi primis motibus rapitur, & officium mentis, ac rationis quodammodo pervertunt citra animum committendi in legem, & Eccleſiæ injuriam inferendi, ut egregiè ratiocinatur Gutier. *pr. q. lib.* 3. & 4 *q.* 1. *n.* 10. *in fin.* & *n. ſeq.* Peguer. *dec.* 14. *nu.* 15. Seſſe *d. dec.* 141. *n.* 11. & 12. & optimè Vermigl. *conſ.* 103. *n.* 5. & 6. *cum ſeqq.* Quare debet eſſe cum culpa mortali. Quia abſque peccato mortali non intervenit actio injurioſa Eccleſiæ, & lædens reverentiam ipſi debitam. Quod requiritur, ut homicidium, vel mutilatio privet Eccleſiæ immunitate. 5

Confirmatur. Quia privatio immunitatis propter homicidium vel mutilationem in Eccleſia, eſt injuria, quæ fit Eccleſiæ. Unde neceſſe, quod actio ſit injurioſa. Non poteſt autem eſſe injurioſa, niſi humano modo exerceatur. Quia injuria eſt quid mortale fundatum in actione humana. Non poteſt autem humano modo exerceri, niſi libero modo exerceatur. Atqui Id, quod fit ex ira antecedente, & præveniente voluntatem, quæ ita movet, atque excitat ad actum voluntatis, ut abſorbeat judicium rationis, non exercetur libero modo; quia talis vehemens paſſio tollit cognitionem: ergo etiam rationem voluntarii, ac liberi, cum dependeat à cognitione, ac proinde non eſt voluntarium liberum, ſed neceſſarium, ut notat Ariſtoteles 2. *Ethic. cap.* 11. & Theologi communiter. Oculo enim mentis per ſubitam iram hebetato, atque obducto tollitur notitiæ claritas, unaque cum ea voluntarium. Sicut ergo omnium conſenſu vehemens, ac ſubita excandeſcentia tollit liberum, ita eodem jure tollit voluntarium; quia quicquid libero officit, ſive cognitionem, ſive principiationem internam minuendo, vel tollendo, officit item voluntario, ad quod illa quoque duo interveniunt. Hanc ob cauſam Plotinus *Ennead.* 3. *lib.* 1. *cap.* 9. videtur aſſerere concupiſcentiam, cujus nomine ira, & dolor, aliæque hujuſmodi paſſiones intelliguntur ex Ariſtotele *Ethic. cap.* 1. reddere actum violentum, atque adeò involuntarium. 6

7 Suffragantur leges civiles, quæ volunt, hoc caſu pœnam *l. Corneliæ* temperandam eſſe; quia is, qui furore commotus aliquem occidit, non punitur. Satis enim ſuo furore torquetur, *l. Divus, ff. de Offic. Præſid.* Quippe juxta Philomonem inſanimus omnes, cùm iraſcimur. Eſtque Sapientum conſenſus, qui iram furorem brevem, & temporariam inſaniam eſſe dixerunt. Sic enim Cato apud Plutarchum *in vit.* iratum ab inſano non niſi tempore diſtare pronunciavit. Alia ex aliis in hanc rem congerit Biſciol. *tom. 2. ſubſeciv. lib. 2. cap.* 17 Antoninus optimè *lib. 7. de vita ſua n.* 21. Irati vultum omninò eſſe contra naturam affirmat, indeque conſtare vult iram à ratione eſſe alienam, atque adeò inſipientiam & inſaniam quandam eſſe. Id porrò ne ex vano prolatum videatur ratione inſuper confirmat Seneca initio *lib. 1. de ira. Aequè enim*, ait, *ira ac inſania impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi, conſiliiſque præcluſa, vanis agitata cauſis ad diſpectum æqui, verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id, quod oppreſſere, franguntur.* Ex his inconditis motibus effectum, ut iratos graviſſimi Patres cum energumenis conferant. Lactantius *cap. 5. libri de ira Dei*, iram eſſe ait, velut ſævam tempeſtatem, quæ in animo, in quem incidit, tantos excitat fluctus, ut ſtatus mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens. Subjicit idem Seneca inſigne irati ſimulacrum ut appareat quantum ſit furentis & inſani ab irato diſcrimen loco præallegato.

8 Allegaturque ob id textus notabilis *in l. ſi adulterium*, §. *Imperatores*, ibi: *Difficilimum enim eſt juſtum dolorem temperare, ff. ad leg. Jul. de adult.* de quo latè Marſil. *ſingul.* 455. Carrer. *in §. homicidium n.* 170. ac textus *in l. reſpiciendum*, §. *delinquunt, ff. de pœn.* Ubi diſtinguitur delictum, quod fit ex propoſito, ut in publicis latronibus, ab eo, quod fit ex impetu iræ. Et *in l. ſi non convicii*, ubi Doctores, *C. de injur. & in l. 1. §. quæritur, ff. ad S. C. Turpil.* eſtque Gloſſ. *in l. quicquid calore, de reg. jur.* & tenent Butr. *in cap. Olim 1. de reſtit. ſpol.* Abb. *in cap. 1. col. 1. de injur.* Primi enim motus non ſunt in poteſtate hominis, & tale homicidium commiſſum per iram non videtur dolosè & ex conſilio perpetratum, Aretin. *conſ.* 80. *col.* 2. Abb. *in cap. dilecti filii ante fin.* ibique Felin. *de exc.* Facit, quod, etſi juramentum ſemper ſervandum ſit, & contraveniens actui jurato mortaliter peccet, *toto tit. extr. de jurejur.* 22. *q.* 2. 3. 4. & 5. quando tamen per iracundiam juratum eſt, juramento quis non eſt adſtrictus, Ant. Bau *in tr. de virt. jurā. n.* 14. Ut propterea idem tenuit in delicto, quam opinionem ſequitur Frideric. de Senen. *in virid. concl. jurid. concl.* 51. Jacob Novel. *in tr. ad defenſ. initio ſub num.* 64. ac prolixè Tiraquell. *de molliend. pœn. cau.* 1. & Plaza *in epit. delict. lib. 1. cap. 2. n.* 19. & judicavit Senatus Pedemontanus apud Theſaur. *dec.* 178. *n.* 4.

9 Non obſtat textus *in l. aut facta*, §. *cauſa, ff. de pœn.* Ubi dicitur puniri eum, qui per iram extraneum pulſat. Quandoquidem omnia ferè delicta vulnerum & homicidii per iram committuntur. Quod ſi propter calorem iracundiæ excuſarentur, rarò punitioni foret locus, ut advertit Cagnol. *in d. l. quicquid calore, n. 9. de reg. jur.* unde & hebraica lege mortis pœnam non evitabat is, qui per iram alterum occiderat, *Num. cap.* 35. Nam id quidem verum eſt. Sed quia textus non exprimit qua pœna ſit puniendus, ideò intelligendus eſt de mitiori pœna ex allegatis per Tiraquel. *d. cau.* 1.

10 Hac enim ex cauſa, quæ ob doloris, vel iræ impetum perpetrantur mitius plectuntur, ac ſæpè etiam inulta abeunt, miſerante Judice conditionem animi dolore juſto, vel ira agitati. Ut idcircò M. Pompilius Prætor neque damnare, neque abſolvere voluerit mulierem, quæ matrem fuſte percuſſerat dolore necatorum liberorum, quos avia filiæ infenſa peremerat, ut refert Valer. *lib. 8. c.* 1. In non diſſimili cauſa ſimile judicium tulit Areopagus authore Gellio *lib. 12. c. 7.* & conſtat ex *Deuteronomii* 19. Deum illam mitiorem pœnam ejus, qui per animi impotentiam ex dolore conceptam deliquerit, ratam habuiſſe. Et hinc etiam oritur, quod Ariſt. 7. *Ethic. c.* 4. notavit, ut peccatum eò minus ſit ac levius, quò vehementior cupiditas, quæ ad illud propulit. Nimirum, ut rectè cenſuit Philo *lib. 7. de ſpecial. legib. ſub med.* Dimidiatum videtur facinus, cui non acceſſit longa deliberatio. At hanc inhibet iracundia ex ſuperius adductis.

Minus etiam obſtat, quod is, qui dat operam rei illicitæ, etiamſi propoſitum delinquendi non habeat, tamen ſi inde oriatur aliquid mali, tenetur tanquam principaliter delinquens ex *cap. Continebatur*, ubi Doctores, *de homic. vol. vel caſ.* Quoniam dat quidem operam rei illicitæ, ſed non ex ſpontanea voluntate & dolo malo. Siquidem ut inquit Tull. *lib. 3. Tuſcul.* humanum id eſt, non enim ex ſilice nati ſumus, ſed eſt naturale, ut in animis teneatur quiddam, quod ægritudine quaſi tempeſtate quatiatur. Et ut egregiè Ariſtoteles 4. *Ethic. cap.* 5. ſcribit, ulciſci injuriam magis naturam attingit humanam, atque, ut idem ait, Omnis ſunt ſenſus & doloris expertes, qui iraſci neſciunt. *Defectus*, ait, *ſive ira vacuitas quædam ſit, ſive quippiam aliud, vituperatur. Nam qui & ob quæ oportet, & ſicut oportet, & in quos oportet non iraſcuntur, hi profectò eſſe ſtolidi videntur. Qui enim non iraſcitur, neque videtur ſentire, neque dolore affici, neque eſſe idoneus ad ulciſcendum.* Quod rectè. Illud verò, quod addit poſſet trahi in malum ſenſum, niſi dextrè interpretemur. *At tolerare*, inquit, *ſi laceſſeris, patique, ut tui contumelia afficiantur, ſervile profectò eſt.* Nec mollius 3. *ad Eudem. cap.* 5. ubi eos, qui laceſſiti faciles, humileſque ſe præbent ad contemptum, ſerviles & inſenſatos nominat. Hoc nec cum chriſtianis legibus, imò etiam cum naturali patientiæ honeſtate pugnet, ita accipiendum eſt, ut is tantùm in culpa ſit, & ſervilitatis ac ſtoliditatis damnetur, qui quo tempore prudentia dictat repellendam eſſe debito modo ſuam, vel ſuorum contumeliam, frigeret nihilominus, & debitam illam repulſam negligeret, nec exſuſcitaret in ſeſe moderatæ iracundiæ impetum ad eam alienæ petulantiæ abactionem opportuniſſimum. Id tamen non obſtat, quominus aliàs, cùm vel nulla eſt repellendi injuriam obligatio, vel conſecututus alioqui alienæ nequitiæ progreſſus acrimoniam aliquam, & vigorem læſi non depoſcit, fas illi ſit, immò laudis, & meriti pleniſſimum, patientiæ ſuæ in toleranda citra repulſam aliena petulantia ſpecimen dare. Neque hoc Ariſtoteles inficiatur. Legendus Diadoch. *de perfect. ſpirit. cap.* 62. Iſidor. Peluſ. *lib. 2. Ep.* 239. tractans illud, *Iraſcimini & nolite peccare.* Quod ſanè cùm ceſſet dolus, res videtur clariſſima, quia mens & animus in delictis præcipuè inſpicitur, quæ in demente ac iracundo non ſunt. 11

Hæc verò noſtra ſententia multas patitur ampliationes & limitationes, quas latè recenſet Cagnolus & Decius *in d. l. quicquid calore, de reg. jur* & prolixius Tiraquel. *in d. cau.* 1. Præ cæteris hæc videtur præcipua, ut non quælibet levis cauſa iræ excuſet, ut ait Cagnol. *ibid. n.* 6. poſt. Jo. Andr. Abb. Felin. & alios. Ideòque Juriſconſultus *in d. l. ſi adulterium*, §. *Imperatores* excuſat iracundiæ calorem quando ex juſta cauſa proceſſit. Hoc tamen judicium quando juſta cauſa, vel injuſta ſit iracundiæ difficillimum eſſe, teſtatur Ariſtoteles *lib. 4. Ethic. cap. 5. Ergo*, ait, *quantum quiſque, vel quomodo modum egreſſus vituperandus ſit, non eſt facilè explicare oratione. In rebus enim ſingulis, atque in ſenſu poſitum judicium eſt.* Quapropter totum adjudicantis religioni & arbitrio relinquendum, qui diſcernet quam ob cauſam, & quomodo iraſcendum, affectiones, quæ modum excedunt, habitum & naturam irati. Nam ſicuti mitius punitur mulier, quàm vir, *l. ſacrilegii, ff. ad leg. Jul. pecul.* ebrius quàm ſobrius, *l. omne delictū*, §. *per vin, ff. de milit.* & minor quàm major, *l. aux liū*, §. *in delictis, ff. de minor.* ita etiam mitius cum eo agendū, qui facilius ad irā ſui natura provocatur, quam cum alio qui tardius excandeſcit. Videtur enim magis deliberatè hic, quàm ille 12

ad

ad delictum procedere, & unus ex propoſito, alter ex impetu delinquere, ut dicitur *in l. reſpiciendum*, §. *delinquit*, *ff. de pœn.* Theſaur. *d. dec.* 178. *n.* 5. Conſiderabit inſuper Judex ea, quæ in ſimili Moyſes ex ore Dei in caſuali homicidio conſideranda propoſuit *d. cap.* 35. nempè ſi neque inimicus ejus, neque illi quæſierit malè facere occiſor. Unde hac conſideratione uſum Egnatium Taurinum Baticæ Proconſulem laudat Hadrianus Auguſtus apud Ulpianum *l.* 4. *init. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* de quo Pith. *in Moſaic. & Roman. leg. collat. tit.* 1.

13 Deinde limitatur quando delictum ex iracundia non ex intervallo, ſed incontinenti fit, id eſt dum adhuc fervet iracundiæ calor, *d. l. quicquid calore.* Ut enim inquit Tullius *lib.* 1. *offic.* injuriæ ſunt vel repentinæ, vel conſultò: Leviores ſunt repentinæ. Si itaque refrigeſcat ira, & deinde quis delinquat, non videtur ex motu iræ deliquiſſe, ſed ex propoſito, & cum animi deliberatione, ut fusè per Cagnol. *loc. ci. n.* 22.

Intra autem quod tempus dicatur durare iracundiæ calor variè diſſerunt Doctores, quorum opiniones enumerat Luc. de Pen. *in l. omnes*, *C. de Decur. col.* 2. *lib.* 10. ubi videtur reſidere in ea ſententia, ut excuſetur is, qui intra triginta dies ex ira motus delinquit. Quod ſequitur Dec *in d. l. quicquid calore in fin.* Grammat. *not.* 32. Id tamen diſplicet Cagnolo *ibib. n.* 17. Eſſe autem arbitrarium Judici exiſtimat Theſaur *d. n.* 5. prout dicitur de verbo incontinenti, ut videatur incontinenti & calore factum, quando non eſt deventum ad alios extraneos actus, vel intra duodecim horas juxta illud Apoſtoli *ad Epheſ.* 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, atque ita judicatum teſtatur.

14 Ampliatur verò, ut non ſolùm excuſet iracundia, quæ provenit ex injuria nobis illata, ſed etiam propinquis. Nam, ut inquit Cicero *lib.* 1. *Offic.* Qui non obſiſtit injuriæ tam eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat. Fuitque mens Ariſtotelis *d. lib.* 4. *Eth. cap.* 5. & firmavit Clar. *in* §. *homicidium*, *verſ. item locum lib.* 5. ac Theſaur *cit. dec. in fine.*

15 Et ut propius accedamus non obſtat, quod Conſtitutio Gregoriana loquatur abſolutè de occidentibus ac mutilantibus in Eccleſia, vel cœmeterio. Quia recipit interpretationem à jure communi, ſcilicet à dicto *cap. Inter alia*, *de immun. Eccleſ.* quod abrogat tantum immunitatis privilegium occidentibus, vel mutilantibus ſub ſpe immunitatis.

16 Tandem non obſtat, quod qui in Eccleſia delinquit, ſemper præſumatur in dubio ſub ſpe immunitatis delinquere, & ſic quod defendi non debeat ab Eccleſia, donec non probaverit, ſe caſu, & fortuitò, non autem ex propoſito deliquiſſe, quia contra ſe legem habet, ut docent Azor. *dict. q.* 9. Farinacius *in append. de immun. cap.* 16. *n.* 241 Gutier. *pr. quæſt. lib.* 3. *q* 1. *n.* 8. Bobadil. *lib.* 2. *polit. cap.* 14. *n.* 24. *& ſeqq.* Azeved. *leg.* 3. *n.* 25. *lib.* 1. *tit.* 25. quos ſectatur Delbene *d. ſect.* 4. *n. ult.* Nam contrarium in jure verius eſt, quia in dubio juris præſumitur homicidium, vel mutilationem fuiſſe potius rixoſum, quàm excogitatum, ut benè Cæphal. *conſ.* 206. *à n.* 1. Farinac. *de homicid. q.* 126. *n.* 106. Et dum confugiens ad Eccleſiam habet pro ſe regulam generalem, pro qua ſtat præſumptio, ille, qui allegat limitationem reſultantem à certa qualitate, debet eam cõcludenter probare, tanquam fundamentum ſuæ intentionis, Mant. *dec.* 251. *n.* 4. Fontanel. *de pact. nupt. clauſ.* 5. *gloſ.* 1. *p.* 2. *n.* 19. *& ſeqq.* ac nos alibi.

17 Præſertim ſi aliqui ex teſtibus à Fiſco laico inductis deponant, mutilationem, vel homicidium perpetratum fuiſſe extra locum ſacrum, vel in loco ſacro, ſed caſu, vel ex ira. Tunc enim, cùm fuerint inducti ab ipſo Fiſco, contra eum benè probant. Quin etiam contra ipſum in criminalibus ſufficere unus teſtis, quicquid ſit in civilibus, Burſat. *conſ.* 311. *n.* 21. *lib.* 3. Farinac. *conſ.* 37. *n.* 4. *& conſ.* 67. *nu.* 3. *lib.* 1. *& conſ.* 185. *nu.* 23. *& conſ.* 142. *n.* 15. *lib.* 2. *& in tr. de teſtib. q.* 62. *n.* 237. *cum binis ſeq.* Vermigliol *conſ.* 95. *n.* 1. & Caſtill. *dec.* 286. *n.* 14. Ac etiamſi teſtes pro reo eſſent pauciores juxta doctrinam Baldi *in l. teſtium ſub num.* 36. Almont. Sciaz. *conſ.* 2. *n.* 71. *& conſ.* 10. *n.* 38.

Hinc conſequenter ad dicta non privatur Eccleſiæ im- 18
munitate per homicidium, vel mutilationem in ea commiſſum amens, vel puer ante uſum rationis. Quia cùm non ſint capaces actionum humanarum, neque etiam poſſunt Eccleſiæ injuriam inferre, qua ſecluſa, ceſſat pœna privationis.

Idem dicendum eſt de ebrio, ſi tamen mutilatio, vel 19
homicidium neque in cauſa illi ſit voluntarium ob eandem rationem. Secus autem ſi ab ipſo ante ebrietatem præviſum fuerit; nam tunc eſt ipſi voluntarium in cauſa, quod ſufficit ad inducendam injuriam. Quinimò ſufficit prævideri, quod poſſit ſequi in Eccleſia, quamvis non determinatè prævideatur ſequuturum. Eò enim ipſo, quod prævidetur poſſe ſequi, & nihilominus ponitur cauſa, eſt volitum in cauſa, ſi ſequatur. Oportet tamen, quod ebrietas ſit talis, ut auferat uſum rationis, & non relinquat actionem in eſſe humano. In dubio autem ex conjecturis dijudicandum eſt. Quod ſi ex ipſis non poſſit vinci dubium, præſumendum eſt pro vera ebrietate, quia de ipſa conſtat, & quod non fuerit perfecta ebrietas, conjecturæ non ſufficiunt.

Idipſum dicendum videtur de committente mutila- 20
tionem, vel homicidium in ludo, aut ioco, ſi tamen actio ex ſe ſit talis, ut non ſit in ipſa aliquo modo voluntarium. Ratio eſt eadem, quia dum tollitur voluntarium, tollitur ratio, ſeu fundamentum humani actus, & conſequenter ratio injuriæ, & irreverentiæ. Quod verum eſt, etiamſi actio, in qua conſiſteret ludus, eſſet illicita. Nam, quamvis ludus ſit illicitus, non idcircò fit, quod in ipſo prævideatur homicidium ſequuturum. Dum ergo non prævidetur, neque etiam eſt voluntarium, ſive ludus ſit licitus, ſive illicitus. Quia, quod ſit illicitus non facit prævideri homicidium. Dum autem non prævidetur, neque etiam eſt voluntarium, atque adeò neque injurioſum. Non obſtante *cap. Continebatur*, *de homicid.* Nam Pontifex ibi declarat irregularem Clericum, non quia exercuit actionem illicitam, ſed quia ludus, quem exercuit, continebat periculum homicidii, quia ludebat falce, ſeu cultro ſuccinctus, & ideò potuit ac debuit prævidere periculum. Dum autem non cavit periculũ, indirectè voluit homicidium. Et ideò ſequitur ſolum, quod tunc ludus, ſequuto homicidio, ſit cauſa privationis Immunitatis, quando in ſe continet periculum homicidii.

Contrarium dicendum eſt de eo, qui in Eccleſia occidens Paulum, putat eſſe Bernardum; ita ut nec cogitet poſſe eſſe alium, nempè non gaudere immunitate. Quia licet homicidium non ſit voluntarium terminativè quoad perſonam occiſam, eſt tamen voluntarium in actione occiſiva, cùm ſciens & volens exerceat actionem phyſicam occiſionis hominis. Hoc autem ſufficit, ut homicidium ſit voluntarium, quamvis error ſit in perſona. Nam homicidium conſiſtit in actione de ſe auferente vitam homini. Quod autem auferat huic, vel illi, materialiter ſe habet. Confirmaturque, quia verè vult, & intendit occidere illum hominem in individuo, in quem dirigit actionem occiſivam, & quamvis erret, putando eſſe alium, vult tamen ipſum occidere. Ergo tale homicidium eſt omninò ipſi voluntarium. Quia intentio revera fertur in illud individuum præſens.

Sic etiam privatur, quum, in Eccleſia volens occidere 21
Franciſcum, occidit Antonium, eo quod ictus aberret. Quoniam adhuc homicidium eſt ipſi voluntarium, quamvis ex accidenti ſortiatur effectum in alia perſona ab intenta. Deinde privatio immunitatis refunditur in homicidium, non quia homicidium eſt, nam ſi caſu fiat, non ſequitur privatio, ſed quatenus eſt effectus actionis injurioſæ eidem Eccleſiæ, atque adeò actionis moralis. Quamvis autem aberret ictus, & alius ab intento occidatur, adhuc tamen actio occiſiva eſt moralis, & injurioſa

rioſa Eccleſiæ, quia continet eandem injuriam, ſive hunc, ſive alium occidat, eſtque injurioſa Eccleſiæ, quia eſt voluntaria, tanquam occiſiva, eo quod exercens intendit per ipſam occidere. Scio aliter cenſuiſſe Sac. Congregationem Immunitatis in una Cervien 2. Aprilis 1669. nimirum: *Qui occidit alium involuntariè in Eccleſia, credens occidere ſuum inimicum, non excluditur à Conſtitutione Gregoriana, ac proinde gaudet immunitate.* Idcircò pateamus.

23 Item privatur occidens in Eccleſia invitè, aut ignoranter, ſed vincibiliter. Nam occidens invitus adhuc tamen voluntariè occidit: Quia quod fit ab invito, ſolum ſecundum quid eſt involuntarium, abſolutè verò eſt voluntarium, ut tradunt omnes in materia de actibus humanis. Rurſus, ignorantia vincibilis eſt culpabilis, & proinde imputatur ad culpam, quod inde ſequitur. Quare homicidium hujuſmodi imputabitur ad culpam, & erit injurioſum Eccleſiæ.

24 Privatur quoque occidens in Eccleſia coactè. Quia, vel is nihil omninò ſuarum virium confert ad occidendum, & tunc quamvis cogens occidere, eo utatur tanquam inſtrumento ad occidendum, ſi coactio ſit phyſica, ſe habebit merè ut inſtrumentum inanime, ſicut eſſet enſis, & proinde non dicetur occidere, ſed eſſe inſtrumentum occiſoris. Vel confert aliquo modo ſuas vires, & tunc voluntariè ſe habebit ad illud homicidium, ſaltem ſecundum quid. Quia potentia executiva, tanquam omninò ſubordinata voluntati, non movet exterius ullo pacto, niſi conſentiente voluntate. Quocunque autem modo conſentiat, redditur aliquo modo voluntaria illa actio. Si verò coactio ſit moralis, adhuc manifeſtius eſt, quod homicidium ſit voluntarium, quia hæc coactio non excludit conſenſum, ſed inducit voluntatem ad conſentiendum.

25 Pari modò privatur qui inſtigat canem, aut aliud brutum ad aliquem occidendum in Eccleſia, & ſequatur occiſio. Quia hujuſmodi homicidium eſt voluntarium in ſe. Nam intenditur ab inſtigante, & ad aſſequendum applicat medium canis, aut alterius bruti inſtigati. Deinde concurrit etiam ad ipſum phyſico modo, nempè inſtigando, & excitando furorem bruti in hunc effectum, atque adeò eſt concauſa ſimul cum bruto ad occidendum. Siquidem brutum ſine furore non occideret, cum furore niſi ex inſtigatione dirigeretur contra occiſum. Nec dici poteſt, quod inſtigans ſit cauſa remota, & quod brutum non ſit inſtrumentum. Nam eodem modo poteſt dici, quod applicans ignem non eſſet cauſa conbuſtionis, quia ignis eſt cauſa principalis, & non inſtrumentum. Eſt igitur cauſa principalis, quia applicat brutum ad occidendum, excitando furorem ipſius, & dirigendo in occiſum. Minuſque dici poteſt, quod hujuſmodi homicidium ſit tantum volitum, non autem voluntarium. Quia cum applicatio actionis occiſivæ ſit voluntaria, erit etiam voluntarium homicidium. Deinde ſufficit, ſi homicidium ſit volitum, & phyſicè procuratum per applicationem cauſæ phyſicæ.

26 Unde, quando cauſa eſt per accidens quamvis ſit directè volita, homicidium ex ipſa in Eccleſia ſequens non privat immunitate. Quia hujuſmodi homicidium non eſt voluntarium in cauſa. Ut enim aliquid ſit voluntarium in cauſa, requiritur, quod ſit volita cauſa, tanquam cauſa illius, atque adeò cum ordine ad effectum. Cauſa autem per accidens, quia non eſt vera cauſa, non habet hunc ordinem, ac proinde eo ipſo, quod eſt volita, non eſt volita propter effectum. Secus autem ſi ſit volita in ordine ad effectum. Quia eo ipſo, quod cauſa eſt volita in ordine ad effectum, effectus quoque cadit ſub intentione volentis, atque adeò eſt ipſi voluntarius. Ut autem ſit volita in ordine ad effectum, ſufficit, ſi ſit volita, ut conjuncta cum cauſis per ſe. Nam tunc ratione ordinis ad effectum eſt implicitè volitum fundamentum hujus ordinis, atque adeò effectus eſt volitus in cauſa per accidens, quatenus conjuncta cum cauſis per ſe.

27 Homicidium quoque volitum in cauſa remota nec privat immunitate, ſi ſequatur in Eccleſia, ſi tamen volitio ſiſtat in cauſa remota. Secus verò ſi cauſa remota ſit volita, ut inferens proximam, tanquam cauſam homicidii. Ratio prioris eſt, quia nullus effectus poteſt eſſe voluntarius in cauſa, niſi in ea prævideatur. In cauſa autem remota non poteſt prævideri effectus, quia tanquam remota non dicit ordinem determinatum ad ipſum, quia eſt determinanda à proxima, alioquin eſſet cauſa determinata talis effectus, atque adeò non remota. Ratio autem poſterioris eſt ex oppoſito. Quando enim cauſa remota eſt volita cum ordine ad proximam, tanquam cauſam, remota eſt volita cum ordine ad effectum, licet mediatè, nempè mediante proxima. Immò eſt volita etiam cauſa proxima, tanquam cauſa. Ergo eſt etiam volitus effectus tum ordine cauſæ remotæ, tum etiam in ipſa cauſa proxima.

28 Similiter homicidium, vel mutilatio volitum in cauſa dubia, quæ ſit merè dubia non privat immunitate, ſi ſequatur in Eccleſia. Secus autem ſi cauſa ſit probabilis ex utraque parte. Primum probatur. Quia cauſa dubia non habet determinatam connexionem cum effectu, ſed contingentem; ac proinde non poteſt effectus prævideri, ut futurus in cauſa. Sicuti nec etiam actus liberi poſſunt prævideri in cauſa libera, alioquin ſi præviderentur, eſſet cauſa certa & determinata. Effectus autem non poteſt eſſe voluntarius in cauſa, niſi in ipſa prævideatur. Probatur ſecundum. Quia cùm cauſa ſit probabilis, cognoſcitur etiam effectus homicidii contineri in ipſa probabiliter. Igitur eo ipſo, quod eſt volita cauſa, eſt etiam volitus effectus, qui probabiliter cognoſcitur in ipſa contineri. Et eo ipſo, quod executioni, mandatur in ordine ad effectum, quia cognoſcitur poſſe ſequi.

29 Si verò cauſa, in qua eſt volitum homicidium ſit tantùm partialis, ſequuto in Eccleſia homicidio ex alia cauſa, non privat immunitate, dummodò tamen non ſit prævisſus concurſus aliarum cauſarum. Si tamen ſit prævisſus, privabit immunitate, etiamſi aliæ cauſæ non agant humano modo. Quia, ut effectus ſit voluntarius in cauſa, requiritur, ut dictum eſt, quod in ipſa prævideatur, & ſi non prævidetur, non eſt voluntarius in cauſa. Quia nihil volitum, quin præcognitum. In cauſa autem partiali, ſecluſo concurſu aliarum, non poteſt prævideri effectus, quia in ipſa non continetur ſecundum ſe totum, ſed tantum inadæquatè. E contra verò quando prævidetur concurſus aliarum cauſarum, prævidetur etiam ſequuturus effectus, & ideò qui applicat talem cauſam partialem, fit voluntarius cooperator talis effectus.

30 Quare ſi unus ſanæ mentis, & alter impos percutiant aliquem in Eccleſia, qui poſteà in ea moriatur, & uterque percutiat lethaliter, homicidium privat immunitate. Nam homicidium eſt humano modo, & voluntariè commiſſum ab eo, qui eſt ſanæ mentis. Et quamvis non fuerit ſolus occiſor, fuit tamen ſufficiens occiſor, quia vulneravit lethaliter. Immò etiamſi non percuteret lethaliter, dummodò tamen prævideret, interire poſſe, accedente percuſſione amentis, eſſet verus homicida, & proindè privabitur Eccleſiæ immunitate, nam conjungeret ſuam percuſſionem cum aliena, & faceret unam totalem cauſam ſufficientem pro inferenda morte.

31 Sic etiam, ſi amens percutiat aliquem lethaliter in Eccleſia, & alter ſanæ mentis percutiat non lethaliter, aut cum dubio, an percuſſio ſit lethalis, & ſequatur mors in Eccleſia, tunc homicidium non privabit immunitate. Quia ſumenda eſt illa interpretatio, quæ excludit delictum, ut tradunt Bartol. *in l. non ſolùm, §. ſed ut probari, ff. de nov. op. nunc.* cum vulgò aliis. Unde cùm conſtet de auctore vulneris lethalis, & de altero ſaltem ſit dubium, an percuſſerit lethaliter, excludentem eſt delictum reſpectu iſtius, & tribuendum homicidium mentis impoti, atque adeò cenſendum, non privare immunitate.

In

32 In caſu verò, quo aliquis ſanæ mentis percutiat quempiam in Eccleſia lethaliter, & poſt aliquod intervallum temporis mentis impos eundem percutiat, qui ſtatim in Eccleſia moriatur; videndum eſt, an ſecundus percuſſor tali percuſſione percuſſerit; ut ex vi ipſius eſſet ſecutura ſtatim mors, ſecluſa priori percuſſione. Si enim ita percuſſit, non privabitur immunitate. Si verò non ita percuſſit, ſed ſolùm ſecunda percuſſio intulit ſtatim mortem, quia repetit primam percuſſionem, quâ percuſſus diſpoſitus fuerat ad mortem; tunc ſecundus percuſſor non eſt ex ſe ſolo, ſed ſimul cum primo cauſa mortis, immò ſolùm accelerat mortem; & proindè homicidium erit voluntarium, & cauſatum à primo percuſſore; quia ſecunda percuſſio fuit cauſa, quod ſtatim ſequeretur mors, quatenus conjuncta cum prima. Quod etiam dicendum eſt, ſi primus percuſſor ſanæ mentis non percuſſerit lethaliter, & ſecunda percuſſio eſſet lethalis non ſecundum ſe, ſed quia reperiret primam. Nam tunc ſecunda percuſſio uniretur cum prima in unicam cauſam ſufficientem pro morte. Nam adhuc primus percuſſor eſſet cauſa injurioſa, & voluntaria mortis. Non obſtante, quod non poſuerit cauſam de ſe adæquatam, & non præviderit mortem ob conjunctionem alienæ percuſſionis. Quia hoc haberet locum, quando percuſſio hujuſmodi fuiſſet tantum volita in cauſa; cùm autem ſit volita ſecundum ſe, ſufficit, quod voluntariè, & injurioſè percuſſerit, ut ſit cooperator mortis.

33 Prætereà, ut mutilatio, vel homicidium in Eccleſia perpetratum privet immunitate, ſequi debet per aliquam vim phyſicam externam. Quia licet homicidium abſque externa vi, ut per venenum, ſit verum homicidium, non tamen videtur habere illam qualitatem, quæ eſt neceſſaria, ut privet immunitate. In tantùm enim homicidium, vel mutilatio inducit privationem immunitatis in quantum lædit reverentiam debitam Eccleſiæ, atque adeò eſt injurioſum Eccleſiæ. Siquidem cùm privet ratione circumſtantiæ loci, in quo fit, oportet, quod ratione ipſius acquirat aliquam ſpecialem qualitatem, qua maculat in hominum opinione ſanctitatem Eccleſiæ, quæ non poteſt eſſe alia, niſi quia, ſtante ſanctitate Eccleſiæ, lædat reverentiam ipſi debitam. Hanc autem qualitatem non videtur habere homicidium, quod committitur abſque externa vi, ſiquidem non adeſt fundamentum apprehendendi læſionem reverentiæ debitæ. Cùm enim Eccleſia lædatur tantùm in hominum opinione, non in re, oportet, quod in hominum opinione remaneat læſa reverentia ipſi debita. Et ideò per cauſas occultas non læditur. Quando autem homicidium ſequitur abſque externa vi, non remanet læſa reverentia debita Eccleſiæ in hominum opinione, quia non apparet actio aliqua injurioſa Eccleſiæ, unde apprehendatur hujuſmodi læſio. Unde ſi quis in Eccleſia procuraret abortum abſque externa vi, etiamſi fœtus ſit animatus, atque media tendant directè ad ipſum abijciendum, non idcircò ex hoc capite privaretur immunitate. Quia non apparet actio externa injurioſa Eccleſiæ, ex qua formari poſſit conceptus, quod ſit læſa reverentia ipſi debita. Accedit etiam, quod occidens partum in utero non tenetur de homicidio, quia non occidit hominē in eſſe productum, ſed hominem in ſpe, & ideò non eſt in rigore homicidium, *l. Cùm inter cæteras, ff. de fideic.* Bald. *ibid.* Alex. *in l. Quòd dicitur ff. de lib. & poſth.* Jacob. Butrig. *in l. fin. ff. de ſicar.* ubi Angel. & Salic. Unde cùm ſimus in materia, in qua homicidium debet propriè accipi, non habebit locum in præſenti caſu. Quòd locum habebit etiamſi ex remedio pro abortiendo mulier prægnans moreretur.

34 Sequitur tandē non privare immunitate homicidium in Eccleſia commiſſum ob juſtam, & neceſſariam defenſionem propriam, quando eſt ſecundum jura permiſſum, atque adeò ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Quia tale homicidium non habet conditiones requiſitas ad privandum immunitate. Nam non eſt culpabile, cùm ſit ad defenſionem, quæ permittitur etiam cum morte aggreſſoris. Unde illa actio non eſt propriè homicidium, ſed juſta defenſio; & ideò materialiter tantùm eſt homicidium; non autem formaliter; ac proinde non eſt in ſpecie homicidii; ſed in ſpecie defenſionis, ideòque actionis licitæ. Neque etiam eſt injurioſum; quia non eſt contra jus aliquod; immò ſecundum jus. Nam omnia jura concedunt occidere aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l. ut vim, ff. de juſt. & jur. cap. dilecto, de ſent. excom. in 6. & Clem. un. de homic.*

35 Quod ſi exceſſus moderaminis reddat homicidium peccaminoſum moraliter atque injurioſum, non videtur illicò pronunciandum, quod privet immunitate, ſed videndum eſt, an in hominum æſtimatione lædat reverentiam debitam Eccleſiæ. Quia ſine hac læſione non conſurgit opinio privationis. Ut autem lædatur reverentia; requiritur, quod exceſſus in defenſione apprehendatur; tamquam exceſſus notabilis. Quia dato, quod ſit notabilis; & non apprehendatur; putabitur illa actio juſta defenſio cum debito moderamine, atque adeò non læderet debitam reverentiam Eccleſiæ. Ut autem poſſit apprehendi, debet ex ſe eſſe talis, ut conſtet eſſe extra terminos defenſionis, & tranſire ad terminos vindictæ, & quod de hoc clarè conſtet. Nam in dubio non eſt præſumendum delictum; ac proinde quod non ſit extra terminos defenſionis. Maximè quia iſte exceſſus non provenit ex animo inferendi injuriam, ſed propulſandi, atque adeò eſt juxta *cap. ſignificaſti 2. de homicid.* ibi: *Id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam.* Igitur non reddit homicidium injurioſum, quoniam adhuc iſte exceſſus eſt effectus animi ſe defendentis, & idcircò quod exceſſus in defenſione, ſi non ſit ex dolo, non debeat puniri, docent Abb. *in d. cap. ſignificaſti, in fin.* Felin. *nu.* 14. Anchar. *in Clem. 1. not. 3. de homic.* Florian. de S. Petro *in l. ſi ex plagis, §. Tabernarius, ff. ad leg. Aquil.* Alex. *in addit. ad Bart. l. 1. C. unde vi.* Si autem non debet puniri, neque etiam debet privare homicidam immunitate, cùm non privet, niſi ſit punibile.

36 Confirmatur ex eo, quod exceſſus in defenſione non trahit excommunicationem coram inijcientes manus violentas in Clericum, *cap. Olim. de reſt. ſpol.* ubi Gloſſ. *v. Exceſſiſti in fin. & cap. perpendimus, de ſent. excom.* Item Gloſſ. *in d. cap. ſignificaſti 2. v. moderamine, de homic.* & tradunt Graff. *p. 1. dec. lib. 2. cap.* 65. *nu.* 14. ac Farinac. *in pr. p. 5. q.* 125. *n.* 418. Ergo cùm talis exceſſus non puniatur à jure, neque etiam debet privare immunitate. Quia ſicuti non reddit homicidium injurioſum reſpectu perſonæ, ita neque etiam reſpectu Eccleſiæ. Ratio autem eſt, quia fervor defenſionis non permittit, quod defenſio ita ponderetur, ut ſit omninò juxta menſuram neceſſariam, & ideò non poteſt præſcribi defenſori quod uſque ad talem terminum, & non ultra extendat defenſionem, ut notant Bald. *in d. l. 1. n. 10. C. unde vi*, Hippolyt. *in l. is, qui, num. 6. C. ad leg. Cornel. de ſicar.* Obrecth. *de neceſ. defenſ. cap.* 12. *n.* 25. Et proinde exceſſus, niſi ſit cum dolo, habendus eſt pro defenſione neceſſaria.

37 Sitque regula generalis, quod quoties homicidium defenſivum eſt licitum, numquam inducit privationem immunitatis, ſi contingat in Eccleſia. Ratio perſpicua eſt, quia vim vi repellere licet, ac proinde quotieſcumque pro defenſione & vi repellenda eſt licitum homicidium aggreſſoris, ſi committatur in Eccleſia, non privabit immunitate, quia tunc non eſt homicidium, niſi materialiter; ſed eſt juſta defenſio, atque adeò actus licitus, & nullam inferens injuriam Eccleſiæ, per quam reverentia ipſi debita lædatur.

38 Ex quibus fit, quod ſi aggreſſus ab innocente in Eccleſia, illum occidat ad ſibi proſpiciendum, non privabitur immunitate. Hoc autem contingere poteſt, ſi aggreſſor ſit furioſus, quia non peccat aggrediendo. Debet tamen aggreſſus quoad fieri poteſt, declinare aggreſſionem, præſertim quia non eſt ind ecorum, etiam perſonæ nobili,

& honeſtæ fugere, quando aggrediens eſt furioſus. Deſumitur *ex Clem. ſi furioſus, de homic.* Quia in tali caſu occidens neque peccat, ideòque nullam injuriam infert occiſo, neque lædit reverentiam Eccleſiæ debitam. Et quamvis nunquam liceat occidere innocentem, hoc tamen intelligitur, quando occiſio eſt in ſpecie occiſionis, ac proinde ex ſpecificatione ſua tendit ad auferendam vitam, ſecus autem quando eſt in ſpecie defenſionis, quia tunc tendit ad propulſandam vim, quàm cùm propulſare omnia jura permittant, permittunt etiam media neceſſaria, atque adeò cædem aggreſſoris, aliàs innocentis, cùm vim inferat, nec alio modo propulſari queat.

39 Fit etiam, quod ſi quis defendens proximum injuſtè invaſum, occidat invaſorem in Eccleſia, non privabitur immunitate. Nam adhuc cædes iſta non eſt in ſpecie homicidii, ſed juſtæ defenſionis, ideòque eſt cædes licita, non autem injurioſa occiſo, neque Eccleſiæ. Quia cùm ex præcepto charitatis unuſquiſque teneatur diligere proximum ſicut ſeipſum, quæ ſunt ipſi licita in favorem proprium, ſunt etiam licità in favorem proximi.

40 Pariter fit, non poſſe univerſaliter ſubſiſtere, quod non privabitur immunitate, quando quis in Eccleſia occidit pro defenſione propriorum bonorum externorum, aut etiam bonorum proximi. Quamvis enim aliqui teneant, quod pro defenſione hujuſmodi liceat invaſorem occidere; oppoſita tamen ſententia vera eſt. Quia quando jura concedunt, quod vis vi repelli poſſit, intelligunt de vi illata contra perſonam. Quod autem non liceat occidere furem, etiam ſi res ablatæ non poſſent poſteà recuperari, habetur ex d. *l. Si ex plagis*, §. *Tabernarius*, *ff. ad leg. Aquil.* ibi: *Sed ſi ab eo non prior vapulaſſet*, *&* *ex l. furem*, *ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & ex cap. Si perfodiens, de homic.* ibi: *Quia poterat diſcernere, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet*, & ideò non debet occidi, *& ex cap. Suſcipimus, de homic.* Quod etiam conſtat ex *l. 12. tabularum*, quæ recitatur in *l. Itaque*, §. *Lex duodecim*, *ff. ad leg. Aquil.* ubi dicitur, quod, præmiſſo clamore, licet occidere furem nocturnum, non autem diurnum, niſi ſe armis defendat. Quia ſecundũ debitum ordinem charitatis plus eſt amanda vita proximi, quàm externa bona, quia vita proximi, magis participat de motivo charitatis juxta communem doctrinam D. Thomæ 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. & 5. Non obſtante, quod poſſit fur ſe ſubtrahere periculo, relinquendo bona aliena. Nam adhuc ſtat, quod juxta ordinem charitatis non poſſit ejus vita poſtponi bonis externis. Quia hoc provenit ex natura objectorum, quæ non immutatur per malitiam furantis. Itaque cum tale homicidium ſit peccaminoſum, & injurioſum, eſt contra reverentiam debitam Eccleſiæ, atque adeò privabit immunitate. Solùm verò non privabit, quando licita eſt cædes pro defenſione bonorum externorum. Tunc autem ſolùm eſt licita, quando fur eſt nocturnus, & clamore præmiſſo, non fugit, aut quando eſt diurnus, ſed cum armis paratus inferre vim, ſi defendantur bona externa; quia tunc plus eſt quam fur, ut dicitur *in d. cap. Si perfodiens, de homic.* In his enim duobus caſibus jura permittunt cædem, ut jam dictum eſt. Nec quod fur occidi poſſit, colligitur ex *cap. Interfuiſti, de homicid.* ſed oppoſitum. Nam ei, qui interficit latronem, imponitur pœnitentia, & in §. *Si autem* ſupponitur licita occiſio, quando non ſolùm eſt pro defenſione bonorum, ſed etiam perſonæ, ut ſatis declarant illa verba, *Te tuaque liberando.*

41 Itidem fit, quod privetur immunitate, ſi quis in Eccleſia occidat pro defenſione ſolius honoris. Dixi ſolius honoris, ut excludatur caſus, in quo aggreſſus poſſet fugere, ſed cum dedecore, & proindè non fugit, ut manuteneat proprium honorem. Nam tunc non occidit pro defenſione honoris, ſed pro defenſione propriæ perſonæ. In quo ſenſu loquuntur plures Doctores, dum volunt, licitum eſſe occidere pro defenſione honoris & famæ, ut alibi diximus. Nam honor & fama reputantur inter bona externa, atque adeò ſunt inferioris ordinis, quàm ſit vita proximi, & minus participant de motivo charitatis, quam proximus ipſe. Et ideò ſecundùm debitum ordinẽ charitatis ſunt poſtponenda ſaluti ſpirituali proximi.

Fit inſuper quod ſi invaſus occidat in Eccleſia inva- 42
ſorem quando fugere poterat, non privabitur immunitate. Nam dato, quod ratione circumſtantiarum deberet fugere, & proinde peccet non ſe ſubtrahendo invaſioni, non tamen peccat, quando amplius non poteſt ſe ſubtrahere, ſe defendendo, & occidendo, ſi opus ſit pro ſui defenſione. Sunt enim diverſæ actiones, ſe ſubtrahere invaſioni, & ſe invaſum defendere. Et ideò ſi peccatur in prima, non implendo obligationem ſe ſubtrahendi, non ſequitur, quod peccetur in ſecunda, quando jam defenſio & cædes aggreſſoris facta eſt neceſſaria. Nam hæc ſemper eſt ſecundùm jus naturæ, & ideò licita.

Denique fit, non privari quempiam immunitate per 43
homicidium parantis invadere in Eccleſia, quamvis nondum actu invaſerit. Nam adhuc occiſio eſt medium licitum pro defenſione. Quamvis enim nondum actu invadat, dum tamen parat invadere, habetur pro invaſore, quia diſponit invaſionem, quam ſi fortè invadendus expectaret, non poſſet repellere. Et ideò juſta & inculpata defenſio poteſt aliquando exigere, quod præveniatur invaſio, ut contingit, quando ſcit quis ab aliquo ſibi inſidias ſtrui, & mortem moliri.

Cæterùm occidens à porta Eccleſiæ exiſtentem in 44
ſcala ante ipſam, gaudet immunitate ex S. Congregatione Immunitatis in Dortonen. 9. Septembris 1670.

## CONSULTATIO XXXIX

*An ſtatutum Apoſtolorum can.* 17. *juxta verſionem Dionyſii Exigui, nempè: Si quis poſt baptiſma ſecundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus, nec preſbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum qui, miniſterio ſacro deſerviunt, aſſertum à Syricio ad Pontificatum evecto pridie idus Januarii anno Chriſti* 385. *in epiſtola ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſium data* 3. *idus Februarii Conſulibus Arcadio, & Baurone, ſicque anno* 387. *n.* 11. *relatumque in can.* 5. *d.* 84. ibi: *Quiſquis Clericus aut viduam, aut ſecundam duxerit uxorem omni eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox denudetur, laica ſibi tantùm communione conceſſa; ac decretum Gregorii X. in generali Concilio Lugdunenſi, relatum in cap. un. de bigam. in* 6. *quo declaravit, bigamos omni privilegio clericali nudatos, & coërctioni fori ſæcularis addictos eſſe, contraria conſuetudine non obſtante, procedant etiam in Clericos Græcos, qui ritu Græco in Italia vivunt?*

AFfirmativè reſpondendum arbitror, non ſolùm 1
quia *in cap. Licet Græcos*, §. *volentes igitur, de baptiſmo* generaliter præcipitur Græcis, ut ſe noſtris moribus conforment, ſicut in ſpecie notat Hoſt. *in ſum.* §. 1. *n.* 3. ex eoque repetit Stephan. de Gaetan. *in repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 5. *de ſacram. pœnit. n.* 132. loquens de Græcis, ac Leo Primus creatus 12. Maij anno 440. contra Epiſtolam Nicetæ Abbatis, loquens de gradibus Clericorum in univerſum ait, quod Clerici conſtituti in minoribus Ordinibus, ſcilicet Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, & Acolythi ſi extra votum, & habitum monachi inveniantur, & continentiam profiteri noluerint, uxorem ducere virginem cum benedictione Sacerdotali permittuntur, non autem viduam, aut repudiatam, quapropter hoc deinceps nec ad ſubdiaconatum provehi poterunt, quia nec laicus, niſi Virginem ſortitus uxorem, aut bigamus ad Clericatum poteſt aſcendere. Ac inſuper quia Eccleſia Græca vigore unionis obligatur recipere leges Apoſtolicas, ut diſertè oſtendi *tom.* 1. *conſult.* 150. *n.* 27.

Sed etiam quia Petrus Arcudius *de concordia Eccleſ.* 2
*Occi-*

*Occident.& Orient. lib.7. de ſacram. Ordin. c. 40. verſ. Quocirca*; id etiam Græcis vetitum eſſe agnovit, aſſerendo verba Matthæi Blaſtarii græci ad dictum *can. Apoſtolorum 17.* dicentis: *Quare Lectores, qui duas uxores duxerunt contra Canones faciunt, propr um gradum adhuc retinentes.* Quibus videtur innuere, matrimonium non eſſe diſſolvendum, ſed gradum Clericatus ab eis relinquendum, cùm Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio denudentur, laica tantùm communione eis relicta juxta decretũ Syricii, quod ibidem ad hoc ipſe perpendit.

3 His accedit, quod S. Congregatio Interpretum Concilii Tridentini, teſte Nicolio *in ſuis floſcul. v. Græc.* in fine, reſcripſit Ordinario, ut abſtineat à promotione Græcorum bigamorum in Brunduſina 23. Auguſti 1652. Fertúrque etiam eandem Sac. Congregationem ſub die 2. Decembris 1617. reſpondiſſe, bigamum, licet græcum, omni privilegio clericali denudatum eſſe, contraria conſuetudine non obſtante. Idque ipſum declaravit S. Congregatio Immunitatis 23. Aprilis 1624. & in Roſſanen 22. Auguſti 1628. & 26. Decembris 1663. decernens, Clericos bigamos ritu græco viventes non gaudere privilegio fori, neque exemptione ab oneribus. Quod quidem intelligendum eſt de ordinatis in minoribus juxta Gloſſ. *d. cap. un. de bigam.* nam qui in ſacris ſunt, non perdunt privilegia clericalia per bigamiam *cap. nuper, &c. fin. de bigam.* ſicut neque profeſſus in Religione approbata, Sayr. *de cenſur. lib. 6. c. 5. n. 2.* Unde ſi bigamus promoveretur ad ſacros ordines, valeret ordinatio, & non eſſet privatus, nec privari poſſet privilegio clericali ex capite bigamiæ, cùm ordinatus in ſacris non poſſit redire ad ſæculum, ut ex *cap. tuæ, de apoſtat.* habet Gemin *n.6.* Addo pariter prælibatam S. Concilii Congregationem in Larinen die 17. Junii 1645 cenſuiſſe diſpenſationem petitam à Clerico Andrea Albanenſi Terræ Campi Marini ritu græco vivente ducendi ſecundam uxorem retento, habitu clericali cum privilegiis, non eſſe Oratori concedendam, ut ex *lib. 51. memorial. pag. 654.*

4 Advertendum autem eſt, non ſubſiſtere, quod S. Congregatio Immunitatis, à qua ſub die 28. Septembris 1666. Archiepiſcopus Roſſanenſis petiit declarari, an Clerici bigami ritu græco gaudeant privilegio fori, & immunitatibus clericalibus, aſſerens coram ſe exhibita fuiſſe mandata Auditoris Cameræ de parendo decretis fermè contrariis ſub die 17. Auguſti 1655. emanatis, quatenus præſervant conſuetudinem immemorabilem, ut dixit, probatam per depoſitiones teſtium, quorum vigore ſubdidit ſub die 9. Decembris 1609. manutentionem conceſſam fuiſſe à Cardinali Creſcentio, tunc Cameræ Auditore, cenſuerit, ejuſmodi Clericos gaudere. Et licet ex regeſto litterarum ejuſdem S. Congregationis conſtet, illam Epiſcopo Biſignanenſi reſpondiſſe in hunc modum; *In riſpoſta della lettera di V. S. e dell'iſtanza fatta da i Cherici bigami doverà conformarſi l'accluſo decreto altre volte fatto da queſta ſacra Congregatione. Così eſeguirà, mentre &c. di Roma a' 17. di Agoſto del 1655.*

5 Tenor decreti. *Sacra Congregatio &c. cenſuit, Clericos bigamos in minoribus Ordinibus conſtitutos, ritu græco viventes, non gaudere privilegio fori, & exemptionis, niſi concurrat ad eorum favorem conſuetudo immemorabilis, vel adſit privilegium Apoſtolicum.* Quia tamen decretum Concilii Lugdunenſis ſub Innocentio IV. dixit, *contraria conſuetudine non obſtante.* reſolvendum eſt quoad Græcos, juſſos in omnibus ſe noſtris moribus conformare, non eſſe perſiſtendum in dicta præſervativa, cùm fuerit à citato Concilio Lugdunenſi exploſa, utpotè contra Canones Apoſtolorum. Atque ita eadem S. Congr. Immunitatis ſub die 28. Septembris 1666. ſemel, atque iterùm re maturè diſcuſſa, cenſuit, Clericos bigamos ritu græco non gaudere, non obſtante quacunque conſuetudine.

6 Et ſanè differentia inter latini ac græci ritus Clericos circa ſtatum conjugalem eſſe videtur in ſacris ordinibus, ac voto continentiæ illis annexo juxta ritum latinum. Ex conſuetudine enim per Sedem Apoſtolicam approbatam permiſſus eſt ſtatus conjugalis cum unica & virgine juxta ritum græcum, tametſi diverſa ſit forma conferendi dictos Ordines in uno ac altero ritu ex deductis per D. Fagnan. *in cap. Cum veniſſet, de ſacr. unct.* Verum quoad primam tonſuram, & ſimplicem Clericatum in minoribus nulla dignoſci videtur differentia, cùm, utroque ritu attento, ſtatus conjugalis ſit compatibilis cum tali clericatu. Unde propterea nihil relevare videtur, an quis clericali militiæ juxta unum, vel alterum ritum ſit adſcriptus, niſi ad eum effectum, quod quando vellet ſuſcipere ſacros Ordines, non obligaretur ad cœlibatum, & votum continentiæ. Hinc quando agitur de conferenda ſolùm prima tonſura, locorum Ordinarii, qui ſunt Epiſcopi latini, illam promiſcuè conferunt ſive juxta unum, ſive juxta alterum ritum quis promoveri intendat. Quoniam ex veriori Theologorum ſententia prima tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines, unde nulla dignoſcitur differentia inter unum & alterum ritum. Quando verò agitur de conferendis ſacris Ordinibus intrat differentia etiã circa collationem, quæ de Ordinariorũ delegatione fit ſolùm ab Epiſcopis græcis, non autẽ à latinis per *text. in cap. 3. & 11. de temp. ordin.* ac tradit Azor. *inſtit. moral. p. 2. lib. 3. c. 48. c. 4.* & nos alibi. Et ſic quoad Clericos in minoribus nulla dignoſci videtur differentia.

7 Eòque magis quia in jure non eſt expreſsè determinatum an immunitas à vectigalibus, aliiſque publicis oneribus, quàm certum eſt competere Clericis in ſacris, competat etiam Clericis in minoribus, in quibus plerique id negant, ut patet ex deductis à Fagnan *in d. cap. pervenit n. 15.* & à Delbene *de immun. cap. 1. dub. 5. ſect. 1. n. fin.* Licet magis communis, & recepta opinio ſit, quod diſpoſita per ſacros Canones, ac etiam per leges civiles circa Clericorũ exemptiones, & immunitates locum quoque habeant in Clericis minoribus, ſed cum certa qualitate, quatenus ſcilicet ſint cœlibes, non autem conjugati, & quoad forum, etiam quatenus non ſint bigami. Atque ita ob deficientem qualitatem, quæ annexa eſt clericatui in minoribus ad effectum immunitatis, & exemptionis à muneribus, & à foro, iſta indefinitè ceſſat, cùm ſuper hoc in jure non videatur ſtatuta aliqua differentia. Unde Baldus ſingulariter conſuluit, Clericos orientales, qui vulgò Clerici græci vocitantur, quibus permiſſum eſt uxores ducere juxta *cap. Cum olim de Cler. conjug.* non gaudere immunitatibus conceſſis aliis Clericis occidentalibus, ſi habent uxores, ut in *conſ. 53. lib. 3.* & ideò ſecundùm eum hodie remanet correpta *l. 2. poſt princ. v. omnibus Clericis C. de Epiſc. & Cler.*

8 Id, quod etiam ſuadetur ratione. Nam videtur prorſus incongruum, quod in Eccleſia latina magis favorabiles, ac privilegiati eſſe debeant ii, qui ab ejus inſtituto aberrant. Ideòque probabilior videtur opinio Baldi, & aliorum, de quibus Jo. Ant. de Nigr. ſuper *cap. Regni 98. n. 17. & 18.* & Carol. de Graſſ. *eff. cler. 3. n. 45.* ut etiam Clerici græci, ſeu orientales conjugati ad collectas teneantur. Et quamvis Graſſus de hoc dubitet, attamen non deſcendit ad hanc diſtinctionem, an ſcilicet agatur de Clericis orientalibus uxoratis, qui ſint in ſacris, vel in minoribus. Unde propterea hæc opinio rectè recipienda videtur ubi agitur de exiſtentibus in ſacris, ita ut, non obſtante ſtatu conjugali, fruantur iiſdem privilegiis, quibus fruuntur Clerici latini cœlibes, non autem ubi ſunt in minoribus, quia tunc de facto reputantur potius laici, quàm Clerici; ideòque eſſet opinio irrationabilis, quoad vectigalia, licet ſecus quoad forum, ſi non fuerint etiam bigami. Futiliſque videtur ratio differentiæ, quam aliqui contrarium tenentes aſſignant ex eo, quod Clerici orientales, quamvis conjugati, vel bigami, ſint veri Clerici. Quoniam etiam latini conjugati, ac bigami ſunt veri Clerici, habentque characterem. Sed vera ratio eſt, quod Clericis in minoribus, utpotè nullum or-

  dinem

dinem habentibus, non niſi cum dictis qualitatibus ex ſenſu Doctorum magis, quàm ex diſpoſitione juris expreſſa, in bonis patrimonialibus hæc ſpecies immunitatis & exemptionis conceſſa eſt, expreſsè verò negata bigamis exemptio fori. Aliàs enim omnes Clerici conjugati, ac bigami, qui ritu græco in Italia vivunt poſſent legem eludere, dum naturaliter, ac de facto non ſunt Orientales, ſed nati ac geniti in Italia, in qua ſuos etiam atavos habent, quibus ſolùm ex quadam antiqua origine permittitur juxta ritum græcum ſacros Ordines in ſtatu conjugali ſuſcipere. Unde propterea illis congruere non videntur illæ rationes, quæ verisOrientalibus congruunt.

9 Hoc verò pro Græcis non prætermittam. S. Congr. Immunitatis Archipiſcopo Roſſanenſi. *Non laſcerà V. S. conforme all' antica e immemorabile conſuetudine di coteſto tribunale Arciveſcovale, che ella ſuppone, di conoſcere le cauſe delle mogli de' Cherici greci, overo Albaneſi, mentre ſono rimaſte vedove, & anche de loro figliuogli laici, quando doppo la morte del padre Cherico greco hanno viſſuto con le loro madri vedove durante il letto vedovile, già che concerne la conſervatione della giuriſdittione eccleſiaſtica, come al cap. Quoniam, de immun. Eccleſ. in 6. la quale i Veſcovi ſono tenuti per obligo di defendere. Di Roma a'* 13. *di Settembre* 1642.

10 *In d. Roſſanen. eadem S. Congregatio die* 15. *Novembris* 1642. *cenſuit, ſervandam eſſe conſuetudinem, ſi ſit legitimè præſcripta, quod uxores Clericorum græcorum, quæ remanſerunt viduæ nec non filii eorundem poſt mortem patrum viventes in communi cum matribus viduis, gaudeant privilegio fori eccleſiaſtici.* Idem cenſuit in eadem Roſſanen ſub die 17. Maij 1654. & 4. Septebris 1657.

11 Clerici græci gaudent ſicuti Clerici latini. S. Congr. Immun. in Rheginen 27. Septembris 1632.

Sunt exempti à gabella impoſita ſuper vino. Eadem S. Congr. in Licien 2. Julii 1647.

12 Clerici Albanenſes gaudent privilegiis clericalibus. Eadem S. Congr. in Biſignanen 26. Junii 1646. Gaudent etiam immunitate ab oneribus realibus. Eadem S. Congreg. 22. Januarii 1645.

## CONSULTATIO XL.

*An Princeps laicus poſſit ſuis edictis Eccleſiaſticos adſtringere ad obſervandum ea, quæ pro ſanitate tuenda tempore peſtis à ſe decernuntur? Quidve in hac re ab Eccleſiaſticis hactenus receptum fuerit?*

1 Affirmativè videtur reſpondendum. Nam in hoc genere gubernii univerſalis, œconomici, ac politici ſpectantis ad cuſtodiam ac præſervationem à peſte in omnibus Provinciis atque Regnis totius Orbis procedunt privativè Magiſtratus ſæculares, ex quorum auctoritate rerum omnium procuratio habetur. In hac poſſeſſione eſt etiam Regnum Neapolitanum; ſemper enim, cùm caſus evenerit, ſpeciatim ſub annis 1629. & 1630. occaſione peſtis Panormitanæ, ac Venetæ, aliarumque Civitatum Galliæ Ciſalpinæ pragmaticas ſanctiones, atque edicta pro conſervatione ſanitatis providè emiſit, abſque eo quod Eccleſiaſtici in hujuſmodi ordinationibus ſe ullo modo immiſcerent, multòque minus edicta è ſuo munere promulgarent.

2 Et ſanè his in rebus non agitur de acquirendo, neque de auferendo aliquid Eccleſiaſticis, qui, non ideò, quod Eccleſiaſtici ſunt, deſinunt eſſe vaſſalli, vicini, & habitatores Civitatum, ac Regni, atque pars corporis politici, & ideò comprehenduntur in communi utilitate, in ſalute publica, & in vi rationis, ad quam obligat defenſio naturalis, & obſervatio eorum, quæ in hac materia edicuntur. Unde Eccleſiaſtici non poſſunt ſibi uſurpare in regimine politico id, quod ſuum non eſt neque privativè, neque cumulativè. Quod ſi uſurpaverint, poterit Magiſtratus ſæcularis declarare, quod edicta in rebus ad peſtem ſpectantibus ligent etiam Eccleſiaſticos. Et in his præciſis terminis extat in Regno Neapolitano pragmatica prima Regis Ferdinandi ſub anno 1497. his verbis concepta: *Che ciaſcuna perſona habitante di queſta Città tanto ſecolare, come eccleſiaſtica. &c.* ac inferius n. 7 *In ſimili pene incorrano le perſone eccleſiaſtiche.* Et ita obſervatum in Hiſpaniis, in Germania, in Gallia, in Belgio, ac in Italia, præcipuè in Civitate Neapolitana ſub anno 158. & ſub anno 1528. tenoris ſequentis.

PHILIPPUS DEI GRATIA REX.

*D. GARSIA DE AVELLANEDA, ET HARO Comes de Caſtrillo, Unus ex Clavicularijs Cubiculi Suæ Catholicæ Majeſtatis, ejuſque Conſiliarius Conſilii Status, nec non Americorum Regnorum Senatus Præſes, &c. Et in præſenti Regno Vice rex, Locumtenens, & Capitaneus Generalis.*

Vno delli principali penſieri, e particolari diligenze, che havemo interpoſto con occaſione del paſſato contagio per preſervar la Salute di queſta Fedeliſſima Città, e di tutti li habitatori di quella, e nel Regno è ſtato l'havere prohibito generalmente l'entrata (ſenza Noſtra licenza) di quelli, che veniſſero per mare, ò per terra da parti infette, ò ſoſpettoſe, e che non ſi mutaſſero da uno luogo ad un' altro per il riſico, che potria riſultare dalla communicatione, ſotto le pene contenute nelli Banni publicati ſopra l'uno, e l'altro, alli quali ci rimettiamo; & hà permeſſo la Divina Providenza, che da ſette meſi à queſta parte, che ſi cominciò ad eſperimentare la ſalute, habbia continouato feliciſſimamente. Al preſente havemo inteſo che per l'Eccleſiaſtico ſi è publicato, & affiſſo in alcune parti della Città un certo Editto fatto a' 20. d'Ottobre dell'anno paſſato, il quale contiene, che ſenza ſua licenza in ſcriptis, neſſuna perſona Eccleſiaſtica di qualſivoglia ſtato, grado, e conditione che ſia ardiſca intrare in queſta Città, nè nelli ſuoi Borghi, e Caſali ſotto pena di relegatione alli Nobili, & à quelli che non lo ſaranno di Galera. Ma perche li referiti Banni emanati da Noi, e di Noſtro ordine, come concernenti alla utilità publica, e conſervatione della Salute commune, e natural Difeſa, comprendono, & ligano tutti ſenza diſtintione, ancorche le perſone ſiano Eccleſiaſtiche, Secolari, ò Regolari, ſenza che per quello ſi neceſſiti di altra coſa, mentre il permettere, ò prohibire l'ingreſſo, del quale ſi tratta, tocca al Rè Noſtro Signore privativamente, come il Governo, Diſpoſitione, & Ordini, che eſcono in ſimili materie del Bene univerſale, e Quiete del Regno. E che per l'iſteſſo fine della conſervatione della Salute diedimo ordine, ſi formaſſe la Deputatione di queſta Fedeliſſima Cittá, la quale per li ſuoi Deputati, e Medici riconoſce quelli che vogliono intrare, ò uſcire, in conformità delli Ordini, e Inſtruttioni date per Noi, le quali ſempre ſi ſono practicate, & oſſervate, come al preſente ſi practicano, & oſſervano con l'iſteſſe perſone Eccleſiaſtiche, & è certo, e ſtilato in tutti l'altri Regni, e Provincie. Per tanto (per evitare ogni genero di novità, e per la conſervatione del Dominio, Giuriſdittioni, e Governo del Rè noſtro Signore, e che in neſſun tempo poſſa patir pregiuditio, ancorche l'atto dell' Editto in ſe ſteſſo ſia ſeguito de fatto, e ſenza che poſſa tener forza, nè effetto, ) con voto, e parere del Regio Collateral Conſeglio appreſſo di Noi aſſiſtente, renovamo per il preſente Banno, omni tempore valituro tutti quelli che ſtanno dati prima di queſto, e li confirmamo; E ordinamo, e comandamo, a tutte e qualſivogliano perſone di qualſivoglia ſtato, grado, e conditione, che non poſſino, nè preſumino intrare in queſta Fedeliſſima Città, nè nelli ſuoi Borghi, e Caſali, nè per il Regno mutarſe da una Terra ad un'altra ſenza Noſtra licenza privativa in ſcriptis, nè con altra alcuna, ſotto le pene contenute nelli detti Banni. Et ordinamo alli Deputati, Guardiani, e Guardie delle Porte, Raſtelli, e Marine di queſta Città, ſuoi Borghi, e Diſtretti, & altri noſtri Giudici, e Miniſtri, che non permettano, nè conſentino entrare perſona alcuna, tanto Secolare, come Eccle-

Eccleſiaſtica ſenza noſtra licenza in ſcriptis, nè amettano altra alcuna ſotto pena di morte naturale, e ſe alcuno foſſe entrato, ò entraſſe ſenza la licenza predetta, ò con altra, tenga obligo quello che lo ſaperà di revelarilo frà ventiquattro hore, e ſe non lo farà, incorra nella detta pena di morte naturale. Per lo che, & accio venga a notitia di tutti, e neſſuno poſſa allegare cauſa d'ignoranza, ordinamo, che queſto Banno ſi publichi nelle parti, e poſti ſoliti, e che la detta publicatione tenga forza, & effetto, come ſe perſonalmente ſi foſſe intimato a tutti. Datum Neapoli die 17. menſis Martii 1657.

EL CONDE CASTRILLO.

Vidit Sobremonte Regens.
Vidit Burgos Regens.
Vidit Muſettula Regens.
Vidit Zufia Regens.
Vidit Galeota Regens.

Donatus Coppola Secretarius.

*In Bann. 1. fol. 79.* Crivella.

*Adi 20. di Marzo 1657. Jo Carlo Stefano Giardino Lettore delli Regii Banni dico, e declaro di haver publicato il retroſcritto Banno con li Regii Trombetti nelli luoghi ſoliti, e conſueti di queſta Fedeliſſima Città di Napoli.*

Quibus in locis ſolum Magiſtratus ſæculares privativè abſque interventu Curiæ eccleſiaſticæ edixerunt, atque exequuti ſunt pœnas extrajudicialiter & judicialiter in perſonas ſæculares, extrajudicialiter tantum, politicè, atque œconomicè in perſonas eccleſiaſticas reſpectu conceſſionis, vel derogationis ingreſſus, vel exitus à Civitatibus, & Oppidis, ac aliarum rerum, quæ reſpiciunt regimen politicum & univerſale, quod eſt munus privativum Principis temporalis, qui ſuum dominium undique quibus rebus poteſt diligenter, ac pro virili parte tueri tenetur, & à ſuis injuriam propulſare, alioquin injuſtè faciet. Referam litteras hac de re Proregis Neapolitani in compendium redactas, & Sedi Apoſtolicæ miſſas occaſione peſtis Neapolitanæ ſub anno 1657. quæ ſunt hujuſmodi.

*Che l'Arciveſcovo con l'editto publicato, che neſſuno Eccleſiaſtico poteſſe entrare in quella Città, e ſuoi borghi ſenza ſua licenza in ſcritto, e pigliando ſi la mano, che non gli toccava in queſto genere di governo univerſale, economico e politico della cuſtodia e preſervatione da una peſte, in ordine alla quale in tutti i Regni e Provincie del mondo procedono privativamente i Tribunali ſecolari, e danno gli ordini, bandi, e proviſioni neceſſarie, e in queſto poſſeſſo ſi ſtà in queſto Regno, da dove in tempo de' miei anteceſſori, e in occaſioni ſimiglianti ſono uſcite prammatiche e proviſioni per la conſervatione della ſalute, particolarmente negli anni 1629. e 1630. con l'occaſione della peſte di Palermo, e di alcune Città di Lombardia, di Venetia, e in tutte le parti del mondo ſuccede l'iſteſſo ſenza che gli Eccleſiaſtici habbiano havuto parte, nè ſiano intervenuti ne' detti ordini, e molto meno ne habbiano fatto di loro officio, e così, come ſi è veduto nell' Arciveſcovo. E queſta è una introduttione, e uſurpatione, che diè cauſa e obligo a cavare il bando dato, per il quale non ſi ha trattato nè di acquiſtare, nè di levare a gli Eccleſiaſtici, i quali non per queſto laſciano di eſſer vaſſalli, vicini, e habitanti di queſta Città, e Regno, e parte del corpo univerſale, e intereſſati e compreſi nel ben commune, e ſalute publica di quella, e ſua conſervatione, e nella forza della ragione, alla quale obliga la difeſa naturale, e oſſervanza degli ordini, che ſi danno a queſte materie.*

*In riguardo dell'editto del Cardinale &c. uſurpādoſi nel governo politico quello che non era ſuo nè privativamēte, nè cumulativamente, fu neceſſario di dichiarare, che i bandi in materia di peſte legavano ogni genere di perſone così Eccleſiaſtiche, come ſecolari. Poiche ne' termini preciſi habbiamo nel Regno la prima Prammatica del Re Ferdinando dell' anno 1407. con parole, che ſeguono. Che ciaſcuna perſona habitante di queſta Città tanto ſecolare, come Eccleſiaſtica &c. e più a baſſo n. 7. in ſimili pene incorrono le perſone Eccleſiaſtiche.*

*Così l'hanno riſoluto i Sommi Pontefici predeceſſori di V. Santità nella materia della ſalute publica ne' tempi del contagio, e commandi V. Santità di informarſi, come ſi ſono praticati i rimedii contro la peſte, che habbia havuto la poteſtà di concorrere a darli, & haver penſiero di eſſi, e troverà V. B. per coſa certa che in Spagna, Alemagna, Francia, Fiandra, e Italia, e in queſta ſteſſa Città nella peſte dell'anno 1528. e in queſta che adeſſo ſi è patita ſolamente i magiſtrati ſecolari privativamente ſenza intervento della Corte eccleſiaſtica diedero gli ordini, e gli eſeguirono eſtragiudicialmente, e giudicialmente contro le perſone ſecolari, & eſtragiudiciale, politica, & economicamente toccando gli Eccleſiaſtici riſpetto al concedere, o negar loro l'ingreſſo, o l'uſcita della Città, e terre, e altre ſorte di atti, che riſguardano il governo politico, e univerſale, che è carica privativa del Principe temporale, che guarda e difende il ſuo dominio.*

*Ancorche per quelli, che controveniſſero, e meritaſſero pena, e caſtigo ſappiamo le diſpoſitioni giuridiche in favore dell'immunità eccleſiaſtica, nè in queſta parte dice il bando alcuna coſa, che riſuoni, nè nella pratica ſi è mai trattato di procedere a verun' atto giuridittionale, e penale contro gli Eccleſiaſtici avanti, nè doppo il bando. E quando è venuto il caſo ſi ſono rimeſſi al Nuntio di V. Santità alcuni religioſi convinti, e preſi in fragrante, ma però con minor frutto, e dimonſtratione dell'aſpettatione, con la quale ſi ſtava de' miniſtri Eccleſiaſtici, poiche il maggior caſtigo che ſi è dato a quelli che controvennero avventurando la ſalute e quiete di queſta Città, è ſtato l'havere i proprii Conventi, e riſidenza con apparenza di carcere, o i giardini delitioſi dentro i medeſimi borghi della Città.*

*Reſti ſervita V. B. di paleſarmi gli ordini, ch'hebbero il Signor Cardinale Arciveſcovo di quella Città, e il Nuntio, accioche i loro Tribunali giuntamente che i ſecolari haveſſero cura della ſalute e ſicurezza della medeſima Città, e che per commun conſiglio degli uni e degli altri ſi trattaſſero, e diſponeſſero le materie, e ſeguendo contro i traſgreſſori le pene nelle quali foſſero incorſi. Sopra di che devo aſſicurar V. S. che giammai ne fu propalato tal'ordine, e che ſe io ne haveſſi havuto notitia ſubito haverei ſupplicato V. Santità in ordine a detta notitia.*

*Quel, che ſapeſſimo, e ſi laſciò intendere il Nuntio fù, che con pietà e Zelo Chriſtiano per alcune querele contro gli Eccleſiaſtici, che qui ſi hebbero di loro eſpreſſe controventioni e per noſtre inſtanze, ſi moſſe la S. V. di ordinare all' Arciveſcovo, che con intervento del Nuntio procedeſſe contro gli Eccleſiaſtici, che havevano controvenuto in queſta materia ad inſtanza e per parte de' miniſtri Regii, ch'era l'iſteſſo, che condannare la noſtra ragione, e compartirne il braccio eccleſiaſtico, quando ſi fuſſe chieſto per l'impoſitione & eſecutione delle pene favorendo il fine principale, e non per diſtruggerlo per quella ſtrada.*

*E tanto ſi tenne lontano l'Arciveſcovo dal guardare, & oſſervare l'ordine di V. Santità che per l'editto riferito, che ſtampò ſotto li 20. di Ottobre dell'anno paſſato, e s'intende, che la commiſſione che teneva dalla S. V. era aſſoluta ſenza dipendenza, nè communicatione col Nuntio, ne co' miniſtri Regii, non havendo domandato tale aiuto, nè ne havevano di biſogno, perche nell'eſtragiudiciale e politico della cuſtodia di queſta Città e Regno oſſervavano quello, che loro toccava privativamente, e gli Eccleſiaſtici non ſe gli erano oppoſti. E generalmente oſſervavano gli ordini, e le querele che havevano, erano contro gli Eccleſiaſtici, che de fatto gli traſgredivano, o ſi provavano*

*vano*

vano a traſgredirli, entrando in queſta Città malitioſamente. E queſti erano trattenuti, e meſſi prigioni, poiche altrimenti non ſi ſarebbe conſeguito il fine della preſervatione della ſalute publica.

E quando i caſi erano tali, che ricercavano qualche pena o caſtigo ſi ricorreva al Nuntio. Nè nel bando, che ſi publicò a' 17. di Marzo ſi diſpone di coſa differente, nè di pena particolare, quando ſpecialmente non ſi parla degli Eccleſiaſtici, che contro le guardie, deputati, e perſone che li laſciaſſero entrare. E ſecondo a me ha detto il Nuntio, che non fù mente di V. Santità quel che eſeguì l'Arciveſcovo, e publicò de fatto, dando occaſione a quel che appreſſo è ſeguito ſenza cercare di rimediare, ancorche ne fuſſe richieſto in tempo che non l'ignorò l'Arciveſcovo, che laſciò di accommodarlo, mà tenendolo ſtampato dalli 20. di Ottobre, tanto ſi è differita la riſolutione della S. V. ſe queſta era ſua mente, ha ſoſpeſo di publicarlo più di tre meſi dopo quando era meno neceſſario.

Et è bene che ſappia ancora V. Santità che nel rigore del contagio ſi trovò queſta Città ſenza Arciveſcovo, e ſenza Nuntio; perche al principio ſi allontanarono dalle loro caſe, e poi ſi ritirò l'Arciveſcovo a S. Martino Convento di Certoſini molto lontano dalla Città, e il Nuntio in una caſa nella più rimota parte del Borgo con pochi ſervitori ſenza laſciarſi vedere da niſſuno, ne fare ſpeditioni, nè dare audienze, nè il Nuntio venne alle mie, ancorche teneſſi le mie porte ſempre aperte per lui, e per tutti. E l'Arciveſcovo a pena tra cancelli ſentì alcune imbaſciate che gl'inviai in materia del conforto ſpirituale per proveder le Chieſe di cure, di confeſſori, e di chi amminiſtraſſe i Santiſſimi Sacramenti a gl'infermi, eſſendo arrivati a termine di morirſi nelle loro caſe e per le ſtrade ſenza godere di quei ſuffragi. E quando ſicuramente ceſsò il contagio nella Città, e rinfreſcò il tempo, l'Arciveſcovo calò a baſſo da' Certoſini, dove ſtette rinſerrato, e le attioni, che ſi videro a prò della ſalute, furono indur de fatto in queſta Città ſenza ordine, e contro gli ordini il frate Capuccino, levandolo da luogo bandito, e dandogli publicamente il pulpito nella Chieſa catedrale con riſchio di far tornare l'infettione con orrore univerſale e di tanto cattivo eſempio. E perche uſcito, e venuto da Roma con ſuoi compagni nel mezo del maggior contagio di quella un'altro Religioſo Capuccino fratello dell' Arciveſcovo non ſe gli permiſe l'ingreſſo, sbarcò fraudolentemente nel Covento de' Capuccini della Citta di Sorrento che ſtava ſana. E queſto ſpinſe l'Arciveſcovo a publicar l'editto riferito.

Gli uffici poi del Nuntio per la ſua parte tutti furono indirizzati a ſollecitare e a perſuadermi l'ingreſſo degli Eccleſiaſtici, e moderationi, e quarantene, che non ſi potevano permetter loro ſenza molto præiudicio delle regole date, e di ciò, a che nell'altre parti ſi è havuto, e ſi ha riguardo con tanto rigore, e maſſimamente contro i Religioſi delinquenti, e ſe gli hanno rimeſſi, non ſi è veduto alcun caſtigo, nè competente ſodisfattione. Si riſentì, e ſi dolſe dell' Arciveſcovo per non haverli partecipato l'editto, che publicò, diſpiacendogli ſe gli levaſſe quello, che V. Santità gli haveva conceduto, dando conto a me delle parole è del ſenſo degli ordini di V. Santità, e che non era a noſtro danno, nè in pregiudicio del noſtro governo, mà ſolo à favore della materia per caſtigar gli Eccleſiaſtici, che controveniſſero a gli ordini. E doppo ſarà poſſibile che ſi fuſſero fomentati altri diſcorſi.

E ſubito che ſi publicò l'editto per parte dell' Arciveſcovo, ricorſero a lui i miniſtri di Sua Maeſtà per rimediarlo. E per non havere il Cardinale pigliato alcun temperamento, parve neceſſario di far quel bando de' 17. di Marzo con l'eſpreſſione &c. accioche con queſto mezo reſtaſſe dichiarato per ſempre, che nè eſpreſſamente, nè tacitamente ſi acconſentì per parte noſtra in ciò che il Cardinale haveva operato. E ciò che in quello ſi preſuppone, intendiamo che non offenda in coſa alcuna la giuridittione e Immunità Eccleſiaſtica, e che è molto compatibile con quell .

Io ſcriſſi ſubito al Duca di Terranova, accioche daſſe conto a V. Santità ſe ne arrivava notitia del caſo, e informaſſe i ſuoi miniſtri, dolendomi dell'editto del Cardinale, e ſe gli commandaſſe il rimediarlo, e tranſmiſi il bando pubblicato per noſtro riguardo, e non credei, che doveſſe eſſer preſo in mala parte nè coſtà, nè quì. E la riſpoſta, che hebbi dal Duca di Terranova fu nella conformità, nella quale mi haveva parlato il Nuntio, che l'animo di V. Santità non era ſtato, che il Cardinale s'intrometteſſe in quel che non gli toccava, che queſto era il ſenſo de' miniſtri di Roma. E doppo tanti giorni mi giunge ora queſto Breve di V. Santità.

Non poſſo traſcorrere il caſo, che per incidenza ſi ſerve la Santità V. d'inſerir nel Breve citato ſopra l'Ortatoria, che s'intimò all' Auditore del Nuntio; poiche ſe tale fuſſe ſtato riferito alla Santità V. quale è, conoſcerebbe la ragione, con la quale han proceduto i miniſtri Regii.

Fu adunque il caſo, che un ſecolare inſtituito per ſuo erede univerſale un cugino, e in caſo di morte ſenza ſucceſſione gli ſoſtituì una Congregatione, o Confraternità. Morì l'erede inſtituito ſenza ſucceſſione onde il ſoſtituto pretendendo fuſſe arrivato il ſuo caſo comparve nella gran Corte della Vicaria, accioche ſe gli ſpediſſe il preambolo, e ſe gli deſſe il poſſeſſo, come ſi fece ſenza citatione di quelli, che potevano eſſere intereſſati. Comparvero alcuni nella medeſima Gran Corte, allegando la nullità degli atti del preambolo, e impugnando il teſtamento, in vigor di che ſi diede loro licenza, e introducendo la cauſa per appellatione nel Sacro Conſeglio la Confraternità, ch'era ſtata la prima ad accudire alla Gran Corte, ſupponendo eſſere Eccleſiaſtica, accudì all' Auditore del Nuntio, il quale diede monitorio contro la Gran Corte, e Sacro Conſeglio, accioche gli rimetteſſe la cauſa, e non turbaſſero il poſſeſſo alla Confraternità. Gl'intereſſati domandarono l'Ortatoria, parendo che la cognitione della nullità, e appellatione degli atti del preambolo ſpettaſſe à' Giudici, che havevano conceſſa loro la licenza, che in ciò vi ſia offeſa della giuridittione Eccleſiaſtica, e così ſi ſtimò, e uſcì l'Ortatoria conforme molte volte in caſi ſomiglianti ne ſono ſtate conceſſe.

E ſe bene il Nuntio da principio moſtrò diſpiacere, che contro il ſuo Auditore ſi procedeſſe con Ortatorie, che mai ſi erano date, e con l'errore del fatto, ſenza dubbio dovette premere nel darne notitia a V. Santità, mà il ſuo preſuppoſto non ſuſſiſte per eſſer coſa certa, che molte volte ſi ſono ſpedite Ortatorie ſomiglianti ad altri Auditori quando non ſi ſono quietati alla giuſtitia de' Tribunali Regii, e quì ſi è convinto il Nuntio.

E mi rallegrerebbe molto, ſe quando ſi duole con V. Santità de' miniſtri di Sua Maeſtà e delle Ortatorie, che ſi ſpediſcono contro i Prelati di queſto Regno, ſpecificaſſe giuntamente le cauſe, e i requiſiti degli ecceſſi, che tutto il giorno ſi augumentano, e la giuſta occaſione, che danno i miniſtri Eccleſiaſtici, e la giuſtitia è lo ſtile, e coſtume oſſervato in caſi ſomiglianti, eſſendovi Veſcovi omicidiarii, e fattionarii publici, e che ricettano fuor giudicati, banditi, e delinquenti, proteggendoli e difendendoli con violenze e uſurpationi dell'azienda de' ſuditti, e di quella di ſua Maeſtà con prejudicare alla ſua Real giuridittione, ordinando frequentemente molti loro dioceſani e particolarmente i ricchi, che gli regalano, e per queſta ſtrada ſi va augmentando con ecceſſi il numero de' Chierici in fraude delle leggi, e degli ordini Reali, mancando in queſto a gli ordini di V. Santità, la quale reſti ſervita d'intendere, che ſe ſono molte l'Ortatorie, ſono moltiſsimo le cauſe, che ſi concedono ſecondo le regole, e lo ſtile ſolito, e la qualità e conditione, e portamenti degli Eccleſiaſtici, ſopra di che mi potrei ſtender molto, e dolermi con ragione appreſſo V. Santità, Perciò piego qui il foglio

per

*per non eſſer proprio di queſto luogo; e in altra occaſione inſo merò V. Santità di quel, che giudico neceſſitoſo di rimedio per ſcarico della mia conſcienza, eſſendo certo, che nel governo di queſto Regno è queſta la materia, nella quale trovo maggiori inciampi, e imbarazzi, procurando per mia parte di sfuggire il darne a V. Santità, che avanti ſuccedino i caſi, e impegni, procuriamo tutti di conoſcere la ragione, riſparmiando l'ortatorie per quanto è poſsibile.*

*Di Napoli al primo di Settembre 1657.*

Santiſſimo Padre.

*Bacia il piè di V. Santità il ſuo Umiliſsimo Servo*

Il Conte di Caſtilla.

3 Hinc quicunque Eccleſiaſtici tamquam inobedientes mandatis Principium juſtis licitè poſſunt è Principatibus ab ipſis Principibus expelli, ut cum pluribus aliis docent Ramirez *de leg. Reg.* §. 27. *nu.* 12. Jo. de Hevia *in Curia Philip. p.* 1. §. 5. *n.* 35. Bobadil. *in polit. tom.* 5. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 66. Pradil. *p.* 2. *cap.* 8. *n.* 4. Pereir. *de man. reg. cap.* 12. *n.* 12. Giurb. *conſ. crim.* 48. *n.* 16. Fuſch. *de viſit. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 25. Ant. de Ball. *tr. var. lib.* 5. *pragm.* 1. *tit.* 10. *n.* 4. Ceval. *de cognit. per viam violent. gloſ.* 6. *n.* 65. Humad. *in leg.* 65. *tit.* 5. *p.* 1. *gloſ.* 8. Salgad. *de protect. reg. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *à n.* 273. Sotomaior, *de tertiis tom.* 7. *cap.* 21. *n.* 190. Cened. *quæſt. can.* 45. *n.* 24. Avezed. *tom.* 2. *lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 4. *nu.* 12. & Cutellius *ad leg. Frider. cap.* 22. *notab.* 25. *n.* 5. Non quidem per viam juriſdictionis contentioſæ & judicialis, quia ſic in ordine ad illos jus & ſuperioritatem judicialem ſibi aſſumerent, quod planè damnatum eſt; ſed per viam juriſdictionis œconomicæ ac politicæ. Quia tunc in ordine ad eoſdem jus & ſuperioritatem judicialem ſibi non uſurpant, ut per Oliban. *de jur. fiſc. cap.* 9. *n.* 28. Bobadillam, Cevallos, Cenedum, & alios allegatos.

4 At nihilominus tenendum eſt, edicta Principum ſæcularium publicata cauſa peſtis, que comprehendunt perſonas eccleſiaſticas, ſunt omninò invalida, ac repugnant juriſdictioni eccleſiaſticæ. Conſtat generaliter ex diſpoſitione ſacrorum Canonum, Conciliorum, ac Bulla in Cœna Domini, de quibus Doctores paſſim, & nos alibi fuſiùs. Pro Regno Neapolitano ex Conſtitutione Honorii III. ex Inveſtitura Julii II. & pro aliis locis ex obſervatione ſequuta diverſis temporibus, in quibus ſemper edicta quoad perſonas laicas promulgarunt laici, quoad eccleſiaſticas Epiſcopi. Extant exempla. Mediolani ſub anno 1577 edictum promulgavit S. Carolus. Sub anno 1630. Cardinalis Fridericus Borromæus. Neapolis ſub anno 1624. & 1630. Archiepiſcopus Neapolitanus Bartii ſub anno 1657. Barenſis. Januæ ſub anno 1650. & 1656. Januenſis. Raguſiæ ſub anno 1636. ac alibi Archiepiſcopus Raguſinus. *Milano. L'Arciveſcovo di Milano, richieſto con lettera ſcrittagli a' 29. di Maggio proſſimo paſſato del Preſidente della Sanità primieramente a publicare editto obligante gli Eccleſiaſtici a pagare per ciaſcuno una dobla al Teſoriero, che deputerebbe il Tribunale della Sanità per contribuirla alle ſpeſe, che ſi fanno per il contagio, communi anche ad eſsi Eccleſiaſtici. Secondo a deputare la perſona, che più gli pareſſe per intervenire nel detto Tribunale, mentre ſi votano le cauſe contro gli Eccleſiaſtici.*

*Riſpoſe in ſcritto alla prima richieſta, che non eſſendo generalmente fatta la detta contributione da' ſecolari, non appariva il caſo di tal neceſſità preciſa, che non patiſſe alcuna dilatione, e che però ſi doveva conformare alla diſpoſitione de' Sagri Canoni, conſentire il Clero, e darne parte a ſua Signoria, e in caſo, che l'eſattore foſſe perſona Eccleſiaſtica deputata da eſſo Arciveſcovo, dalle cui mani ſi doveſſe prendere la contributione con titolo di donativo cum gratiarum actione.*

*E alla ſeconda, che il far giuſtitia contro gli Eccleſiaſtici era ſua incombenza, offerendoſi pronto ad amminiſtrarla, nè baſtare, che un ſolo Eccleſiaſtico intervenga in un Tribunale laico anelante di haver giuriditione ſopra gli Eccleſiaſtici. Soggiungendo al primo, che S. Carlo ſopra di ciò mai fece editto, mandando ſolamente perſone a cercar le limoſine per tale effetto. E al ſecondo che'l detto Santo mai permiſe, che ſi procedeſſe dal Tribunale della Sanità contro le perſone Eccleſiaſtiche, adoprando le cenſure contro i laici, che vi s'ingerivano.*

*E con ſua ſcritta alla S. Congregatione a' 30. di detto meſe mandò una grida publicata dal detto Preſidente a' 9. del medeſimo, nella quale al num. 14. ſi diſpone, che i Religioſi aſſenti dallo ſtato di Milano non poſſano entrare ſenza mandar prima a riconoſcere i loro ricapiti della Sanità al Tribunale, ſoggiungendo, che S. Carlo nel S. Concilio provinciale tit. de cura peſtilentiæ fece più decreti regiſtrati negli atti della Chieſa dal foglio 229. infino al foglio 237. ſpecialmente nel fine del 231. ne' quali anche ne' fogli 1058. e 1066. ſi contengono diverſi editti, averteudo di più, che gli ordini, e gli editti del Magiſtrato laico ſi concepiſcono nella forma ſeguente. Sua Eccellenza commanda ad ogni perſona di qualſivoglia ſtato, e conditione, ſottopoſta al ſuo governo; ſenza mai eſprimere gli Eccleſiaſtici, con ſoggiungere, che tanto il ſudetto Santo, quanto il Signor Cardinal Federigo per tal cauſa hebbero grandiſſimi travagli.*

Quæ concluſio firmata etiam fuit tempore S. Caroli 5
occaſione non ſerendi orizam ad conſervandam aeris ſalubritatem, ut ex conſilio Surdi 301. ubi alii, ac ſtabilita à Sac. Congregatione Immunitatis decretis ſuis in Mutinen. ſub anno 1939. in Caſalen. 1628. in Melevitana 1649. in Tarraconen. 1650. in Melphien. 1655. ac in aliis ſæpè. Ratio autem petenda eſt à defectu poteſtatis. Quia non eſt cauſa, quæ laicis truibuit auctoritatem in Eccleſiaſticos, ſed poteſtas. Qua de re fusè *tom.* 1. *conſult.* 49. & 165. nos egimus, Vide Marchin. *de bel. divin. part.* 4. *c.* 2. ubi cum Martha *de juriſd. part.* 4. *cent.* 1. *caſ.* 74. docet, non poſſe Principem laicum tempore peſtis adſtringere Clericos ad obſervanda ſua edicta pro bono publico, & pro tuenda ſanitate promulgata, ſed debere eum Epiſcopos pro executione illorum rogare, & ita declaraſſe S. Congregationem facto verbo cum Sanctiſſimo ſub die 31. Januarii 1631. Quapropter Epiſcopi tempore peſtis, vel ſuam poteſtatem in Eccleſiaſticos quantùm ad arcendam ab Urbe peſtem, & ad conſervandam ſanitatem opus eſt, Magiſtratui ſæculari delegent, vel laicis ſanitati præſidentibus admiſceant aſſeſſorem Eccleſiaſticum, qui in Eccleſiaſticos juriſdictionem exerceat. Unde etiam tempore ſummæ caritatis annonæ Judices laici obtinere ſolent à Nunciis Pontificiis licentiam compellendi Eccleſiaſticos ad frumentum revelandum, vendendum, ut pro Regno Neapolitano notat Dianz. *cap.* 3. *de qualit. Offic. n.* 14.

Proviſiones verò, ſive cautiones, quas ponderant 6
Doctores, & quibus Sedes Apoſtolica utitur, multæ ſunt. Præcipua eſt procurare monitionibus, exhortationibus paſtoralibus, aliiſve mediis revocationem ejuſmodi edictorum ſæcularium, atque figere nova edicta, quæ excludant perſonas eccleſiaſticas, aut procurare illorum abolitionem, vel ſuſpenſionem, de qua conſtet per actus publicos, vel alio mitiori remedio uti. Item quod à Sede Apoſtolica per Breve, aut à S. Congregatione Immunitatis per decretum fiat declaratio annullativa, atque irritans & revocatoria eorundem edictorum, cujus exemplum mittatur ad Nuncios Apoſtolicos, Archiepiſcopos, & Epiſcopos cum præcepto pœnali, quod nulla eccleſiaſtica perſona iis edictis obediat, uti contrariis immunitati ac juriſdictioni eccleſiaſticæ, ac cum ordine, quod hujuſmodi declaratio, litteræ, ac præceptum ſerventur ad perpetuam rei memoriam, ut excludatur quævis patientia, & conniventia ſanctæ Sedis.

Pro executione autem harum proviſionum plurimæ 7
fieri ſolent querimoniæ à Nunciis Apoſtolicis, per Bre-

Brevia,

via, per negociationes miniſtrorum, per declarationem, quod procedetur nedum ad fulminationem excommunicationum, ſed etiam interdictorum, proponendo etiam, quod laici contraveniant Inveſtituris, aliiſque juribus ejuſmodi. Et perſiſtentibus illis in contumacia, procedi poterit, ſervatis ſervandis, ad dictam publicationem excommunicationis, & appoſitionem interdicti. Atque ita in praxi ſervatum eſt.

8 Non obſtant, quæ à laicis adducuntur. Quia licet verum ſit, quod debeant Eccleſiaſtici obedire edictis Principum juſtis, ac leges eorum ſervare, quoniam pars Reipublicæ ſunt; ad id tamen, uti pluries dictum eſt, non tenentur ſecundùm vim coactivam, ſed ſolum ſecundùm vim directivam, Atque adeò ſi iis non obediant, non poſſunt licitè Principes illos punire, ut præ cæteris docent Molin. *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 3. *concluſ.* 6. Vaſquez *in p.* 2. *tom.* 2. *diſput.* 167. *cap.* 4. Becan. *in ſum. theolog. p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *ſect.* 11. *num.* 11. Doctores, quos citat Bonac. *de legib. diſput.* 1. *qu.* 1. *pun.* 6. *num.* 29. & ex Juriſtis Valenzuol. *in defenſ. monit. Pauli V. part.* 4. *num.* 101.

9 Negandum tamen non eſt, quod ſi in hujuſmodi caſibus Epiſcopi id juſtè poſcentibus Principibus ob bonum commune, Eccleſiaſticos tempore peſtis in Rempublicam delinquentes non reprimerent, neque punirent, & Summus Pontifex conſuli non poſſet, tantaque eſſet neceſſitas, quod evidenter periculum eſſet in mora, tunc illis liceret in Eccleſiaſticos per modum juſtæ defenſionis, nullo autem pacto per modum alicujus juriſdictionis, facere id, quod recta ratio ad impediendam perniciem, Reipublicæ imminentem, opus eſſe dictaverit, ut rectè docuit Molin. *loc. cit. diſput.* 31. *concl.* 4. Salas *de legib. tract.* 14. *diſp.* 14 *ſect.* 9. *n.* 111. Ugolin. *in Bull. Cœn. cap.* 11. *p.* 2. §. 1. *num.* 3. & Tanner. *in* 2. 2. *diſput.* 4. *q.* 4. *dub.* 1. *n.* 30. Secus verò ſi res ita ſeſe non haberet. Quia quando periculum non eſt in mora, non habet locum modus juſtæ defenſionis. Nam ad juſtam defenſionem conditio neceſſaria eſt, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quando autem Princeps poteſt à Pontifice, vel ab Epiſcopo defenſionem petere inculpatè ſe non defendit. Adi Suarez *in Reg. Angl. lib.* 4 *cap.* 94.

10 Et quod ſpeciatim ad edicta pertinet, hæc extant S. Congregationis Immunitatis decreta. Eccleſiaſtici quoad paſcua non ſunt ſubjecti edictis Communitatis, in Firmana 13. Julii 1637.

11 Eccleſiaſtici non comprehenduntur edicto ſuper prohibitione paſcendi, in Sutrina 13. Auguſti 1639.

12 Clerus non tenetur ad obſervationem edicti publici Gubernatoris Civitatis, ſed Ordinarius debet facere ſimile edictum, in Tarentina 12. Decembris 1651.

13 Vineæ emphyteoticæ Eccleſiæ non comprehenduntur ſub edictis laicalibus, in Montisfaliſci 23. Auguſti 1632.

14 Officiales Civitatis poſſunt cogi ad declarandum, quod ſub eorum edicto non comprehenduntur Cleri, in Aliphana 23. Februarii 1638.

15 Bandimenta laicalia ſuper venditione vini non comprehendunt Eccleſiaſticos, in Licien. 30. Junii 1632.

16 Clerus ſæcularis, & Regularis non poteſt ligari bandimentis Magiſtratus Civitatis, Forolivien. 14. Decembris 1655.

17 Vinum, quod laici emunt à Clericis non comprehenditur ſub impoſitione Communitatis, in Monopolitana 7. Auguſti 1640.

18 Ordines facti à Judicibus laicis non comprehendunt Clericos, in Papien. 10. Septembris 1629.

19 Vigore ſtatuti laicalis non poteſt exigi gabella ab Eccleſiaſticis, in Tudertina 25. Septembris 1627.

20 Eccleſiaſtici non comprehenduntur in Statuto Communitatis ſuper gabella olei, in Aſſiſien 20. Aprilis 1649.

21 Pragmatica Neapolitana non poteſt comprehendere Eccleſiaſticos, in Neapolitana 20. Februarii 1652.

22 Edictum laicorum, ne ſæculares emant vinum ab Eccleſiaſticis, eſt contra libertatem eccleſiaſticam, & revocandum, in Tarentina 24. Januarii 1668.

Edictum, ſivè bandimentum tabaci à Nuncio Neapolitano emanatum ſuſtinetur, non obſtante Archiepiſcopo Neapolitano in Neapolitana 13. Novembris 1668. 23

Et hæc alia Sac Congregationis ſuper Epiſcopis. Statutum, in quo Eccleſia, ſivè perſonæ eccleſiaſticæ prohibentur, aut impediuntur uti rebus, aut facultatibus à jure communi ſibi conceſſis, eſt contra libertatem eccleſiaſticam. Tale eſt edictum, ſive ſtatutum Principis, vel Judicis laici, prohibens ne ullus laicus eligat in arbitrium perſonam eccleſiaſticam, in Acheruntina 23. Martii 1614. 24

Edictum, ſive ſtatutum Magiſtratus, ſive Principis laici ſcire volentis numerum Clericorum ad quos Ordines ſunt promoti, cujus ſint ætatis, ſi filios, aut nepotes habeant, ſi artem aliquam exerceant, &c. ſuſpectum eſt eſſe poſſe præjudiciale libertati eccleſiaſticæ, in Neapolitana 3. Auguſti 1621. 25

Et item contra libertatem eccleſiaſticam edictum ſive ſtatutum Principis laici circa capiendum, ſeu comparandum ſalem, quem Eccleſiaſtici, eo edicto non obſtante accipere poſſunt, ubi magis ipſis commodum fuerit, in Tarentina 21. Octobris 1607. 26

Item ſtatutum, ſive edictum puniens contrahentes matrimonium cum hominibus alterius Civitatis, infringit eccleſiaſticam libertatem, & non eſt validum. Unde Gregorius XIII. declaravit nullum ſtatutum loci Tarani, Sabinenſis diœceſis, quod mulier habens hæreditatem nubere non poſſet extra locum. 27

Edictum Epiſcopi, quod Eccleſiaſtici teneantur mundare vias in ſervitium laicorum eſt etiam contra eccleſiaſticam immunitatem 13. Aprilis 1612. 28

Item edictum, vel ſtatutum, ne quis amplius molat intra muros, quando Eccleſiaſtici habent ibi molas, 5. Februarii 1616. & 1. Auguſti 1620. 29

Multò magis ſi prohibeatur ipſis Eccleſiaſticis habere molas domi, præſertim pro eorum uſu, in Hydruntina 27. Januarii 1612. 30

## CONSULTATIO XLI.

*An Epiſcopus tam de jure, quàm de conſuetudine poſſit in ſuo foro cognoſcere cauſas criminales inter laicos conſentientes ejus juriſdictioni?*

Affirmamus. Et ad jus quod atinet aſſerunt Michael Fer. *quæſt. moral. & crimin. part.* 1. *quæſt.* 30. *n.* 18. *cum duobus ſeqq.* & Antonel. *de regim. Eccleſ. epiſcop. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 15. quod ſi laicus accuſatus coram Judice eccleſiaſtico non declinet illius juriſdictionem, ſed ei conſentiat, poſſit ab eodem Iudice puniri. Et generaliter omnes admittunt, quod laici poſſunt conſentiendo prorogare juriſdictionem eccleſiaſtici ad *text. in l. ſi qui ex conſenſu* 8. *C. de Epiſcop. aud.* & in *cap. ſignificaſti* 18. *de for. comp.* ibique Abb. *num.* 4. & 15. Felin. *ſub init.* Mar. Socin. *num.* 40. & Auguſt. Barboſ. *in collect. n.* 5. Concinunt Lap. Abb. *in cap.* 1. *num.* 4. & infra *eod. tit. in* 6. Petrus Barboſ. *in l.* 1. *de judic. art.* 3. *n.* 133. *cum pluribus ſeqq.* dicens communem, Natt. *conſ.* 413. *n.* 14. & *conſ.* 636. *n.* 61. Aufrer. *de poteſt. Eccleſ. ſuper laic. nu.* 25. *tom.* 13. *part.* 1. *fol.* 127. inquiens eſſe caſum clarum, Matth. *de juriſd. part.* 4. *cap.* 92. & *nu.* 2. Carol. de Graff. *de eff. cler. eff.* 1. *n.* 75. Bellett. *diſquiſ. cler. tit. de favor. cler. real.* §. 5. *n.* 52. Ciarlin. *controv. for. lib.* 1. *cap.* 44. *nu.* 21. & *lib.* 2. *cap.* 195. *n.* 7. Carleval. *de judic. lib.* 1. *diſput.* 2. *q.* 8. *ſect.* 3. *n.* 1120. Chartar. *diſput. pro Eccleſ. immun. n.* 136. Genuen. *in prax. cap.* 13. *n.* 2. Boer. *deciſ.* 65. *n.* 5. Franc. Marc. *deciſ.* 554. *n.* 1. *par.* 2. Viu. *deciſ.* 125. *n.* 2. Cacher. *deciſ.* 78. *n.* 2. Gratian. *deciſ. March.* 111. *n.* 14. Sperell. *deciſ.* 98. *n.* 33. *p.* 1. Clar. *in pr.* §. *fin. q.* 42 *num.* 1. & Rot. *deciſ.* 643. *nu.* 12. apud. Poſth. *de manut.* 1

Sed quia, circumſcripta prorogatione, regula ſtat pro Iudice ſæculari, quod ſcilicet in cauſis verſantibus circa tem- 2

temporalia non ſubſunt jurisdictioni Iudicis eccleſiaſtici per text. in cap. licet ex ſuſcepto 10. cap. ex tenore 11. de for. comp. cap. cauſam 7. ubi Abb. num. 1. qui fil. ſint legit. cum ſimilibus, quare Bald. in d. l. ſi qui ex conſenſu num. 1. C. de Epiſcop. aud. ſic ait: *Veritas eſt, quod inter laicos in temporalibus cauſis, nec olim, nec hodie habent Epiſcopi juriſdictionem, niſi prorogetur*, ideò ſtatuendum eſt;

3 Primò, an prorogatio locum habeat in criminalibus. Nam pro negativa urgere videntur verba taxativa dictæ l. ſi quis ex conſenſu, ibi: *Sed experientur illius in Civili dumtaxat negocio more arbitri, ſponte reddentis judicium.* Ex v. in Civili arguit, quod in criminali non ſic tenet. Siquidem illa dictio taxativa exponitur negativè, æquè ac ſi diceret non in criminali, ubi idem ſubdit Bald. num. 2. Quod etiam expreſsè tenet Gloſ. in cap. Inſolita 42. v. Pontifici 11. qu. 1. ibi: *Laici autem ſine conſenſu Ordinarii eligant alium Iudicem in Civili negocio, ſed non in criminali*, & in cap. Si diligenti 12. v. pacto privatorum ante fin. de for. compet. ibi: *Laicus vero benè poteſt alium Iudicem ſibi eligere in Civili negocio, ſed in criminali non*, dictum Innoc. in cap. Ad petitionem 23. nu. 1. verſ. Potes etiam, de accuſat. in aliis judiciis obtinere, quod quis poſſit in alium Iudicem conſentire, ſecus in inquiſitione, cùm non pendeat ex voluntate partium, ſed ex Iudicis officio, quod nulli licitum eſt tollere, vel impedire, ac Specul. tit. de compet. Iudic. adit. §. 1. nu. 14. reſpondentis cum Iacobo, in cauſa criminali non poſſe conſentiri in Iudicem alterius juriſdictionis, nec judicium ab eo peractum tenere. Ratio autem ponderata per Baldum in præcitata l. ſi quis ex conſenſu n. 1. ea eſt, quia ſi juriſdictio in criminalibus eſſet prorogabilis in alium Iudicem, facilè poſſet colludi ad impediendum competentiam Iudicum. Quod videtur abſurdum. Nam immediatè poſtquam aliquis delinqueret, procurabit per aliquem Iudicem, ſuum amicum contra ſe inquiri, & abſolvi, & ſic erit plæcluſa via de cætero procedendi ad congruam vindictam delicti ab eo commiſſi.

4 Verùm communiter receptum eſt, prorogationem in criminalibus fieri poſſe in Iudicem habentem merum Imperium ad textum in l. 1. juncta Gloſ. v. inchoata in princ. & Caſtr. ſub numer. 4. C. ubi de crim. ag. oport. l. 1. cum Gloſ. v. militarem in fin. C. ad leg. Corn. de ſicar. & in l. 4. juncta expoſit. Gloſ. un. v. Et obtinet, C. ad leg. Fab. de plagiar. Bartol. in l. 1. numer. 9. ff. de judic. ubi Caſtr. numer. 20. appellans communem, Cagnol. num. 45. cum ſeqq. teſtans communiter receptam, & Petr. Barboſ. art. 4. à numer. 2. idem Bartol. in l. Inter convenientes 28. num. 1. ff. ad munic. Bald. in cap. de cauſis 4. num. 16. de offic. deleg. Abb. in cap. P. & G. 40. num. 15. ibique Imol. num. 48. & Felin. num. 9. eod. tit. Mar. Socin. d. cap. Significaſti num. 36. de for. comp. Natt. conſil. 82. num. 5. Clar. in d. §. fin. qu. 42. num. 1. Gall. de pac. public. lib. 1. cap. 12. & num. 12. Decian tr. crim. lib. 4. cap. 32. num. 2. Cancer. var. reſol. part. 2. cap. 2. num. 194. & alii fuſo calamo relati à Carleval. de judic. lib. 2. diſput. 2. quæſt. 8. ſect. 5. nu. 1217. Etenim, ſi Iudex eccleſiaſticus in cauſis temporalibus non habet juriſdictionem, niſi prorogetur, utique dicendum eſt, hanc prorogationem habere locum tam in civilibus, quam in criminalibus, cùm in utriſque de materia temporali agatur, nec videtur eſſe major ratio de una, quàm de alia. Nam ſi dicatur ex tali prorogatione etiam in criminalibus inferri præjudicium Reipublicæ ex eo, quod delicta non puniantur competentibus pœnis, cùm immediatè poſtquam aliquis delinqueret, curare poſſet per eccleſiaſticum Iudicem tanquam mitius agentem contra ſe inquiri, & conſentiendo in ejus juriſdictionem per ipſum etiam obſolvi. Reſpondetur, quod ad hunc effectum non eſt in arbitrio delinquentis electio Iudicis, ſed tantùm conſenſus in juriſdictionem illius, coram quo fuerit accuſatus. Nec propter eà tolleretur congruitas pœnarum, & vindictæ pro qualitate commiſſi delicti. Quia ſi pro eo veniret imponenda pœna citra ſanguinem, clarum eſt, non eſſe differentiam inter eccleſiaſticum & ſæculare judicium in hujuſmodi pœnis infligendis. Si verò venit pœna mortis, nec etiam delictum impunitum remaneret, cùm tali caſu Curia eccleſiaſtica etiam delinquentes privativè foro gaudentes ſæculari tradat, ut commenſurata pœna plectantur, licet hic caſus vel numquam, vel rarò poteſt accidere, cùm concedamus generaliter non poſſe, neque debere Iudicem eccleſiaſticum in ſimilibus delictis inter laicos procedere ex officio, ſed ſolùm ex accuſatione.

Minuſque dicatur præjudicium Reipublicæ verſari etiam in pœnis pecuniariis, quæ Fiſco ſolent applicari. Quia cùm per Judicem Eccleſiaſticum applicentur locis piis, non præjudicatur Reipublicæ, quin immò plurimum intereſt, quod in uſus pios, quàm quod in alios applicentur. Quod ſi reſtringatur præjudicium ad commodum Judicis ſæcularis, cùm id reſpiciat mercedem ſportularum, & ſimilium, ut conſideravit Felin. in d. cap. ſignificaſti, de for. comp. n. 2. & innuit Clar. d. q. 42. n. 1. hoc etiam tollitur ex alia conſideratione, Abb. ad d. cap. relati per eumdem Felinum loc. cit. ac dicentis, incommodum ſportularum compenſari cum evitatione onerum & laborum. Ultra quod ſi haberetur ratio talis præjudicii in cauſis criminalibus, eſſet quoque habenda in cauſis civilibus. At in his non habetur. 5

Hanc tamen aſſertionem non ſimpliciter omnes admittunt, ſed aliqui ita variis declarationibus illam recipiunt, ut ferè deſtruant, ſicuti per Cagnol. d. l. nu. 46 ff. de judic. Inter cæteras tres ſunt præcipuæ. Prima, quod dicta concluſio procedat, quando laici ſunt ſubditi Domino perpetuo, non autem ſimplici adminiſtratori Juſtitiæ ad tempus. Non enim hi poſſunt abſque conſenſu talis Domini prorogare juriſdictionem alterius Iudicis, illi non ſubditi eodem modo, ſicut in terminis inquiunt Alex. in l. 1. §. Et poſt operis num. 17. & 18. ff. de oper. nov. nunc. exemplificans in ſubditis Civitatis Venetiarum, Felin. d. cap. ſignificaſti 18. n. 3. fallent. 5. de for. comp. loquens de prorogatione, per quam receditur à Iudice perpetuo, puta Principe, vel Populo libero, Menoch. conſ. 322. n. 19. in fin. cum tribus ſeqq. vol. 4. agens de ſubdito Cæſareæ Majeſtatis, qui conſenſerat in Iudices eccleſiaſticos. Nam conſiderato, quòd dominium Imperii erat perpetuum, negat illum ſuo conſenſu potuiſſe eorum juriſdictionem prorogare. 6

Secunda, quod admiſſibilis ſit tantùm, quando contra reum proceditur per viam accuſationis, ſecus ſi per viam inquiſitionis, quæ prorogationem non admittit defectus conſenſus efficacis in prorogante, cùm dari nequeat in eo, contra quem à Iudice fit inquiſitio. Quare proceſſus ab eo confectus non tenet, ut rectè docent Innoc. d. cap. ad petitionem 23. num. 1. ibique Felin. num. 6. propè finem, de accuſ. Bald. in l. 1. num. 10. C. Ubi de crim. ag. oport. ac d. l. 1. num. 2. C. ad leg. Corn. de ſicar. Barboſ. d. l. 1. de judic. art. 3. n. 14. & art. 14. num. 15. Alex. conſ. 216. num. 16. vol. 6. Socin. ſen. conſ. 108. num. 21. vel. 4. Natt. d. conſ. 82. num. 5. Clar. ea qu. 42. num. 3. Decian. a. lib. 4. cap. 23. nu. 4. Greg. Lopez in l. 15. tit. 1. part. 7. gloſ. 2. Carleval. ead. diſput. 2. qu. 8. ſect. 5. n. 1220. Et hunc locum ſibi vindicat, etiamſi Iudex prorogatus contra delinquentem procedat via accuſationis, & alter Iudex competens velit contra eum procedere via inquiſitionis, valebit enim proceſſus iſtius competentis juxta regulam cap. de his, de accuſat. quæ locum habet etiam quando contra jam accuſatum proceditur denuò per viam inquiſitionis, ex notatis per Caſtr. d. l. 1. numer. 20. fin. ff. de judic. & Clar. d. §. fin. qu. 57. num. 7. Id verò declaratur à Carleval. loc. cit. ſub num. 1221. ut cautè accipiendum ſit quoad illa crimina, in quibus de jure procedi poteſt per inquiſitionem, non autem quoad crimina privata, in quibus Iudex competens nequit via inquiſitionis procedere, ſed per accuſationem tantùm ex juſtitia, & petitione offenſi. Nam cùm accuſatus hoc caſu conſenſerit in Iudicem electum ab accuſante, 7

prorogatio non lædit jus publicum, admittens proceſſum per inquiſitionem, ne delicta remaneant impunita. At iſta declaratio in eo fundata, quod inquiſitio non ſit remedium ordinarium de jure, ſed extraordinarium pro delictis exceptis, prorſus corruit, animadvertendò, quod de generali conſuetudine evaſit ordinarium, cum hodie inquiſitio formari poſſit in quolibet delicto, ut inquiunt relati per Farinac. *q.1.n.10.* adeò ut ſemper locus ſit dictis à Petro Barboſa *ubi ſupra.*

8 Tertia, quod prorogatio in criminalibus teneat ſolùm in præjudicium prorogantium, non autem, ut ex ea inferatur præjudicium Iudici competenti, & ille impediatur, quominus procedat adverſus delinquentem ad eum congruè puniendum, & ſarciendum jus Reipublicæ, & illius delicto offenſæ malo exemplo, ſicuti tradunt Io. Andr. *ad Specul. d.tit. de compet. Iud.adit.* §.1. *numer.* 14. Bald. *in d.l.ſi quis ex conſenſu ſub num.6. de Epiſcop. aud.* ibi: *Breviter ego teneo, quod in cauſis criminalibus non poſſit prorogari juriſdictio Iudicis incompetentis quoad generandum præjudicium Iudici competenti, & ſuæ Reipublicæ, cui debet pœna applicari.* Nam jus publicum non poteſt mutari per conſenſum privatorum, Caſtr. *d.l.1.num.20. ff. de judic.* ibi: *Unde die, quo i poteſt prorogare in ſui præjudicium, ſecus Reipublicæ.* Unde ſi fuerit ibi abſolutus, iterùm hic poterit puniri, & accuſari; quaſi videatur colluſum; ſi autem condemnatus, tunc aut pœna corporali & debita, & amplius non accuſabitur, ne delicto eodem pluries condemnetur. Si autem ad pœnam pecuniariam, aut non debitè fuerit punitus, non tenebitur Iudex Paduanus habere ratum, quod factum eſt, Calefat. *ibid.numer.* 81. & Petr. Barboſ. *art.*3. *num.*188. *& art.*4 *num.*23. Abb. *d.cap.P. & G. num.*15. *poſt med. de offic.deleg.* ibi: *Datur tamen ſingularis limitaitio, ut ſolùm poſſit fieri in præjudicium prorogantis, &c. ſed in præjudicium proprii Iudicis, vel Reipublicæ, cui condemnatio veniebat applicanda, non poteſt fieri ipſa prorogatio, quia aliàs poſſet fieri fraus, & circumduci vindicta, quia criminoſus ſubiiceret ſe amico Iudici, à quo obtineret abſolutionem.* Ubi etiam Imol. *nu.*104. Marian. Socin. *d.cap.ſignificaſti n.*57. Clar. *d.part.*42 *n.*1. Antonel. de Matth. *de prorogat. Iuriſdict. num.*15. *poſt med. tr.tom.* 3. *part.*1. *fol.*109. Marant. *in ſpecul.part.*4. *diſt.*12. *n.*14. Gail. *de pac.publ.lib.*1. *d.cap.*12. *num.*15. Decian. *d.lib.*4. *cap.*23. *n.*5. Gregor. Lopez *d.l.*15. *tit.*1. *p.*7. *gloſ.*4. Carleval. *d.diſp.* 2. *q.*8. *ſect.*5. *n.*1223. quibus accedunt relati per Giurb. *conſ.* 59. *n.*109.

9 Verùm hæ limitationes remanent eliſæ tum ex ſuperiùs adductis, tum quia etiam Epiſcopus habet merum & mixtum imperium, eſtque ſubditus domino perpetuo prorogare volenti, nempè Summo Pontifici, & inſuper in Civitate, & diœceſi ſua exercet ordinariam juriſdictionem; quare limitationes procederent ſolum ſi prorogatio fieret in alium Iudicem extra ditionem Principis ſæcularis, vel ſi intra illam in alium, nullam habentem juriſdictionem in Civitate, vel loco prorogare volentis.

10 Quod verò ad conſuetudinem affirmativè reſpondendum eſt. Sufficitque ad legitimam illius inductionem, ſi fuerit præſcripta ſaltem ſpatio annorum triginta, ſicut in terminis conſuetudinis, quod Iudex eccleſiaſticus poſſit in cauſis criminalibus procedere contra laicos, ait Lup. *in repet.cap. Per veſtras, notab.*2. §. *ſed & pulchra dubitatio, num.*40. *de donat. inter vir. & ux.* In iis verò, quæ contra jus ſunt, ſufficit ad præſcriptionem tempus quadraginta annorum ex Sperel. *deciſ.* 89. *num.* 22. *&* 25. *lib.* 1. debetque adeſſe probatio ſcientiæ, ac patientiæ Principis, vel Magiſtratus, de cujus præjudicio agitur ex inductione talis conſuetudinis, quod in ſpecie probat Lup. *d* §. *num.*33. *poſt med. verſ. Dux autem*, negans poſſe dici legitimè præſcripta à Iudice eccleſiaſtico, ni probetur interveniſſe ſcientiam ac patientiam Regis, cujus eſt juriſdictio in laicos ſibi ſubjectos, ſubdens *numer.*36. quod regulariter iſta ſcientia non præſumitur, etiamſi probetur, cum ipſa conſuetudo ſit quid facti, & conſiſtat in facto, cujus ignorantia præſumitur, *cap.*1 *de conſtitut. in* 6. Verùm cùm agatur de conſuetudine favore Eccleſiæ introducta, non eſt ejus ſcientia neceſſaria. Ultra quod ex multiplicatis actibus, per tot annos repetitis præſumitur; dato quod eſſet ſimpliciter neceſſaria, prout poſſet negari ex Sperello *loc. alleg.* & Rot. *dec.*37. *part.*5. *recent.num.*4. Debetque etiam probari, quod Curia epiſcopalis fecerit ejuſmodi actus animo deliberato inducendi talem conſuetudinem, cum citra eum fieri potuerint de facto, ac vice verſa tolerari ex gratia. Quod ſanè pro illius inductione non ſufficeret, Iaſ. *conſil.* 192. *in fin. vol.*2. Gratian. *diſcept.*298. *nu.*8. Carol. Marant. *controv.jur.part.*4. *reſponſ.*38. *num.*27. Gregor. XV. *deciſ.*162. *num.*10. *cum ſeq.* inquiens, multa per patientiam tolerari, quæ ſi fuerint in judicium deducta, exigente, juſtitia, tolerari non debent. Unde non debent videri actus facultativi, qui non inducunt conſuetudinem coactivam, Abb. *in cap. ex parte* 10. *numer.*7. *in ult. not. de conceſſ. præb.* Iaſ. *in l.quominus numer.* 28. *ff. de flumin.* Calder. *conſil.*1. *&* 3. *de conſuet.* Caſtr. *conſil.* 340. *ad fin.part.*2. Dec. *conſil.*175. *num* 6. Roland. *conſil.*53. *numer.* 38. *vol.* 3. Aym. *conſil.* 96. *num.* 4. Gratian. *diſcept.* 298. *numer.* 10. Greg. XV. *deciſ.*162. *numer.*10. Rot. *deciſ.*778. *num.*5. *part.* 1. *div. & dec.*536. *num.* 4. *part.* 7. *rec.* & alias paſſim. At non præſumitur facultativi ex eorum pluralitate per longum & continuum temporis intervallum, maximè cùm agatur favore Eccleſiæ, ut firmat Add. ad Gregor. XV. *dec.* 162. *num.* 15. Et ità declaravit aliquando Sac. Congregatio Immunitatis in una Spoletana 15. Septembris 1637. nimirum, in cognitione cauſarum, etiam merè laicalium, ſervanda eſt conſuetudo ad favorem Epiſcopi.

## CONSULTATIO XLII.

*An & quibus privilegiis gaudeat Clericus conjugatus.*

De his ita ſtatuit Sac. Concilium Trid. *ſeſſ.*26. *cap.*6. 1
*de reform. In Clericis verò conjugatis ſervetur conſtitutio Bonifacii Octavi, quæ incipit Clerici, qui cum unicis, modò hi Clerici alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, & clericali habitu & tonſura utantur, nemini quoad hoc privilegio, vel conſuetudine, etiam immemorabili ſuffragante.* Habet autem Conſtitutio Bonifacii, quæ eſt *in cap.un.de.Cler.conjug.in 6.* Clericos, qui cum unicis, & virginibus contraxerunt, gaudere privilegio Canonis, nec poſſe ad laicum tribunal trahi, vel Iudices laicos condemnari pro exceſſibus, vel delictis tam civiliter, quàm criminaliter procedendo, in cæteris autem non gaudere privilegio fori in civilibus, ac proinde in his trahi poſſe ad tribunal laicum ſine excommunicatione.

Et cùm hæc verba ſint ſatis clara, adhuc non conve- 2
nit inter Interpretes nedũ in aliis, ſed nec in ipſo puncto principali, quod ſcilicet in civilibus non gaudeant ii privilegio fori, gaudeant autem in criminalibus. Gaudere enim etiam in civilibus tenet Lap. *allegat.* 41. *&* 118. & utrobique Doctores, quos Addens adducit, Archid. *in d.cap.un.de Cler. conjug. in* 6. Franch. *ibid. col.* 3. Cevall. *in tr.de cognit.per viam viol.part.*2. *quæſt.*93. *num.*4. Ricc. *p.*3. *deciſ.*120. *num.*5. Bonac. *in Bull.Cœn.pun.* 3. *num.* 3. Diana *part.*1. *tr.* 2. *reſol.*5. Duard. *ad d. Bull. Cœn. lib.*2. *can.*15. *qu.*4. *concluſ.* 3. aſſerens, quod mirum eſt, hanc eſſe ſententiam veriorem & magis communem, ita ut ab ea in judicando nullatenus ſit recedendum, Mart. *de juriſd. part.* 4. *caſ.* 153. appellans ſimiliter communem. Qui duo poſteriores probant ex prædicto textu *cap.un.* Nam ibi declaratur ad hos Clericos conjugatos extendi privilegium Concilii Pariſienſis, quod eſt *in cap. Nullus, de for. comp.* Hoc autem eſt univerſale tam quoad cauſas civiles, quàm quoad cauſas criminales, & utens Pontifex in *d.cap.un.* verbo *declaramus*, inſinuat,

non

non inducere novam diſpoſitionem, ſed veteri eſſe adhærendum, ſecundum quam Clerici conjugati indiſtinctè cum aliis Clericis omni privilegio clericali quoad forum gaudebant. Igitur cum diſpoſitio *d. cap. un.* ſit reſtrictiva antiquioris juris, ac proinde odioſa, minus ac ſit poſſibile de privilegio forenſi debet diminuere.

3 Patitur autem revera interpretationem, ut nec quoad cauſas civiles ſubdatur Clericus conjugatus Judici laico. Nam dicitur primò, quod pro delictis trahi non poſſit ad tribunal ſæculare tam civiliter, quàm criminaliter procedendo. Deinde dicitur, quod non poteſt per laicos contra ipſos procedi perſonaliter, nec pecunialiter. Ut igitur hoc poſtremum non ſit ſuperfluum, accipiendum eſt de cauſa civili. Cauſa enim pecunialis dicitur civilis, & è converſo. Atqui cauſam criminalem pecunialiter tractatam videmus excluſam ex ſuperioribus. Et conſiderandum eſt verbum *nullatenus*, quo Pontifex utitur, dum ait: *Nec ab ipſis ſæcularibus Iudicibus eos debere perſonaliter, vel etiam pecunialiter ullatenus condemnari.* Quod verbum omnem modum excludit per ea, quæ tradit Dec. *in cap. ſuper litteris n.3. & in cap. Eam te, n. 33. de reſcript.* & confirmant tandem ex illo effato, quod in dubiis juriſdictionem eccleſiaſticam tangentibus, potius pro ea, quàm contra ſentiendum eſt, cum pium ſit pro Eccleſia judicare.

4 Hinc ad effectum, ut Judex laicus cognoſcere, & punire non valeat perſonam, ſufficit, Clericatum eſſe dubium, ac confluere probationes hinc inde ita, ut tutior pars eligenda ſit. Quia non perverſum & incongruens à Judice eccleſiaſtico laicum cognoſci ac puniri, ſed è contra perverſum & incongruens eſt, Clericum cognoſci ac puniri à laico. Atque idcircò juxta benigniorem ac tutiorem Eccleſiaſticorum opinionem ſufficit etiam probatio adminiculativa Clericatus, quodque caſus reddatur hinc inde probabilis, aut dubius, *arg. text. in l. proximè ff. de his, quæ in teſt. debent.* Natt. *conſ. 671. in fin.*

5 Ex altera verò parte nec in criminalibus, multò minus autem in civilibus, gaudere hujuſmodi Clericos privilegio fori tenet Belviſius, & Jordanus Bretius *in repet. c. 1. §. contrahentes n. 90. de for. comp. lib. 6.* inquentes, conſtitutionem prædictam *cap. un. de cler. conjug. in 6.* tantum in temporali ditione Pontificis ſervandam eſſe, ut refert Covar. *pract. quæſt. cap. 31. nu. 7.* & videtur opinio Gloſſæ finalis & Abbatis *in cap. Ex parte* per illum textum *de Cler. conjug.* ubi Honorius III. reſcribit Reginæ Anglorum Clericis uxoratis juſtitias & ſervitia conſueta exigi poſſe, non ſecus ac ab aliis ſubditis. Et facit *cap. Ioannes eod. tit.* ibi: *Etiam tonſuratus non poteſt clericali privilegio gaudere.*

6 Conſtantiſſimè tamen aſſerendum eſt, Clericos conjugatos, qui cum unicis & virginibus contraxerint, præſumitur autem in dubio contraxiſſe cum Virgine, quia jus ſemper præſumit excluſionem delicti, ut per Gomez *lib. 3. var. cap. 10. numer. 4.* gaudere privilegio canonis, & fori quoad perſonam, nempè exemptione ab oneribus perſonalibus, tam in criminalibus, quàm in civilibus, & quoad res in criminalibus, non autem in civilibus, ut apertiſſimè ſtatuit textus *in d. cap. un. de Cler. conjug. in 6.* addens in cæteris eos gaudere nolumus privilegio clericali. Et hic eſt intellectus Gloſſæ *ibi*, Jo. Andreæ, Geminiani, Ancharani, Cardinalis, Imolæ, & aliorum: quos citat & ſequitur Covar. *loc. alleg.* teſtans eſſe communem. Eundemque ſequitur Graff. *lib. 4. dec. aur. cap. 18. numer. 128.* inquiens eſſe ſententiam omnium, Alter. *de cenſur. tom. 1. lib. 5. diſput. 16. cap. 1.* Coriolan. *in Bull. Cœn. excsmm. 15.* latè Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 4. dub. 49. numer. 2.* Caſtropal. *tom. 2. de Relig. tr. 12. diſp. un. pun. 9. numer. 12.* Doctores, quos ſequitur Delbene *de immun. c. 4. dub. 11. num. item 11. & ſeq.* referens aliquas Sac. Congregationis declarationes. Et declaravit Sac. Congregatio immunitatis in Policaſtren. 3. Aprilis 1643 quatenus propoſito dubio, an Clerici conjugati gaudeant privilegio fori etiam in civilibus, reſpondit, gaudere etiam in civilibus attenta conſuetudine, quæ non eſt improbanda, & in Neritonen. 17. Januarii 1628. & in Nullius Garopoli 9. Septembris 1651. quare cogi non poſſunt ad luſtrationem, ut milites, accedere, Sac. Congregatio ſuper Epiſcop. in Agrigentina 30. Januarii 1621. & in Aleſſanen. 30. Martii 1621. Nec puniri à foro ſæculari, ne pro delictis quidem commiſſis quando non deferebant habitum, eadem ſacra Congregatio in Nullius Rutiliani 2. Decembris 1611.

7 Uxores verò hujuſmodi Clericorum conjugatorum gaudent privilegio fori tam in civilibus, quàm in criminalibus ita, ut non poſſint carcerari, nec perſonaliter adſtringi (non autem immunitate à vectigalibus, niſi adſit conſuetudo) durante tamen vita Clericorum & cohabitatione cum ipſis. Idemque dicendum de ipſis Clericis conjugatis, Sacra Congregatio Immun. in eadem Neritonen 17. Januarii 162e. Sacra verò Congregatio Concilii in Catanen. 12. Aprilis 1625. cenſuit, cauſam inter laicum & Clericum conjugatum, in qua de crimine, aut perſonali diſtrictione non agitur, ad laicos Iudices eſſe reiiciendam.

8 Non obſtant oppoſita. Quia Pontifex non abſolutè extendit totum privilegium Conſilii Pariſienſis, ſed præmittens, ex dicto Concilio deſumi privilegium Clericorum quoad perſonalem diſtrictionem, declarat quouſque pro Clreicis conjugatis ſit extendendum hoc pacto. *Et cum juxta Pariſienſe Conſilium nullus Clericus diſtringi, aut condemnari debeat à Iudice ſæculari, præſenti declaramus edicto &c.* Præterquam quod valdè probabile eſt in eo *cap. Nullus, de for. compet.* ubi refertur Concilium Pariſienſe, de ſolo judicio in criminalibus ſermonem eſſe, cùm utatur ſolis verbis *diſtringere & condemnare*, quæ punitionem pro crimine, ut plurimum inportant Et concedendum quidem eſt hanc diſpoſitionem eſſe reſtrictivam, & odioſam, ut communiſſimè docent Doctores. Sed in contraria opinione non eſſet quid reſtringeret, ſi antiquum privilegium integrum relinqueret. Non enim valet recurrere ad ſubjectionem tributorum. Huic enim tenebantur Clerici, etiam ante hanc decretalem Bonifacii per textum *in cap. Ex parte, de Cler. conjug. in antiq.* Tandem nihil eſt ſuperfluum in eo jure. Quia cùm pro delictis dixiſſet, non poſſe nec civiliter, nec criminaliter procedendo trahi ad Judices laicos ejuſmodi Clericos, deinde quaſi explicans antedicta, dicit non poſſe puniri ab iiſdem Judicibus laicis nec in perſona, quomodo proceditur criminaliter, nec in pecunia, quomodo proceditur civiliter. Ubi etiam advertendum, prius ſtatui contra eos, qui trahunt ad judicia ſæcularia, deinde verò contra ipſos Iudices, qui puniunt. Unde verum quidem eſt, omnem actionem pecuniariam eſſe civilem, quando quis pro crimine punitur pecunialiter. Quia non dicitur tunc cauſa civilis, ſed cauſa criminalis expedita civiliter. Ex quibus conſtat, verbum *nullatenus*, non plura excludere, quàm importent antecedentia verba, quæ dicimus de ſolis criminalibus diſponere. Significat enim nullo modo, & nullo in caſu pro crimine Clericum conjugatum trahendum eſſe ad Judicem laicum. Quicquid verò ſit de illo effato, in dubiis prò Eccleſia ſentiendum eſſe, dicimus ſaltem non habere locum, quando lex canonica juxta obvium & communiorem intellectum permittit judicandum pro laicis, ut eſt in præſenti.

9 Nec pro iis, qui negant, hos Clericos conjugatos gaudere privilegio clericali in criminalibus aliquid evincunt *cap. Ex parte, & cap. Ioannes, de Cler. conjug.* Quamvis enim admittatur, hæc jura illi opinioni ſuffragari, tamen *cap. un. in 6.* quod magis recens eſt, attendendum venit. Deinde aut *in cap. Ex parte* eſt ſermo tantùm de ſubjectione onerum & tributorum, ut eſt communis Interpretum placitum, aut certe ſermo eſt de iis, qui uxores ducunt, relicto habitu, & tonſura, ut patet ex initio illius

textus; vel de iis, quibus non permittitur ſimul Clericatus & conjugium. Sicut & in *cap. Ioannes* ſermo eſt de ordinato in minoribus tantùm, qui uxorem duxit, ſtatu clericali ſponte relicto. Hic enim, etiamſi cogeretur tonſuram deferre, non per hoc gauderet privilegio aliquo clericali.

10 Ex eo autem, quod textus Concilii Pariſienſis inſiſtit in eo, quod perſonalis diſtrictio perſonæ ſacræ non eſt laico Judici permittenda, quod intelligitur, non præcedente demerito de quo alibi, inferri poteſt, nec etiam in cauſis civilibus perſonaliter capi, aut detineri poſſe Clericum conjugatum, niſi accedat licentia Prælati eccleſiaſtici. Sicut enim regulare videtur, & commune ratione privilegii Canonis pro civili cauſa, aut alio modo, Clericum conventum apud Judicem laicum non poſſe per ipſum pœna corporali puniri, niſi in jure expreſsè conceſſum ſit, vel ex eo deducatur, ita etiam ſequitur, quod nec detineri, aut carcerari ad cuſtodiam, vel alio modo poſſit, cùm ſit id contra idem privilegium Canonis, contra quod non eſt audiendum, niſi ſit in jure permiſſum, ut in *cap. In audientia, de ſent. excomm.* & alibi. Detineri quippè per miniſtros laicos reſultat in magnum clericatus dedecus, quod non videtur concedendum, etiamſi Clericatus ſit in perſona conjugata, quia conſecratio tam eſt in conjugato, quàm in cœlibe. Ita Anchar. *in d. cap. un. de Cler. conjug. lib. 6.* Rip. *lib. 1. reſp. cap. 13. col. 3.* Lap. *d. alleg.* 88. Alrer. *loc. cit.* Capel. Toloſ. *deciſ.* 184. & apud Guid. Pap. *dec.* 13. & à fortiori qui tenet neque in civilibus Clericos conjugatos privari foro eccleſiaſtico. Et hanc ſententiam teſtatur Covarruvias eſſe communem. Unde ſicuti juxta eam ſic detinens innodaretur ex *c. Si quis ſuadente*, ita etiam dicendum eſſet, quod innodetur ex Bulla Cœnæ.

11 Attamen Covarruvias *d. cap.* 31. Montalvus *leg. 25 tit. 9. part. 1.* tutantur praxim Hiſpaniæ, qua paſſim abſque ulla controverſia Judices ſæculares capiunt & detrudunt in carcerem hujuſmodi Clericos pro cauſis civilibus, & Duard. *ea qu. 4. concl. 1.* vocat ſententiam priorem improbabilem. Nam ſi quoad cauſas civiles non eximuntur hujuſmodi Clerici à poteſtate laica, ergo remanent ſubjecti eodem modo ac laici, atque adeò poterunt aliorum inſtar capi & in carcerem coniici. Unde negat primam ſententiam eſſe communem. Quia ubi meliores rationes & reſolutiones militant, ibi eſt communitas opinionis, non ubi plurium etiam ſi graviorum Doctorum numerus. Verùm illa prior ſententia antiquioribus magis arriſit, ego tamen ſecundam arbitror congruentiorem dicto *cap. un. in 6.* ac Sac. Concilio Tridentino *d. cap. 6. ſeſſ. 23. de ref.* Videndi Clarus *quæſt. 36. verſ. Quæro*, & Guazzinus *tom. 1. def. 4. cap. 3.* ubi latè tractant, an & quando Clericus conjugatus poſſit puniri per Judicem laicum.

12 Hinc hujuſmodi Clerici conjugati tenentur de jure ad ſolutionem vectigalium per Gloſ. *in d. cap. un.* ubi cæteri, Covarr. *loc. alleg. num.* 9. Squillant. *de privil. Cler. cap. 7. num.* 28. Mar. Ant. de Marin *reſol. 59. lib. 1.* D. Fagnan. *in cap. pervenit num. 16. de immunit. Eccleſ.* Graſſ. *effect. cler. 3. num.* 24. Bellett. *diſquiſ. Cler. p. 1. tit. de exempt. Cler. § 6. num. 2.* Cobel. *in com. Bull. bon. regim. cap. 50. ſub num.* 147. Secus autem de conſuetudine. Unde cùm quæreretur in Sac. Congregatione Immunitatis, an Clerici conjugati teneantur ad impoſitiones laicales, quæ ad capitationem imponuntur, reſpondit, probata legitima conſuetudine, non teneri. Ita in una Caſſanen. ſub die 9. Maii 1649. præcepitque Epiſcopo, ut eam conſuetudinem mandet ſervari. Et quidem ut in hac reprocedatur in executionem decretorum Sac. Congregationis, certum eſt hujuſmodi Clericos non eſſe immunes ab oneribus realibus, ſed à perſonalibus duntaxat, quemadmodum declaravit eadem Sac. Congregatio cum alibi, tum præſertim in una Roſſanen. ſub die 21. Januarii 1631. dicens, illa eſſe onera perſonalia, quæ per perſonam adimplentur. Item declaravit in Rheginen. 20. Septembris 1667. nempè quod Clerici conjugati non gaudent immunitate ab oneribus impoſitis ſuper bonis. Et quoad foculare, in quo præcipua laicorum cura conſiſtit, quamvis Sac. Congregatio aliàs in una Oppiden. die 17. Novembris 1554. declaraverit, onus focularis non eſſe ſolvendum à Clericis conjugatis, neque à Diaconis, ut vocant, ſiluaticis, tamquam onus perſonale, nihilominus in aliis cauſis contrarium reſpondit, ut in una Cathacen. die 23. Maii 1647. & alibi pro eorum immunitate ſe fundavit in ſola conſuetudine, quæ ſi verè probetur ſervatis ſervandis citatoque Fiſco laicali obſervanda eſt, ut cenſuit in una Roſſanen. die 19. Januarii 1638. & in una Anglonen. die 22. Septembris 1639. Immò paucis ab hinc annis, tenore ſupradictorum decretorum maturè perpenſo, auditiſque relationibus ferè omnium Regni Neapolitani Ordinariorum, ac Eminentiſſimi Cardinalis Spinolæ tunc temporis Nuncii Apoſtolici hunc articulum noluit reſolvere in favorem Clericorum, nec poſteà voluit aſſiſtere Epiſcopo Oppidenſi pro ejuſmodi prætenſione cum Principe Cariati inter quos compoſito factum eſt, ut hęc differentia finem acciperet.

Idem dicendum eſt de ſolutione donativi Regii. Cùm enim Epiſcopus Cathacenſis ſupplicaret Sac. Congreg. Immunitatis, *che gli ſi ordini quello che devrà fare co' Regii nell' eſattione del donativo, che fà il Regno al Rè quanto à Cherici conjugati, perche eſſendoſi ſtabilito, che ſi eſigga à carlini 39. per fuoco ſecondo che i fuochi ſono numerati per tutti i luoghi, e trovandoſi che in tutte le Terre non ſono tanti, quanti ſono numerati, e che molti di quelli ſono impotenti à pagare, ſi è determinato, che per i fuochi mancanti è impotenti ſi accreſca tanto più per fuoco à quelli, che ſono potenti ſecondo la robba da eſſi poſſeduta, nel quale accreſcimento crede ſiino compreſi i Cherici potenti, i quali vorrebbono pagare ſolamente i trentanove carlini à fuoco, e non il detto accreſcimento per gl' impotenti è mancanti, com' è ordinato, ſenza eſſere eſſi inteſi. Al che dice riſponder la Città, che ſe eglino ſi ſentono gravati, ricorrono a i Deputati per ottener lo ſgravio preteſo da eſſi. Di più avviſa, che havendo ordine da queſta S. Congregatione ſotto a' 27. di Maggio 1647. di far godere a' Cherici conjugati il lor beneficio del cap. unde Cler. conjug. in 6. mentre per legittima conſuetudine non ſiino in poſſeſſo di godere più che eſſi allegano, non dover concorrere al detto donativo, non havendo mai pagato. Mà i Regii riſpondono ciò eſſer ſeguito, perche mai più ſi è riſcoſſo per teſta, come ſi fà ora, e che mentre i detti Cherici hanno pagato l'altre gabelle, e taſſe fatte per altri debiti comunitativi, non debbono eſſere immuni dalla detta taſſa del donativo.* Sacra Congregatio Immunitatis ſub die 2. Maii 1651. reſpondit, *foculare eſt onus reale, ideò Clericos conjugatos teneri, niſi concurrat legitima conſuetudo.* 13

Hinc etiam Clerici conjugati nullo alio privilegio clericali gaudere poſſunt, quàm Canonis, *Si quis ſuadente* 17. *qu. 4.* & fori, ut *in d. cap. un. de Cler. conjug. in 6.* in reliquis verò reputantur meri laici, ut in ſpecie *cap. Odoardus* videre eſt apud Cæphal. *conſ. 221. num. 1.* Natt. *conſil. 319. num. 6. & 356. n. 1. lib. 2.* Coſt. *de remed. ſubſid. cap. 29.* Caſtagn. *in tr. de benef. deduct. ne eg. qu. 10 fall. 9. ſub nu. 13.* Ricc. *dec. 293. n. 4.* & de veriori teſtatur Campanil. *in d. jur. Can. rubr. 11. cap 10. num. 50.* D. Fagnan. *in repet. d. cap. Odoardus n. 13.* Covar. *pr. q. cap. 31. n. 9.* quibus authoritatibus non reſiſtit reſolutio Sac. Congregationis Concilii ſub die 18. Septembris 1595. quia non loquitur in terminis Clerici conjugati, ſed Clerici initiati prima tonſura, inter quos intercedit in hoc differentia, ut benè explicat D. Fagnan. *ubi ſupra num.* 23. & ita judicavit Rota in Romana *cap. Odoardus* 5. Martii 1668. coram Otalora. 14

Notandumque primum eſt, irritum evaſiſſe votum Speculat. *in tr. de Concil. part. 2. cap. 4.* ubi appetiit, quod hæc conſtitutio *cap. un.* tamquam reſtrictiva juris communis concedentis integrum clericale privilegium 15

Cleri-

Cle icis, etiam uxoratis à generali Concilio revocaretur, utpotè eccleſiaſticæ Reipublicæ præjudicialis, irritaque fuiſſe querelas Ioannis Monachi *in d.cap.un.* dolentis de illius editione. Tantum abeſt, quod revocata fuerit per generale Concilium, ut potius Tridentinum approbavit, immò magis reſtrinxit, addendo prẹter delationem habitus, neceſſarium, ſervitium Eccleſiæ, cujus defectu talis Clericus nec in criminalibus gauderet. Iure enim optimo, ſicuti oſtendit Covarruvias, inductum eſt, ut Clerici conjugati, quibus major eſt vivendi licentia, & minor quædam perſonæ ſanctitas defectu cœlibatus, ſæcularium negotiorum major incumbentia, non gauderent in totum privilegio clericali; immò nec quoad exceſſus, niſi cum habitu clericali, & ſervitio Eccleſiæ religiosè viverent, que religioſitas olim cùm non cerneretur, querelis Principum ſæcularium, inquit Io. Andr. *in d. cap.un.* editioni prædictæ Conſtitutionis occaſionem dedit juſtiſſimam Immò addunt Farinac. *de inquiſ.qu.8.num.*60. & Bonac. *d. pun.* 3. *num.* 3. ex Iulio Claro, & Fulgoſio hoc tempore nulli parti privilegii forenſis locum eſſe, quia Clerici uxorati non deferunt habitum. Quod intelligendum eſt de Clericis noſtratibus, non autem de Græcis, qui deferunt.

16 Secundò notandum contra aliquos, qui ex *cap. Ioannes, de Cler. conjug.* volunt, prædicta non ſufficere ad gaudendum privilegio fori in civilibus, ſed ulterius neceſſarium eſſe, quod non ſe immiſceant negotiis ſæcularibus, nec deferant arma ii Clerici, qui gaudere voluerint, non inveniri aliquid ſpeciale circa id diſpoſitum, neque ex *d.cap.Ioannes* aliquid ſatis evidens inferri, ut examinanti occurret. Ideò in hoc de Clericis conjugatis idem eſt ferendum judicium, ac de aliis. Quinimmò Franchus *in d.cap. un.de Cler.conjug.in* 6. Alex. *conſ.*8. *vol.* 1. & Covarr. *loc.cit.* aſſerunt, Clericis conjugatis permitendam eſſe aliquan honeſtam negotiationem ad victum quẹrendum, familiam ſuſtentandam abſque periculo amittendi privilegium clericale. Quia, licet negotiatio aliis Clericis ſit interdicta, neceſſitas tamen alendæ familiæ his eam debet permittere contra Imol. *in d. cap. Ioannes col* 2. & Bonacin *pun.*3. *nu.*4. Quod etiam declaravit Sac.Congregatio Immunitatis, quæ in dubio, an Clerici conjugati, qui ob paupertatem ſe exercent in agricultura, vel in alio opere, non tamen ſordido debeant eſſe immunes à ſolutione capitationis, quæ imponitur perſonæ abſque ulla conſideratione bonorum, reſpondit affirmativè in Oppiden. 7. Auguſti 1641. Vt proinde nec poſſint cogi ad deſiſtendum per privationem privilegiorum clericalium, quibus gadent. Quia nullibi id cavetur de Clericis conjugatis, ut per Sanch. *de matrim.lib.7.diſp.46.num.*25. An verò poſſint exercere officia Magiſtratus ſæcularis, puta Syndici, Prioris, & ſimilia d. Sac.Congregatio in una Civitatis Caſtellanæ 2. Maii 1651. reſcripſit, quod ab hujuſmodi officiis abſtineant.

17 Notandum tertiò, præfatam Conſtitutionem *cap.un. de Cler.conjug.in* 6. loqui generaliter de omnibus Clericis, idque propter Covarruviam, qui initio illius *num.* 7. videtur ſupponere, loqui tantùm de Clericis prima tonſura initiatis & Bonacinam *pun.*3.*num.*3. qui expreſsè aſſerit, loqui tantùm de Clericis in minoribus. Quod fortè dictum eſt, quia in Eccleſia latina non reperiuntur Clerici uxorati, niſi in ſola prima tonſura, vel ſolis minoribus conſtituti. Quoad Clericos autem Eccleſiæ Grẹcẹ qui cum ſuſceptione ſacrorum ordinum nonadmittunt votum integræ caſtitatis diſpoſitio generaliter locum non habet.

18 Item notandum quartò, ſufficere ad hoc, ut hi Clerici gaudeant privilegio canonis & fori in criminalibus, ſi veſtem ſuperiorem detulerint clericalem, ita ut communiter cenſeantur incedere in habitu clericali, ut de aliis Clericis alibi dicemus. Quod eſt adverſus Covarruviam & alios apud ipſum, qui ex eo quod in dicto *c.un.* habeatur in plurali, *veſtes detulerint clericales*, infert non ſufficere habere unam veſtem clericalem, ſed ait omnes debere eſſe honeſtas. At poſt Tridentinum, quod in ſingulari ait, *clericali habitu* & tonſura utantur, non eſt de his diverſè ſentiendum ac de aliis Clericis. Immò regulariter dicitur is veſtes deferre clericales, qui aliquot, licet laicis delatis, adhuc ita incedit, ut ex veſtibus communiter cenſeatur Clericus. An verò uſus poſſit inducere, ut Clericus conjugatus diverſis, licet veſtibus à cæteris Clericis utens, dicatur adhuc incedere in habitu, clericali, Covarruvias *ibidem*, rejecta, ſeu potius reducta ad bonum ſenſum opinione eorum, qui dicunt conſuetudine induci poſſe, ut Clerici conjugati licitè incendant, ſicuti veſtiunt alii homines ejuſmodi conditionis, honeſtè incedentes, ait quod cum jus canonicum non definierit clericalium veſtium qualitatem & modum potuit conſuetudo definire, quæ veſtes cenſeantur clericales in Clericis conjugatis. Illud quippè eſſe certum Clericos conjugatos non teneri uti iiſdem veſtibus, quibus alii Clerici. De qua ſententia quicquid ſit meliores putant, præſertim poſt Tridentinum, id neceſſarium eſſe in re præſenti, ita ut uſus contra non poſſit, vel quod habitus in colore & qualitate ſit valdè ſimilis aliorum Clericorum habitui, quamvis in aliquo ſit diverſus, aut quod ſit talis, ut à communi laicorum habitu diſtinguatur ita, ut ex ipſo quis Clericus poſſit agnoſci. Alioquin poterit iſte reputari Clericus aliunde, ſed non concordat cum Tridentino, neque cum ipſa Bonifaciana decretali Et adverte reaſſumentes habitum recuperare poſſe privilegium, ut de aliis Clericis aliàs dictum eſt, contra aliquos apud Dianam *p.*1. *tr.* 2. *reſol.* 79. qui id inficiantur.

Quintò notandum eſt, Clericum conjugatum, defuncta uxore unica & virgine, vel exercitio incompoſſibili relicto, habitum reaſſumendo, acquirere totum privilegium clericale, quia non dicitur amplius Clericus, conjugatus, ſed ſimpliciter Clericus, Covarr. *ubi ſupra*, inquiens hanc opinionem unanimi ferè ſententia amplecti ſcribentes ad dictum *cap.un.* Abb. *in cap. Clericus* 2. *de vit.& honeſt.Cler.* Iul.Clar. *pr.crim.lib.*5.*§.fin.q.*36. *num.* 12. teſtans de communi, Carol de Graſſ *de effect.Cler.eff.* 2.*num.*90 Bonacin. *d.pun.*3.*num.*4. poſſeque ad ulteriora promoveri, unde non debet impediri, licet conſultius ſit ab Epiſcopo, vel à Sac. Congregatione licentiam impetrare, ut ex Sac. Congregatione ſuper Epiſcop. in Baren 3 Iunii 1597. & in Hieracen. 24. Martii 1645. Modo non ſit inquiſitus in foro ſæculari, neque habeat aliud canonicum impedimentum, ex eodem Sac. Congregatione in Roſſanen. 17. Novembris 1601. puta ſi ſit obligatus ratiociniis. Et generaliter in aſſumentibus, vel reaſſumentibus habitum in fraudem ſervandum eſt *cap. Ex parte* 27. *de privil.* ut ex eadem Sac. Congregatione in Neapolitana 11. Aprilis 1620. Intellige tamen poſſe recuperare privilegium, exceptis cauſis, in quibus Iudex ſæcularis prævenit. In illis enim licere Iudici laico cauſam finire procedendo quoad bona, cenſuit Sac. Congregatio Concilii in Callien. 7. Septembris 1624. Quæ etiam in una Tudertina 16. Martii 1619. declaravit, Clericos conjugatos reaſſumpto habitu, gaudere privilegio *cap. Odoardus*, licet non ſerviant. Et ſupradicta locum habent, licet interim plura delicta, & etiam homicidia commiſerint. Nam ſi poſtea, ſervatis ſervandis, reaſſumant habitum, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviant, gaudent privilegio fori, licet de rigore juris miniſtrare non poſſint in functionibus Ordinum propter irregularitatem, ut ex eadem Sac. Congregatione Concilii in Motulen. 1. Februarii 1620. Verùm Sac. Congregatio hanc declarationem in caſibus particularibus edere non ſolet, ne inde Clerici libentius delinquendi occaſionem arripiant. Vnde Sac. Congregatio ſuper Epiſcop. in Averſana 12. Ianuarii 1598. reſpondit, Clericum, qui, dimiſſo habitu, iverat ad bellum, & poſteà illum reaſſumpſerat,

poſſe tolerari, modò bellum non fuiſſet injuſtum & per
conſequens aliquam exinde irregularitatē non incurriſſet.

20 Denique notandum, ex eo quod dicitur, Clericos,
qui cum unicis, & virginibus non contraxerunt, biga-
mos tam vera bigamia, quàm interpretativa, quæ eſt ex
matrimonio cum cognita ab alio, excidere prorſus ab
omni privilegio clericali, *cap.1.de bigam.lib.6.* Et ideò
trahentes hujuſmodi bigamos ad Tribunal laicum non
comprehendi ſub *can.*15.Bulla in Cœna Domini. In quo
nulla debet eſſe difficultas, quia textus ſunt perſpicui.
Vnde malè Carol.de Graſſis cum aliis, quos citat *d. ff.* 1.
*numer*, 994. & Bonacin. *loc. cit. numer.* 3. inquiunt, id
verum eſſe de illis uxoratis Clericis, qui ſunt in mi-
noribus, non autem de illis, qui ſunt in ſacris. Et ma-
lè etiam addit idem de Graſſis *numer.* 997. ſtante con-
ſuetudine, quod bigami gaudeant, eam ſervandam eſſe
Nam Sac. Concilium Tridentinum expreſsè ait, nemini
quoad hoc, privilegio, vel conſuetudine, etiam imme-
morabili ſuffragante. Quod idem habetur *in d. cap. un.
de bigam.* licet quoad eos, qui ſunt in ſacris, aliter cen-
ſui cum communi *in conſult. de bigamis græcis.* Et ratio
eſſe poteſt, quia ſicuti bigamus prohibetur eſſe Cleri-
cus, ita, ſi fiat, non debet privilegio Clericali donari.
Si tamen diſpenſetur ſuper bigamia, ut bigamus eſſe
poſſit & Clericus, cenſetur cum eodem diſpenſatum,
ut gaudeat privilegiis, nimirum vivente uxore inſtar
aliorum Clericorum conjugatorum, mortua verò, ſim-
pliciter, & in totum. Quia non eſt congruum ritè ma-
nere quem in ſtatu, & exercitio clericali, & omninò
ſubdi laicæ poteſtati. Quod declaravit ſæpiùs Sac. Con-
greg. Immunit. ut in Cotronen.15.Ianuarii 1658.ibi: *Biga-
mus non gaudet privilegio clericali*, & in Biſignanen. 17.
Auguſti 1655. in Hydruntina 15. Ianuarii 1658.in Derto-
nen. 17. Septembris ejuſdem anni, in Alexandrina 30.
Martii 1666. ibi: *Clerici bigami non gaudent privilegio
fori*, & in Tolentina 24.Septembris 1668. ibi: *Clerici bi-
gami non gaudent privilegio clericali, niſi exhibeant diſ-
penſationem Apoſtolicam.* Et notandum, quod cum effecto
bigamo bigamia interpretativa, etiamſi ante conſtitutus
eſſet in ordine oſtiariatus, non poteſt, mortua uxore,
diſpenſari per Epiſcopum, ut ordine ſuſcepto mini-
ſtret, ex Sac. Congregat. Concilii in Feretrana 13. Aprilis
1630.

21 Quod ſiquis contraxerit ignoranter cum corrupta per
alium, putans eſſe virginem, adhuc nullo fruitur pri-
vilegio. Quia textus requirit, quod de facto illa, cum
qua contrahit, ſit virgo, nec ob ignorantiam deſinit eſſe
bigamus, ut latè Doctores in materia bigamiæ. Dixi
per alium, quia ſi fuiſſet corrupta per ipſum ante ma-
trimonium, ex matrimonio non contrahitur bigamia
Gloſ. recepta *in d. cap. fin. de bigam.* & *cap. 2. de Cler. con-
jug.* Quapropter etſi in rigore textus *cap. un. de Cler. con-
jug. in 6.* is non contrahat cum virgine, tamen actus con-
trahendi cenſetur retrotrahi ad tempus cognitionis *arg.
cap. tanta eſt, qui fil. ſint legit.* Si tamen contrahit
cum ſecretò corrupta, non cenſetur non participa-
re privilegium, donec corruptio latet. Quia mu-
lier non aliàs nupta, nec publicè corrupta, præſumitur
virgo, donec contrarium probetur, ex eodem Gomez *d.
cap.* 10. *n.* 4.

22 Secus videtur de bigamis quoad alias ſpecies inter-
pretativæ bigamiæ, ut quia quis cognoverit uxorem
ſuam, quæ cum alio poſt matrimonium adulteraverit, vel
quia cum duabus contraxerit, conſummando tamen cum
una ſola. Hi quippè non amittunt privilegium clerica-
le *d. cap. un.* Quia, etſi in eo dicatur, *qui cum unicis con-
traxerunt* aliunde tamen conſtat, bigamiam ſola carnali
conjunctione induci, vel ex contractu cum corrupta an-
te matrimonium. Vnde ibi contractus conſummationem
includit, præſertim cum diſpoſitio ſit reſtrictiva, &
proinde, velut odioſa, rigoroſè eam interpretari de-
beamus.

23 Decreta autem, ac reſolutiones S. Congregationis Im-
munitatis quoad Clericos conjugatos ſummatim ſunt
iſta.

Clerici conjugati gaudent privilegio Canonis, & fori 24
tantùm, in Bovinen, 29. Decembris 1625. in Neocaſtren 6.
Maii 1631. in Bovinen. 13. Novembris 1629. & in Aleſſa-
nen. 9. Octobris 1628.

Non tenentur pro oneribus perſonalibus, prout eſt 25
foculare. Pro mixtis verò tenentur, niſi concurrat legi-
tima conſuetudo ad eorum favorem, in Nuſcana 24.
Aprilis 1646.

Habentes requiſita *cap. un. de Cler. conjug. in 6.* gau- 26
dent privilegio fori, in Peruſina 27. Aprilis 1638. etiam
in cauſis merè civilibus, in Oppiden 6. Martii 1635. Non
dependentibus à criminalitate, in Bovinen. 27. Februarii
1630.

Gaudent immunitatibus, ſive franchitiis, ſuppoſita 27
legitima conſuetudine, in Theatina 20. Aprilis 1649. in
Oppiden. 23. Auguſti 1633. in Hydruntina 7. Auguſti
1640.

Gaudent exemptione ab impoſitione capitationis, ſi- 28
ve ſuper capita, in Roſſanen. 23. Martii 1638. in Tropien.
26. Iunii 1629.

Sunt exempti ab officiis laicalibus Communitatis, in 29
Militen. 26. Auguſti 1636.

Eximuntur ab officio Ærariatus, in Avellien. 12. Ja- 30
nuarii 1649.

Poſſunt habentes requiſita *d. cap. un. de Cler. conjug. in* 31
6. intereſſe conſiliis publicis Communitatis, & ſimili-
bus, & non poteſt ab Ordinariis prohiberi, in Avellinen.
3. Octobris 1634.

Non debent exercere officia publica laicalia ſub pœ- 32
na privationis privilegii, in Anagnina 2. Maii 1640.

Gaudent privilegio fori & poli, & onerum perſonalium, 33
ſervata tamen legitima conſuetudine, in S. Severina 19.
Aprilis 1627.

Non eximuntur ab oneribus fiſcalibus, niſi adſit le- 34
gitima conſuetudo, in Oppiden. 6. Martii 1635.

Tenentur ad impoſitiones reales & mixtas, ceſſante 35
legitima conſuetudine contraria, in Civitat. Plebis 20.
Ianuarii 1654.

Aliquando non gaudent exemptione à collectis in Ca- 36
thacen. 6. Octobris 1626.

An Clerici conjugati, qui habent requiſita *d. c. un. de* 37
*Cler. coniug. in 6.* & S. Concilii Tridentini *ſeſſ.23. cap.6.
de reform.* & Clerici vulgò Sylvatici, qui habent requi-
ſita decreti S. Congregationis ſub 22. Iunii 1623. teneantur
in Regno Neapolitano ad ſolutionem oneris Caroleno-
rum 24. pro foculari, ſive capitatione, ſervanda eſt loco-
rum conſuetudo in favorem dictorum Clericorum in-
troducta, in Caſtren. 20. Martii 1668. Idem in S. Severina
in S. Marci, in Bovinen. in Sorana, in Sulmonen.
in Acernen. in Marſicana, ac alibi eodem die atque
anno.

Non gaudent exemptione ab oneribus impoſitis ſuper 38
bonis, in Rheginen. 20. Septembris 1667.

Qui exercent officia incompatibilia, poſſunt etiam à 39
Iudice Eccleſiaſtico cogi ad ſolvenda debita. Sac. Congreg.
Epiſcop. in Oppiden. 25. Novembris 1646.

Ii, qui præditi ſunt qualitatibus requiſitis tam *in d. cap.* 40
*un.* quam in decreto S Concilii Tridentini *cap.6. ſeſſ.23. de
ref.* non gaudent privilegio fori in civilibus, niſi ubi de
crimine etiam civiliter ageretur; ſed illi ob tales cauſas
civiles à crimine non deſcendentes non poſſunt à Iudi-
cibus laicis in carcerem coniici, aut perſonaliter diſtrin-
gi. S. Congr. Concilii 13. Februarii 1610.

Gaudent privilegio fori etiam in civilibus, præſertim 41
in Regno Neapolitano, in quo adeſt conſuetudo S. Con-
greg. Immun. 27 Februarii 1630.

Non incedentes in habitu, neque inſervientes divinis. 42
non gaudent privilegio fori, eadem S. Congreg. Epiſcop.
2. Auguſti 1619. Alia alibi.

Vxores Clericorum conjugatorum gaudent privilegiis 43
quibus gaudent mariti viventes. Sacra Congregatio

Immun.

Immun. in Baren. 22. Septembris 1648. & in Mileten. 11. Ianuarii 1633.

## CONSULTATIO XLIII.

*An pueri, ætate legitima minores, ex diſpenſatione tamen à Religione Hieroſolymitana recepti, & cum fide receptionis ad parvam auream Crucem admiſſi, quique viaticum conſuetum exolverint, ad hoc ut ætate superveniente ad vigeſimumquintum uſque annum poſſint noviatum agere, ac regularem profeſſionem emittere, eo medio tempore fori privilegio fruantur?*

1 ET negativè reſolvendum videtur. Quia non ſunt Religioſi, neque Religioni incorporati, ita ut cenſeri poſſint perſonæ Eccleſiaſticæ antequam habitum receperint, & profeſſionem emiſerint, ut in ſpecie firmat Farinac. *dec.* 449. Cabal. *reſol. crim.* 65. *& in addit. ad q. crim.* 8. *n.* 46. Guazzin. *in def. cap.* 20. *n.* 17. Giurb. *conſ. crim.* 59. *n.* 73. Bellett. *diſq. Cler. de favor. Cler.* §. 4. *n.* 19. Quorum ſententia comprobatur ex S. Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de reform. verſ. Is etiam fori privilegio.*

2 Neque Doctores pro contraria opinione adverſantur. Nam Rodriquez, Ambroſinus, Marchinus, Riccius, Peregrinus, & Diana loquuntur de iis, qui fuerunt in Religione ante legitimam ætatem recepti ad novitiatum peragendum juxta diſpoſitionem Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 15. ut patet ex eorum lectione, atque ex ſumma Angelica per eos allegata *v. Novitius num.* 21. Ac licet Peyrinis *in addit. ad Conſtit. Sixti IV. cap.* 3. *n. item* 3. loquatur etiam de eo, qui habitum nondum ſuſcepit, ibi tamen agit de foro pœnitentiali, cujus materia eſt favorabilior, ac nemini præjudicialis, & quando propediem quis ad profeſſionem & habitum recipiendus eſt, ut declarat Barthol. de Vecch. *in pr. recip. Novit. diſput.* 9. *dub.* 1. *num.* 3. Cæteri verò ut Scipio Rovitus, Novarius, & Carleval. loquuntur de Novitiis, qui licet in Religione Hieroſolymitana non ſuſcipiant habitum formalem, niſi in actu profeſſionis, ut in *Stat. ejuſdem Relig. tit. de recept. in fratr. num.* 9. nihilominus dum commorantur in Conventu, agentes probationis annum, gaudent privilegio ex diſpoſitione textus *in cap. Religioſo*, §. *fin. de ſent. excomm. in* 6.

3 Quare hæc quæſtio decidenda videtur juxta Conſtitutionem in Clementis VII. relatam à Pio IV. *Conſtitut.* 9. *incip. Circumſpecta* ſub anno 1560. *p.* 2. *Bullar.* §. 43. quod illi tantùm fratres gaudent privilegiis Religionis, qui à magno Magiſtro, ſeu de ejus licentia habitum ſuſcepiſſent, & profeſſionem emiſiſſent, ſeu de hujuſmodi habitu ſuſcipiendo, & profeſſione emittenda intra certum tempus arctati fuiſſent, cui non fuit derogatum per Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 11. & Conſtit. 6. Gregorii XIII. *incip. Circumſpecta* in omnibus, *ead. p.* 2. *Bullar.* niſi eo reſpectu, quod ante profeſſionem actualem Epiſcopis, locorum Ordinariis, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis ſubiiciuntur, quamvis ſe obligaverint ad illam emittendam, habitumque ſuſcipiendum intra certum tempus, quemadmodum declarat Carleval. *de judic. diſp.* 2. *num.* 444.

4 Quæ Conſtitutio tametſi videatur poſſe applicari ejuſmodi pueris, quia vigore diſpenſationis ceſſat defectus ætatis, & alter defectus profeſſionis & habitus ſuppletur vigore obligationis, qua ad illam emittendam intra certum tempus adſtringuntur, in quibus terminis emanavit declaratio ſacræ Congregationis ad favorem Equitis Arconati ſub die prima Aprilis 1626. ibi: *Con obligo però di fare il novitiato, e la profeſſione innanzi al vigeſimoquinto anno.* Pro negativa tamen urget, quod dicta Conſtitutio Clementis à Pio confirmata intelligitur de iis, qui validè, atque legitimè obligari poſſunt ad ſuſcipiendum habitum, & profeſſionem emittendam, non autem de illis, qui validè obligari non poſſunt *ad l.* 4. §. *condemnatum, ff. de re judic.* Lap. *alleg.* 46. *num.* 5. quales ſunt infantes nondum habentes uſum rationis explicat Sanch. *in præc. decal. lib.* 1. *c.* 4. *num.* 24. Bonac. *de cenſur. tom.* 1. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *p.* 3. *prop.* 2. *ſub init.* qualeſque ſunt impuberes, qui licet mediante tutore obligentur, eorum tamen obligatio, adveniente pubertate reſolvitur, & in ſua pristina libertate remanent, *cap. cum ſimus, de Regular.* & aliis relatis à Sanchez *loc. cit. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 9. ac Bordon. *de profeſſ. regul. c.* 3. *ſub q.* 32.

5 Diſpenſationes autem illis concedi ſolitæ ſupplent ætatis defectum ex forma Statutorum dictæ Religionis, impedientem illorum recipi probationes, ſed non ſupplent defectum conſenſus, qui tamquam juris naturalis ab ipſo quidem Summo Pontifice ſuppleri nequit, Rot. *deciſ.* 458. *num.* 11. *part.* 3. *lib.* 3. *div.* cum aliis adductis à Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſ.* 47. *num.* 60. Neque poteſt ſuppleri defectus profeſſionis, & habitus requiſiti in præfatis Conſtitutionibus Clementis VII. & Pii IV. quia illis non eſt derogatum. Accedit, quod diſpenſatio ſtrictè intelligi debet in iis, quæ præjudicium alterius præſeferunt, nimirum Principis ſæcularis, cujus juriſdictio in proprios ſubditos abrogatur, ita quod plures defectus ſanare non valeat, *cap. Paſtoralis, de privileg. cap.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. Mandoſ. *reg.* 20. *quæſt.* 7. *num.* 5. *& ſeqq.* Gonzal. *gloſ.* 13. *num.* 93. Rota apud Pegnam *deciſio.* 488. *per totam.*

6 Quapropter tutius videtur in hac re abſtinere ſaltem à declaratione generali, ne præbeatur occaſio cæteris quoque in aliis Religionibus tam clauſtralibus, quàm militaribus eadem forma receptis idem prætendendi, ac inferendi etiam ad immunitates reales, ut minus rectè infert Diana *reſol. moral. p.* 6. *tr.* 8. *miſcell. reſol.* 7. neve detur Principibus materia conquerendi.

7 At nihilominus tenendum eſt, hoſce impuberes gaudere privilegio fori. Ratio autem eſt, quia quicumq; in ſacra Religione Hieroſolymitana ſunt recepti, gaudent privilegio fori, quamvis non habeant ætatem ad peragendum Novitiatum requiſitam, ut in terminis tradunt Ambroſ. Marchin. Archiep. Calagur. *in reſol pro Ordinibus milit. art.* 6. *num.* 58. ubi quod reputantur Eccleſiaſtici, & gaudent privilegio tam Canonis, quàm fori. Idem aſſerunt Peregrin. *in Conſtit. part.* 2. *cap.* 5. *lit. R.* §. 5. Dian. *d. reſol. miſcell.* 7. Ricc. *in pr. c.* 4. *reſol.* 243. *nu.* 3. & Rovit. *conſil.* 96. *per tot. lib.* 1. Et quidem hujuſmodi impuberes pertinent ad perſonas exemptas, quia ſunt deſtinati ad habitum religioſum, & in via ad ipſum ſuſcipiendum, ut alibi diximus, ſuntque verè ac legaliter admiſſi ad Religionem, & proinde licet non ſint propriè Novitii, quatenus non ſunt intra annum probationis, ſunt tamen cooptati ad communicandum cum Religione, & verè Deo dicati.

8 Id, quod facilius affirmandum eſt, quia hic articulus ſub annum 1626. in ſacra Congregatione Immunitatis affirmativè deciſus fuit pro Equite Arconati, qui tertio anno ætatis ſuæ fuerat in hac Religione cum diſpenſatione receptus. Quæ reſolutio, licet in caſu particulari nihilominus habet vim legis univerſalis, ut per Salas *de legib. tr.* 14. *diſp.* 21. *ſect.* 2. Narb. *de appell. Vicar. ad Epiſcop. p.* 1. *num.* 189. Rodrig. *tom.* 1. *q. regul.* 11. *art.* 2.

9 Et confirmantur, quia iſti impuberes antequam recipiantur faciunt nobilitatis legitimas probationes, ſolvunt Religioni ſolitum, ceu dicunt, panagium, literaſque patentes receptionis, ac licentiam deferendi Crucem auream recipiunt, & ſic efficiuntur de corpore ipſius Religionis, ac fiunt Eccleſiaſtici, cùm tamen ad effectum gaudendi privilegio fori ſufficiat etiam ſola habitus aſſumptio, Barboſ. *in remiſ. Doctor. ad l. Luſit. lib.* 2. *tit.* 12. ubi in Hiſpaniis deciſum teſtatur, ac Ricc. *in pr. tom.* 4. *reſol.* 250. *n.* 2. *&* 3. Immò ſola animi deſtinatio, ut ſpeciatim comprobat Peyrin. *in addit. ad d. Conſt. Sixti IV. c.* 3. *ſub n.* 3.

10 Neque obſtat, quod non ſunt in Conventu & in clauſura. Nam in his terminis affirmativè reſolvit Sac. Congregatio Immunitatis in prædicta cauſa Equitis Arconati, quia ſufficit, quod deferant habitum Religionis

abſque clauſura; cùm Religio Hieroſolymitana clauſuram non requirat, ut hac ſpecie Carleval. *cit. lib.*1. *tit.*1. *diſp.*2.*quæſt.*6 *ſect.*3.*ſub num.*442. Novar. *qu.for.*42.*num.*7. *lib.*1. quibus concinit Giovagnon *conſ.*40. *num.*15. *lib.*2 Maximè cùm de licentia Superiorum extra Conventum morentur. Sunt enim paria intra monaſterium morari, & extra illud cum Superioris licentia degere, ut in puncto Carleval. *loco alleg.* & Lezan.*conſ.*9.*a num.*23.per doctrinam Abb.antiq.*in cap. Cum illorum*, *de ſent.excom.* Panorm.*in cap.Ex reſcripto,de jurejur.n.*5.Angeli, Sylveſtri, Navarri, Henriquez, Suarez, Sanchez, Vecchii, Peyrinis, & aliorum.

## CONSVLTATIO XLIV.

*Cuinam competat diſcuſſio Clericatus, quando dubium eſſe poteſt, an quis ſit Clericus, vel gaudeat privilegio fori, nec ne?*

*Item quando habitus eſſet dubius, nec videatur omnino Clericalis?*

1 AD primum ſunt qui arbitrantur ejuſmodi cognitionem pertinere ad Iudicem laicum. Fundantur in eo, quod ſit nuda cognitio facti, nec aliquid ſpiritualis cognitionis attingatur. Ita plures apud Dianam *p.*1. *tr.* 2. *reſolut.*27.*&* *p.*3.*tr.*1. *reſolut.*15. Confirmatur ex conſuetudine multis in locis. De Luſitania teſtatur Salzed. *ad pr.crim.* Diaz.*cap.*62.*num.*14. Legiturque in decreto Regio Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis, quod eſt apud Souſam *relect. Bull.Cœn.* conventum eſſe in eadem Luſitania, quod uterque Iudex ſimul cognoſcat, vel Iudex eccleſiaſticus cum Aſſeſſore laico. De Gallia teſtatur idem Salzedo *loc. cit.* & Covar.*pr.cap.*33. *num.*1. ac Germon.*de ſacr.immunit. lib.*15. *num.* 56. improbantes prædictam conſuetudinem, quam tutantur Guidopapæus & alii. De Statu Mediolani teſtatur Clarus *pr. crim. §. fin. quæſt.*36. *verſ. Regulariter*, eamque improbat Scaccia *de Iudic.p.*1.*c.*11. *num.*88. *&* 90. De Regno Neapolitano teſtatur Camillus de Curte, id approbans in *diverſ. Iur. feud.p.*2.*c.*2.*n.*116.& Carol de Graſſ. *effect.*1. *nu.*1258. De Sicilia idem de Graſſis & Intrigliolus *ſingul.*1 *nu.*3.*lib.*3. quam Neapolis & Siciliæ conſuetudinem ipſe Carolus de Graſſis non improbat, ſi fiat, ut ipſe fieri ſupponit, per modum ſummariæ informationis, ad hoc, ut cognito Clericatu Iudex laicus poſſit remittere ad eccleſiaſticum. Et placet hæc opinio ita intellecta Bonacinæ *ad Bull.Cœn.*15.*pun.*6.*n.*31. & Farinacio, qui multos congerit *de inquiſ.qu.*8.*nu.*34. At illam omninò improbant Caravita, & Martha quos alibi adduximus. Poſſetque hæc obſervantia ex eo coadjuvari, quod in ſimili videmus quoniam ſi opponitur coram Iudice ſæculari exceptio excommunicationis, ut ſi dubitetur, an quis ſit excommunicatus, hoc poteſt cognoſci à Judice ſæculari Si verò de excommunicationis validitate, ſpectat ad Iudicem eccleſiaſticum, Gemin.*in cap.Si quis* 2.*n.*15. *de except.in* 6.

2 Hac nihilominus opinione rejecta, vera ſententia eſt, quæ aſſerit, diſcuſſionem Clericatus agitandam eſſe coram Judice eccleſiaſtico. Tum quia ſic habetur *in cap. Si Iudex laicus*, *de ſent.excomm.lib.*6. Tum quia Clericatus eſt res eccleſiaſtica & ſpiritualis, ut ex eo textu deſumitur. Rebus autem ſpiritualibus non poteſt Iudex laicus ingerere, *arg.cap.tuam,de ord.cognit.& cap.per venerabilem, qui fil.ſint legit.* Et ita firmant Doctores *in d. cap.Si Iudex laicus*, Covar.*d.cap.* 3 *nu* 1. inquiens, hanc eſſe ſatis communem, & oppoſitam conſuetudinem damnat, Salzed *loc.alleg.* Carol. de Graſſ. quamplurimos citans *à num.* 1257. Bonacina cum aliis apud ipſum *d. p.*6. *num.*31. Diana plures referens locis antea relatis, Marth. *de juriſd.p.*2. *c.*31.*nu.* 16.aliique, ita declaravit ſæpius Sac. Congregatio Concilii & Immunitatis, ut alibi retulimus, quibus addimus declarationem in Papien. in qua curia ſæcularis prætenderet, poſſe capturare ac retinere Clericos delinquentes, qui incedunt etiam cum habitu & tonſura etiam tempore capturæ, donec fuerit cognitum ac reſolutum, an gaudeant privilegio fori eo ſub prætextu, quod diſpoſitio *cap. Si Iudex laicus, de ſent.excomm. in* 6. fuerit revocata per Concilium Trident. Sacra Congregatio Immunitatis, proponente Eminentiſſimo Paulucio, reſpondit, ſervandam eſſe diſpoſitionem *d. cap. Si Iudex*, quæ non eſt revocata.

3 Debet tamen vocari Iudex ſæcularis vel pars, ſive actor, *d.cap. Si Iudex*, Gemin.*in cap.un.in fin.de Cler. conjug.in* 6 Boſſ.*tit.de for,compet.num.*51.& Guazzin.*tom.* 1.*def.*1.*cap.*3.*&* 11. ac interim remanere in carceribus Iudicis laici, Rip. *in cap.decernimus, num.*4. *extr.de re judic.* Idem reſolutum à Congregatione Concilii in Maceraten. 11. Ianuarii 1620. & in Ianuen. 18. Martii 1628. & a dicta Congregatione Immunitatis in Licien. 6. Februarii 1635. & in Aleſſanen. 20. Novembris 1637. decernere, allegatum ritum cognoſcendi de Clericatu eſſe deteſtandum. Et 15. Ianuarii 1647. dixit, ritum cognoſcendi clericatum per laicos non eſſe permittendum.

4 Quoniam autem hæc ſententia, quæ magis pia eſt, ac favorabilior Eccleſiæ deſumitur ex *d. cap. Si Iudex laicus, de ſent.excom. in* 6. ideò videndum eſt, quid expreſsè in illo habeatur, quid verò arbitrio opinantium, vel exinde deducentium relinquatur. Primò igitur habetur, quod ſi Iudex laicus malefactorem captum detineat, & is ſe Clericum dicens, ad Curiam eccleſiaſticam petat remitti, vel ipſa Curia eccleſiaſtica tamquam ſuum repetat, Iudice laico inficiante, illum eſſe Clericum, ac ob id minimè remittendum, cognitio, an ſit Clericus pertinet ad Iudicem eccleſiaſticum, vocato tamen, ut jam dictum, Iudice ſæculari, vel alio, cujus intereſt. Vbi notandum, quod non præcipitur, quod is ſtatim ſit remittendus, & ante diſcuſſionem. Quod ſermo eſt tantum de Clericatu, non autem de participatione privilegii dubia. Vnde fortè non eſt neceſſaria conſequentia ab uno ad aliud. Ac item quod ſermo eſt, quando Iudex eccleſiaſticus, vel ipſe reus petit remiſſionem ad Curiam eccleſiaſticam, non autem quando non petunt. Vnde, etiamſi Iudex eccleſiaſticus dubius ſit, ſed non petat, non eſt locus prædictæ diſpoſitioni.

5 Secundò dicitur, ſed ſuboſcurè, quod ſi notorium ſit, malefactorem eſſe Clericum, & talem Clericum, qui privilegio fori gaudeat, eſſe remittendum ſtatim ad eccleſiaſticam Curiam abſque ulla cognitione. Vbi obſervandum, id duplicem ſenſum habere poſſe, nimirum vel ut omninò auferatur locus cognitioni, etiam poſt remiſſionem, cum in notoriis dubitatio ſubrepere non debeat, vel ut ei locus eſſe non poſſit ante remiſſionem, benè tamen poſt remiſſionem Priorem ſenſum magis reddit textus; ſed in praxi non apparet; quomodo poterit Iudex laicus diſtringere notorium Clericum, niſi aliquam probabilitatem prætexerit, quod poterit capere. De hac ergo cognoſcendum erit, & certiorandus Iudex laicus, quod probabilitas illa non ſubſiſtat. Ruſus obſervandum, diſpoſitionem hanc habere locum, etiamſi nec reus, neque eccleſiaſticus excipiat de Clericatu & privilegio.

6 Tertiò dicitur, quod ſi de Clericatu gaudente privilegio conſtet fama publica, vel communiter habetur pro Clerico, remiſſio facienda eſt ſtatim ante cogntionem. Vbi vides, quod non aufertur locus cognitioni, ſed poſt remiſſionem inſtituenda eſt coram Iudice eccleſiaſtico, ſaltem ut probetur fama.

7 Quartò dicitur ſimiliter, ſtatim ante cognitionem remittendum eſſe Clericum, ſi deprehenſus fuit cum habitu, & tonſura, qui ante deprehenſionem publicè non ſe gerebat pro laico. Vbi advertendum, cognitioni eſſe locum poſt remiſſionem, quæ fieri debet coram Iudice eccleſiaſtico, & onus probandi oppoſitum eſſe Iudicis laici, vel partis. Quia ratione habitus & tonſuræ præſumptio ſtat pro eccleſiaſtico, ut ibidem dicitur. Item quoad Clericos minores non beneficiatos hanc partem eſſe correctam per Tridentinum. Non enim iis ſufficit

deferre

deferre habitum & tonſuram , & non ſe gerere pro laicis,
ſed requiritur etiam ſervitium Eccleſiæ , vel ſtudium.

Denique dicitur, quod iſte deprehenſus in habitu &
8 tonſura , ſi ante deprehenſionem pro laico publicè ſe ge-
rebat , & pro tali communiter habebatur , reſtituendus
non eſt donec Clericatum probaverit, cujus probationis
onus ad ipſum deprehenſum ſpectabit. Interim tamen
quivis proceſſus Iudicis laici contra ipſum penitus con-
quieſcat. Vbi conſiderandum , quod non decernitur co-
ram quo Iudice Clericatum debeat iſte reus probare.
Vnde etſi Gloſſa *ubi v. fecerit* citans Io. Monach. & Ar-
chid. ſentiat, id fieri debere coram eccleſiaſtico , tamen
id expreſsè non eſt definitum. Immò ratione præſumptio-
nis , quæ ſtat pro Iudice laico quatenus ſcilicet captus
pro laico habebatur, videtur ad ipſum pertinere diſcuſſio.
Sed fortè ratione habitus , in quo deprehenſus eſt , perti-
nere poteſt æqualiter ad eccleſiaſticum, cum pro ipſo ſtet
hæc alia præſumptio. Quin etiam in æqualibus dignioris
habendam eſſe rationem inferius dicemus, qui in propoſi-
to eſt eccleſiaſticus.

Atque hæc ſunt , quæ ibi diſpoſita inveniuntur in hac
9 materia , contra quæ non poteſt eſſe legitimè inducta
aliqua conſuetudo. Cenſetur enim eſſe contra libertatem
eccleſiaſticam quicquid contrariatur illi diſpoſitioni, quę
præſumitur ordinata juxta exigentiam libertatis à foro
laico. Et ideò Authores, inter quos Barboſa *in collect. jur.
can. tom. 3. lib. 5. tit. 11.* fruſtra conantur fulcire dictas con-
ſuetudines , aſſumendo fieri ex ſpecialibus conceſſionibus
& privilegiis , quæ an verè extent , alii viderint.

Nec ſuffragatur , quod ſit quæſtio facti , & nihil ſpi-
10 ritualis involvat. Quia , quicquid ſit de hoc , habetur
expreſſa lex in contrarium , quod illa cognitio ad eccle-
ſiaſticum pertineat in dictis caſibus. In aliis autem non
comprehenſis in dicto *cap. Si Iudex* , prudens arbitrium
poteſt habere locum , habito tamen reſpectu legitimæ
conſuetudinis iam inductæ in favorem Eccleſiæ. Et in
remiſſione Clerici à Iudice laico ad Eccleſiaſticum ſem-
per ſervandum eſt quoad fieri poteſt , decus Clericatus,
factaque declaratione Clericatus , & ſufficienter intima-
ta Iudici laico , is non poteſt notabili tempore , quale
dicitur eſſe ultra viginti horas , demorari , ut ex aliis
obſervavit Diana *de reſol.* 27 & nos alibi.

Ad ſecundum reſpondeo , quoties diſcutiendum eſt ,
11 an habitus , cum quo incedit Clericus , ſit clericalis , vel
non, coram Iudice eccleſiaſtico id præſtandum eſſe. Tum
quia ad ipſum pertinet cognoſcere de Clericatu , ut di-
ximus. Tum quia conditio veſtis clericalis illi nota præ-
ſumitur , qui ipſam præſcribit. Præſcribit autem Iudex
eccleſiaſticus. Tum quia in dubiis inter utramque juriſ-
dictionem , eccleſiaſticam nimirum & laicam , dignioris
ſemper habenda eſt ratio ſecundùm Butr. *in cap. Cæterum
col. 3. de judic.* Felin. & Dec. *in cap. Paſtoralis in pr. de reſ-
ſcript.* Iaſ. *in l. 2. col 5. ff. ſi quis in jus voc. non iver.* Di-
gnior autem & major eſt authoritas eccleſiaſtica , *cap.
Solitæ, de major. & obed.* Ita Covar. *pr. qu. cap. 23. num. 1.*
inquiens, ita ſervari apud Hiſpanos , & eſſe communem
omnium, Carol. de Graſſ. *d. eff. 1. num. 1263* Suar. *lib. 4. con-
tra Reg. Angl. cap. 17. numer. 12.* Farinac. *de inquiſ. d. qu. 8.
num. 68.* Zerol. *impr. Epiſc. p. 1. v. Clericus, num. 3.* Bonac. *d.
p. 6. num. 31.* Menoch. *de præſumpt. lib. 6. q. 76. n. 341.* Diana
*p. 3. reſol. 10.* citans Bellettum, & Barboſam , ac referens
ſententiam Paponi *lib. 1. tit. 5. Areſt. 4.* aſſerentis, Iudicem
laicum non poſſe cognoſcere de tonſura , benè tamen de
veſtibus. Quam opinionem circa veſtes tenent Guido
Pap. *qu. 138.* Io. Gallus *qu. 38* Iul. Clar. *d. q. 36. n. 11.* Maſcard.
*de prob. concl. 91. n. 4.* Carol. Molin. in Alex. *conſ. 8. col. 3.
lib. 1.* Io. Rupellan. *lib. 4. forenſ. inſtitut. cap. 6.* aliique, & à
fortiori ii, qui putant agnoſcere de Clericatu ſpectare ad
Iudicem laicum.

Quoad eum verò, qui communiter pro laico habetur,
ſi ſit in minoribus & ſine beneficio , non eſt neceſſaria
probatio veſtium, quod ſint clericales. Quia defectu cæ-
terarum conditionum , quas Tridentinum præſcribit ,
certum eſt , ipſum non gaudere privilegio fori. In cæ-
teris autem non habet locum diſcuſſio, ac proinde ſi op-
ponat de clericatu , non videtur audiendus. Quod ſi cæ-
tera obſervet, vel cenſeatur communiter obſervare, habet
locum diſcuſſio, & ad Iudicem eccleſiaſticum pertinet.

At quoad Clericum beneficiatum, vel in ſacris conſti- 12
tutum ſemper locus eſt diſcuſſioni. Quia ex beneficio,
vel ſacro Ordine ſemper quis præſumitur gaudere privi-
legio, ac proinde habere omnia requiſita ad ſtatum cle-
ricalem, donec contrarium probetur.

Illud moneo, quod cùm Clericus aliquando non gau- 13
deat privilegio fori, ita tamen , ut non exciderit à privi-
legio canonis , Iudex laicus non poteſt eum perſonaliter,
diſtringere ſine alia cautela abſque periculo excommuni-
cationis Bullæ Cœnæ, vel ſaltem illius , quæ eſt *in cap.
Si quis ſuadente 17. qu. 4.* Durante enim privilegio cano-
nis, de quo *caput 6. ſeſſ. 23. de ref.* non loquitur, commu-
nis ſententia eſt , quod perſonalis violentia Clerico nul-
latenus inferri valeat ſine excommunicatione *d. c. Si
quis ſuadente* , niſi ſupponatur conſenſus , aut licentia
Iudicis eccleſiaſtici, qui conſentiendi facultatem habeat,
& degradatio, dum pœna capitalis imponenda eſt. Pri-
vilegium autem Canonis regulariter participatur per
ſuſceptionem Ordinis , vel primæ tonſuræ, aut ingreſ-
ſum in Religionem.

Nec obſtant conſuetudines contrariæ. Quia ſunt abu- 14
ſus deteſtandi , ut eos ſemper deteſtata eſt Sac. Congrega-
tio Immunitatis. Hi enim pernicioſi & ſchiſmatici abu-
ſus vel ex nimia conniventia , vel ex neceſſaria aut for-
taſſis aliquandiù rationabili tolerantia Pontificum ſen-
ſim ſerpentes eò tandem perveniunt , ut abuſus , & uſus
in ſtabilem abeant conſuetudinem , & conſuetudo de-
mum vim legis obtendat , minimuſque in principio er-
ror temporis beneficio fiat maximus, habeatque demum
ſuos patronos , qui doceant licere ac deberi, quæ neque
licent, neque debentur.

## CONSVLTATIO XLV.

*Graviter dubitatur , an Epiſcopi , aliive Prælati Pon-
tifice ſummo inferiores, poſſint delegare cauſam aliquam
Clerici Iudici laico, ſeu permittere Clerico, ut adeat Iu-
dicem ſæcularem ?*

RAtionem dubitandi ingerunt aliqui textus juris Ca- 1
nonici. Et quidem licet quoad cauſam criminalem,
vel ſpiritualem videatur recepta pars negans quia omni-
nò incongruum eſt per laicos diſtringi Clericum perſo-
naliter, vel de ſpiritualibus judicium ferri, nihilominus
quoad cauſam temporalem, & civilem affirmativam par-
tem tenet Gloſſ. *in cap. 2. v. non præſumat , de judic.* Syl-
veſt. *in ſum. n. Iudex*, §. 4. Tolet. *lib. 1. inſtr. Sacerd. cap.
28. n. 10.* Alter. *de cenſur. tom. 1. lib. 3. diſput. 16. cap. 1. col. 12.*
Duard. *lib. 2. Com. bull. Cœn. ad can. 15. qu. 11. nu. 93.* & Dia-
na *part. 3. tr. 2. reſol. 112.* inquiens , ita in praxi ſervari , &
obſervandum eſſe. Quamvis diſtinguat tantùm inter
cauſas temporales, & ſpirituales , non autem inter civi-
les & criminales.

Suadetur autem hæc ſententia argumento à contrario
ſenſu ex *cap. 2. de judic.* ubi præcipitur Epiſcopis, ne ne-
gocia eccleſiaſtica laicorum judicio ſupponant , quaſi
cauſas non eccleſiaſticas poſſint ſupponere. Et ex *cap. 1.
de for. compet.* ubi dicitur , nullus Iudicum ſæcularium
neque presbyterum , neque diaconum , aut Clericum
ullum , aut minorem Eccleſiæ ſine permiſſu Pontificis
per ſe diſtringere , aut condemnare præſumat. Et ex *cap.
Clericum nullus 11. q. 1.* ubi habetur Clericum nullus apud
ſæcularem Iudicem, Epiſcopo non permittente , pulſare
præſumat. Permittente ergo Epiſcopo, poterit. Pro quo
etiam facit *cap. Vt famæ , de ſent. excomm.* Quod confir-
mari poteſt , quia qui habet juriſdictionem ordinariam,
immò etiam delegatam , eam delegare, vel ſubdelegare
poteſt

poteſt in capacem. Sed Epiſcopi habent juriſdictionem ordinariam in cauſis Clericorum, ergo illam delegare poſſunt in ipſos laicos, qui hoc modo capaces ſunt juriſdictionis in Clericos, cum jam non ſit eorum propria, ſed eccleſiaſtica. Alioquin enim nec Summus Pontifex poteſt eam deregare.

3 Contraria tamen ſententia verior eſt. Eam ſequuntur Gloſ. in *cap. ſignificaſti*, *v. Clerici*, *de for. comp.* Bald. *in l. 1. circa fin. C. de indict.* Bartol. *in l. ſi quis pro eo*, *ff. de fidejuſſ.* Aufrer. *in Clem. 1 numer. 86. de offic. Ord.* Carol. de Graſſ. *de effect. Cler. eff. 1. num. 652.* qui alios octo Auctores citat, Graff. *lib. 4. deciſ. aur. cap. 18. numer. 127.* addens, idem eſſe de compromiſſo, quicquid alii velint, poſſe fieri in laicum, ſaltem dum accedit licentia Epiſcopi, Souſ. *relect. Bull. Cœn. diſput. 81. numer. 6.* & Anguian. *de legib. tom. 1. lib. 2. controv. 25.* Habeturque expreſsè *in d. cap. ſignificaſti*, *de for. compet.* ubi dicitur, Clericum non poſſe conſentire in Iudicem non ſuum, etiam accedente ſui Epiſcopi voluntate, niſi ſit perſona eccleſiaſtica. Optima hujus rei ratio inſinuatur *in cap. ſi diligenti eod. tit.* junctis iis, quæ ibi Gloſſa & Doctores adducunt. Cùm enim privilegium fori ſit commune toti Ordini clericali, & inductum in odium laicorum, ſicuti non eſt in poteſtate Clerici ei renunciare, ita non debet eſſe in poteſtate ſingulorum Epiſcoporum eidem praejudicare per delegationem, vel conſenſum in Iudicem laicum. Vnde ſicuti non poteſt Epiſcopus in cauſis ſuis conſentire in Iudicem laicum juxta *d. cap. ſi diligenti*, ita etiam non poteſt conſentire in cauſis ſuorum Clericorum. Quod enim juris quis pro ſe non habet, nec pro aliis congruit habere. Eademque de cauſa non poteſt facere conſentiendo in perſonalem læſionem Clerici, quin ſit locus privilegio canonis, & excommunicationi, *arg. cap. Contingit 1.* & *cap. Vniverſitatis*, *de ſent. excom.*

4 Non obſtant, quæ ex adverſo deduximus, Argumentum enim à contrario ſenſu eſt validum, quando contrarium non reperitur expreſsè damnatum. Vnde ex eo, quod interdicitur Epiſcopis committere cauſas ſpirituales laicis poſſemus inferre, quod valeret committere civiles ſeu temporales, niſi eſſet inhibitum *in d. cap. Significaſti*, *de for. comp.* Sicut etiam in eodem *cap.* habetur quali Iudici non ſuo permittere poſſit Epiſcopus Clericum judicandum, nimirum perſonæ eccleſiaſticæ. Quod jus, quia poſterius eſt, ideò attendendum. Quia verò dicitur perſona ecleſiaſtica, non autem Iudex eccleſiaſticus, autumare poterit aliquis quod in cauſis Clericorum delegari poſſit perſona eccleſiaſtica, quæ Iudicem laicum, ut miniſtrum Principis laici ageret. Quod ſanè reiiciendum non puto. Quia dum agit quatenus delegatus non agit, ut Iudex laicus, ſive ut pollens auctoritate laica, ſed utens delegata, quæ eccleſiaſtica eſt, cujus eſt hic Iudex congruè capax, cùm ſit perſona eccleſiaſtica. In *cap. Vt famæ de ſent. excom.* habetur quidem à laicis citra excommunicationem trahi poſſe Clericos ſi oporteat etiam violenter, ad judicium ſuum de mandato Prælatorum. Sed cum ſit ſermo de Clerico, qui non poterat per Epiſcopum corrigi ac puniri, nihil aliud deducitur, niſi quod laicus ſe poteſt ingerere, ut invocatus in auxilium ab eccleſiaſtico. Quæ non eſt delegatio juris, ſed executionis. Alioquin enim etiam in criminalibus poſſet Epiſcopus delegare laicos, quod tamen Adverſarii non concedunt.

5 Ad confirmationem negatur, juriſdictionem poſſe delegari, quando delegatio reſultat in præjudicium tertii: In præſenti autem delegatio facta laico reſultat in præjudicium immunitatis Clericorum à foro ſæculari; & ideò non debuit Epiſcopis facilè committi. Seu potius dicas, delegationem aliàs fuiſſe licitam; niſi eſſet prohibita per dictum *cap. Significaſti*, *de for. comp.*

6 An autem Clericus poſſit conſentire in Iudicem laicum, tanquam in arbitrum, communior ſententia affirmat, dummodo hæc concurrant. Quod cauſa ſit civilis, & temporalis, non autem criminalis, aut ſpiritualis. Quod Iudex eccleſiaſticus non obnitatur, & quod arbitrium nullam coactionem inducat, id eſt non poſſit cogi per arbitrum laicum Clericus ſtare ſententiæ.

Dixi Prælatos Pontifice ſummo inferiores; nam quod
ipſe Pontifex & civiles, & criminales & ſpirituales cau- 7
ſas poſſit laico delegare, cònſtat ex *c. Mennam. 2. q. 5. c. in Synodo d. 63.* & *c. Illud 10. quæſt. 3.* Henric. *in cap. Et ſi Clerici*, *de Iudic.* allegans *c. ad hæc 22. d.* ibique notat Hoſt. ac tradit Io. Andr. & Sicul. *in cap. 2. de judic.* Archid. *in cap. ab arbitris*, *de offic. deleg in 6* Bald. *in l. reſcripta*, *C. de precib. Imper. offer.* Io Fab. *in auth. Statuimus*, *C. de Epiſc. & Cler.* per Io. Andr. *in cap. un. de Cler. conjug. in 6.* Aufrer. *de poteſt. ſæcul. in Eccleſ. reg. 1. fall 12.* & *in Clem. 1. de offic. Ordin.* per jura utrobique congeſta, cùm hujuſmodi delegationis incapax laicus non ſit, ut docent Gloſ. *in c. valdè d. 49.* & patet ex juribus adductis à Suarez *lib. 4. de Immun. ad Reg. Angl. cap. 2. nu. 12.* Grat. *conſil. 61. num. 12.* & *23.* Oſaſch *deciſ. 70. num. 16.* Theſaur. *deciſ. 31. num. 12.* Carol de Graſſ *eff. 5. num. 372.* & *ſeqq.* Menoch. *de retin. poſſ. remed. 3. num. 35.* Pacian. *conſ. 116.* & *117.* Seſſe *in ep. ad Regul. num. 46.* & *200.* & *de inhib. cap. 8 §. 3. n. 152.* Navar. *in man. cap. 27. numer. 6.* Dian. *part. 1. tr. 2. reſol. 112.* Quia cùm non agatur de articulis fidei, poteſt Summus Pontifex reliquo juri divino diſpenſare, ut per Gloſ. Archid. Innoc. & Doctores communiter, quos ſequitur Matth. *de juriſd. cent. 1. art. 4. caſ. 62. nu. 15.* & Cutell. *in C. polit. not. 3. 26. ad leg. Martini nu. 4* & *de immun. lib. 2. qu. 4. nu. 21.* & non is, qui juriſdictionem exercet, ſed qui præcipit exercendam jus dicere videtur, *d. cap. Vt famæ 35. de ſent. excommun. cap. audientiam*, *de præſcript.* & *l. Obvenire*, *ff. de verb. ſignif.* facitque textus *in cap. Adverſus*, *de immun. eccleſ.* Ita circa Tribunal, ut ajunt de la fuerza, affirmat Peſantius *de immunit. diſp. 3.* licet Ceval. *de cognit. per viam viol. in proœm. gloſ. 6.* neget id ex privilegio haberi, ſed ex alio capite juſtificari. Circa monarchiam Siciliæ Guevara *de orig. & uſ. monarch.* Circa privilegia Regis Francorum pro conferendis beneficiis Regni ſui Graſſal. *Regal. Franc. lib. 2. jur. 1.* & *2.* Circa privilegium Reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus caſibus contra Clericos Zanard. *tom. 3. cap. 50.* Quæ an revera exiſtant, & non revocentur quotannis in Bulla Cœnæ non eſt noſtrum, neque hujus loci diſſerere.

## CONSVLTATIO XLVI.

*An magiſtratuum ſæcularium decreta, ut nullus ſcholaris ad Doctoratum admittatur, niſi fidem ab Actuariis maleficiorum reportaverit quod de quibuſdam delictis non fuerit inquiſitus, ac niſi coram Fiſco ſæculari probaverit, ſe per quinquennium in Vniverſitate ſtudiorum illis operam dediſſe, ab eoque declaratione reportata, quod requiſita in eo concurrant, tendant in præjudicium Epiſcoporum qui in aliquibus Vniverſitatibus Studiorum Cancellarii auctoritate Apoſtolica, & Imperiali deputati ſunt, ac etiam libertatis Clericorum, quos ſub dictis decretis comprehendi iidem Magiſtratus prætendunt?*

AFfirmativè. Quoniam cùm ad præfatos Epiſcopos, 1
uti Cancellarios, inſignium doctoratus collatio ſpectet, utique omnia præparatoria ad dictum gradum conferendum neceſſaria, cenſentur eiſdem conceſſa. Ita Abb. *in qu. num. 47.* ubi inquit, quod uno conceſſo cenſeantur conceſſa ea omnia, ſine quibus non poteſt exerceri, *cap. præterea*, *de offic. deleg. l. 2. ff. de juriſd. omn. Iud.* cum aliis vulgò. De jure autem nemo ad doctoratum promoveri poteſt, niſi per quinquennium ſtuduerit, ut habetur in proœmio Digeſtorum, & tradit Abb. *in cap. Super ſpecula, de magiſtr.* ubi Add. *lit. D.* & Cancellarii munus eſt doctorandi ex ipſo Abb. *in Clem. 2. numer. 7. eod. tit.* Igitur omnia requiſita probanda ad gradum Doctoratus obtinendum debet comprobari

coram

coram ipſis quemadmodum etiam innuit Bartol. *in l. Magiſtros, C. de profeſ. & med. lib.* 10.

2 Neque obſtat, quod cùm reſpectu ſcientiæ juris civilis, & artium agatur de privilegio conceſſo ab Imperatore, poſſint Magiſtratus ſæculares manus apponere. Nam primò reſpondetur, Summum Pontificem, non ſolum facultatem doctorandi in jure Canonico concedere poſſe, ſed etiam in jure Civili, ut tradit Cagnol. *in d. proœm. ff. nu.* 247. & 250. ubi reſpondens Fabro, & Aretino contrarium aſſerentibus *in §. reſponſa prudentum, Inſtit. tit. de jur. natur. gent. & civil.* inquit, quod ſine auctoritate Apoſtolica quis doctorali nequit; & ideò præſtat auctoritatem juri civili, vel quia Sedes Apoſtolica etiam Imperatori præeſt, vel quia ſcientia, & leges ſunt donum Dei, ac proinde illas auctorizat Eccleſia, atque idcircò communiter Epiſcopi ſunt Cancellarii.

3 Deinde eſto, quod contrarium aſſumptum poſſit dici aliquo modo ſubſiſtere, adhuc non officeret. Nam, ſi Imperator privilegium à ſe conceſſum Eccleſiæ, non poteſt amplius revocare, quia conceſſum non ſubdito, propter quod tranſivit in contractum, ut per Abb. *conſ.* 63. *nu.* 1. *part.* 1. & poſt conceſſionem aſſumpſit naturam rei Eccleſiæ, ut firmat idem Abb. *conſ.* 9. *num.* 2. ejuſdem 1. *p.* multò minus poterint manum apponere Magiſtratus ipſo Imperatores inferiores, *cap. Cum inferior, de major. & obed.* cum ſimilibus.

4 Minus obſtat, quod hujuſmodi decreta non prohibeant abſolutè doctoratum Clericis, ad illum promoveri volentibus, ſed ſolum addant modum. Quia nihilominus non valent, tamquam in præjudicium libertatis eccleſiaſticæ, Abb. *conſ.* 85. *d. p.* 1.

5 Sicuti etiam non refragatur, quod Clerici ligentur ſtatutis laicorum bonum commune reſpicientibus. Quia numquam ex vi ſtatuti laicalis, etiam pro bono publico, ac publica utilitate editi, Clerici ligantur, Maſcard. *concluſ.* 1. *n.* 203. Idque defectu poteſtatis, ut per Surd. *conſ.* 301. *nu.* 15. & *ſeqq.* Bellet. *diſq. Cler. p.* 1. *tit. de exempt. Cler. à ſtat. laic. §.* 2. *n.* 34. & nos *tom.* 1. ac alibi.

Pariter non obſtat, quod ubi agitur de juriſdictione voluntaria Clerici poſſunt ſe Iudici laico ſubmittere. Nam id negatur à Decio *conſ.* 150. *per tot.* ac ita, ut nedum id nequeant facere ordinaria ſubjectione, qua ſcilicet inſtar laicorum, & ſubditorum judicentur poteſtate laica, ut ex *cap. ſi diligenti, de for. compet.* deducitur, quia laica poteſtas eſt incompetens, nec acquirit jus ex ſola renunciatione privilegii, eo quod talis renunciatio legitimè fieri non poteſt, ſiquidem eſt proprio Iudici, ac toti Eccleſiæ præjudicialis; in præjudicium enim alterius non renunciatur, Gloſ. recepta *in d. cap. ſi diligenti*, ſed neque ad modum delegationis, aut prorogationis. Nam delegatio debet fieri à Superiore, non ab eo, qui ſe judicandum ſubiicit, & prorogatio debet eſſe in majorem. Laici autem reſpectu Clericorum, & in ordine ad illos ſunt privati, & incapaces juriſdictionis, *arg. l. ſed ſi manente, ff. precar.* Iaſ. *in l. eſt receptum, ff. de juriſd. omn. Iud.* præterquam quod hæc prorogatio includit privilegii renunciationem, quam diximus invalidam. Similiter neque per modum compromiſſi, tamquam in arbitrum, ut firmavit Gloſ. & Innoc. *in cap. dilecti, de arbitr.* Neque tandem de expreſſo conſenſu Epiſcopi, Gloſ. *in cap. ſignificaſti, de for. comp.* Bald. *in l.* 1. *circa fin. C. de indict. vid. toll.* Bartol. *in l. ſi quis pro eo ff. de fidejuſſ.* & Matth. poſt plures *de juriſd. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 40. Vnde circa hanc rem nihil eſt licitum quàm quod Pontificum legibus permittitur, cum ſit ex gravioribus, & involvat jus divinum. Prætereà non poteſt in hoc caſu dici, quod agatur de voluntaria juriſdictione, cum adſit initium neceſſarium, immò judicium formale contentioſum, nempè perſona Iudicis, qui eſt Magiſtratus, actoris, qui eſt ipſe promovendus, & rei, qui eſt Fiſcus ſæcularis, quo citato omnia fieri debent, ac etiam adſit declaratio ſuper requiſitis hujuſmodi à Magiſtratu prætenſis.

## CONSVLTATIO XLVII.

*Cùm ſæpè contingat, quod Curia Epeſcopalis procedat contra laicos pro cauſis ſpectantibus ad forum eccleſiaſticum, utaturque in ipſis etiam teſtimonio perſonarum ſæcularium, forus ſæcularis ad auferendum eccleſiaſtico in hiſce cauſis juriſdictionem, vel ſaltem earum exercitium operatur, quod inquiſitus coram Iudice eccleſiaſtico de falſitate teſtium apud Curiam ſæcularem poſtulet, contra quos ideò rigidè proceditur, ut ab eorum exemplo nemo ferè inveniatur, qui ſe velit in Curia Epiſcopali examini ſubiicere. Quod ſi etiam cenſuris, aliiſvè canonicis remediis hujuſmodi teſtes ad deponendum compellantur, aut illas tolerant, aut potius ad falsò jurandum inducuntur. Ideò quæritur,*

*An hujuſmodi falſi teſtes puniri poſſint à Iudice eccleſiaſtico privativè quoad Iudicem ſæcularem?* 1

*Item quæritur, an poſtquam Iudices ſæculares remiſerint ad Iudicem eccleſiaſticum cauſas, & proceſſus, in quibus prætendunt extare judicia contra Clericos, poſſint proſequi in capiendis novis judiciis contra ipſos Clericos?* 2

*Quæritur etiam, an poteſtas laica habeat juriſdictionem in ſodalitates laicorum, auctoritate Apoſtolica, vel Ordinaria erectas, & habentes Eccleſias formales cum omnibus requiſitis?* 3

AD 1. videtur affirmativè reſpondendum. Quia cùm teſtis laicus falſum deponens coram Iudice eccleſiaſtico, illius offendat juriſdictionem, ab ipſo puniri debet per textum *in l. nullum, C. de teſtib.* & ideò non poteſt Iudex laicus contra eum procedere, ſed ſi pars, quæ prætendit teſtem ad ſui præjudicium falſum depoſuiſſe, illum puniri velit, debet coram Iudice eccleſiaſtico agere, in cujus Tribunali extat proceſſus & depoſitio. Eſtque incongruum, quod unius juriſdictio offendatur, & alter puniat. 1

At dicendum eſt; punitionem hujuſmodi ſpectare cumulativè ad Iudicem eccleſiaſticum, ac ita, ut inter ipſum & Iudicem laicum detur præventio Bald. *in d. l. nullum* Afflict. *deciſ.* 219. ubi teſtatur ita deciſum fuiſſe in Sacro Concilio, Boſſ. *de for. comp. cum.* 159. Covar. *in pr. quæſtio. capit.* 18. *numero* 8. Clar. *in pr. cr. §. fin. quæſt.* 34. Salzed. ad Diaz. *in pr. crimin. can. capit.* 94. §. *ſi autem*, Capella, Tholoſ. *deciſ.* 379. Franch. *deciſ.* 149. aliique, ac declaravit Sac. Congregatio Immunitatis in Papienſi, proponente Eminentiſſimo Paulucio, ipſius olim Sac. Congregationis Secretario, & in Rhegien. 18 Martii 1631. ubi etiam declaratum, poſſe Epiſcopum procedere contra laicum, qui ſubornare attentavit teſtes in cauſa pendente coram Iudice eccleſiaſtico. Ratio autem præcipua illa eſt quia hic teſtis eſt periurus. Periurium autem eſt mixti fori, Doctores communiter *in cap. teſtimonium, de teſtib.* Abb. *in cap. cum. ſit generale, n.* 21. *de for. comp.* & Covar. *in cap. quamvis pactum p.* 1. §. 7. *n.* 2. *de pact. in* 6. 2

Dictumque in eodem Sac. Concilio apud Afflictum loco allegato, quod ſi Curia eccleſiaſtica velit inquirere ſuper falſitate teſtium, poſſit, etiamſi in Curia ſæculari accuſatio falſitatis fuerit prius inchoata, quàm incepta per Iudicem eccleſiaſticum inquiſitio, & in iis, quæ concernunt juriſdictionem per præventionem, attendatur præventio per citationem, ut *in l. ſi quis poſteà, ff. de judic.* & notat Bald. *in l. pluribus, ff. de leg.* 1. Ea quidem ratione, quia per pœnam falſi imponendam à Iudice laico, non tollitur pœna imponenda per Iudicem eccleſiaſticum juxtà ea quæ tradit Cyn. *in l.* 2. *C. de ſport.* & Bald. *in l. executorem C. de exec. rei judic.* & Bartol. *in l. ſepulchri ff. de ſepul. viol.* idem Bald. *in l. cunctos populos verſ. modo circa hoc, C. de Sum. Trin.* Io. Andr. *in cap. fœlicis, de pœn. in* 6. Abb. Sicul. *in cap. de cauſis colum. ult. de off. deleg.* cum aliis. Quod ſi Iudex laicus abſolveret, & eccleſiaſticus condemnaret teſtes de falſitate, quia meliores teſtes haberet, qui deponerent de falſitate eorum teſtium, ejus ſententia valeret, ex Bald. *in cap. fin. de re jud.* jun- 3

ctis

ctis adnotatis à Ioan. Andr. *in d. cap. fælicis* cum
concordantibus.

Non obſtat, quod ſicuti Clericus deponens falſum te-
4 ſtificando coram Iudice ſæculari, non poteſt ab iſto, ne
in bonis quidem puniri, ita non poterit laicus falſum de-
ponens puniri à Iudice eccleſiaſtico. Nam, rejectis iis,
qui volunt, Clericum ſine cenſura trahi poſſe ad Tribu-
nal laicum, ſi coram eodem Tribunali deliquiſſet per
falſitatem, puta quia teſtificando falſum depoſuiſſet, vel
aliquem falſò calumniatus eſſet, aut falſum inſtrumen-
tum exhibuiſſet, ut Gloſſa, Baldus, Cynus, & alii Civi-
liſtæ *in d.l.nullum, C.de teſtib.* quos ad numerum ſex ſu-
pra viginti refert Carol. de Graſſ. *de effect.Cler.eff.*1.*num.*
1147. & alios citat Diana locis infra citandis, ac de
praxi multarum Provinciarum teſtatur Cenedo *in collect.*
*jur.can.p.*1.*collect.*37.*num.*10. qui fundantur *in d. c.nullum,*
in qua decernitur teſtem, qui aures Iudicis offendit, poſſe
ab eo Iudice puniri, non obſtante quacumque exemptio-
ne, facitque ad id *d.l.*2.*C.de ſportul. l.ſi quis fortè, §.ſi*
*quos, ff. de pœn.* cùm vera ſententia ſit negativa, quam
ſequuntur Covar. *pr.quæſt.d.c.*18.*num.*8. Afflict. *deiſ.* 230.
*col.* 1. Iul. Clar. cum aliis *in pr. cr. lib.*5. *§.fin.quæſt.*34.
*num.*14. Marth. *de juriſd.part.*4.*caſ.*128.*nu.*9. cum trigin-
ta uno Auctoribus Farinac. *de inquiſ.qu.*8.*num.*26. Ceval.
*tr.de cognit.per viam viol. part.*2. *qu.*74. *num.*7. Cabedo
*deciſ.*87. Gutier. *pr.qu.lib.*1.*quæſt.*24. Layman. *lib.*4. *tr,* 9.
*cap.*4.*num.*9. Ricc. *part.*4. *deciſ.*87. Vivius *com. opin. v.*
*Clericus num.*103. Carol. de Graſſ. *loc.cit. num.*1148. cum
quinquaginta tribus Doctoribus, quos refert Diana cum
aliis *part.*1. *tr.*1.*reſol.*109. ubi etiam refert, ſed reprobat,
aliquos opinantes pœna pecuniaria, vel etiam captura
cum remiſſione ad Judicem eccleſiaſticum puniri Iudi-
cem laicum poſſe Clericos delinquentes contra mini-
ſtros juſtitiæ ſæcularis, vel coram ipſo Iudice, aut non
exhibentes ei ſigna reverentiæ, pro qua ſententia
alios etiam refert *part.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 60. tenetque
Bonac. *ad Bull.cœn. cap.*15. *pun.*5.*num.*15. & Duard. *qu.*11.
*num.*34. Quia jure canonico id non reperitur permiſ-
ſum, immò oppoſitum colligitur *ex cap. cum non ab ho-*
*mine, de judic.* Neque *l.Nullum, C. de teſtib.* aut aliæ,
cùm ſint civiles, extendendæ ſunt ad præjudicium Cleri-
corum. Præterquam quod eis opponitur textus in *auth.*
*ſtatuimus, C.de Epiſc. & Cler.* ibi: *Statuimus, ut nullus*
*eccleſiaſticam perſonam in civili, vel criminali trahere*
*ad iudicium ſæculare præſumat, & l.Divus Pius, ff. de*
*falſ.* ex qua infertur crimina incidentia in judicio, non
poſſe puniri ab eo, qui juriſdictionem aliquam non ha-
bet ſuper eis. Concinit *cap. ſi diligenti, de for. comp.* &
proſequuntur Butr. & Io. Andr. *in cap. at ſi Clerici, de jud.*
& communiter Canoniſtæ in *cap. dilectus filius, de pœn.*
& in *cap.*2. *de crim.falſ.* quos ſequutus eſt Bartol. *in d.*
*l.divus Pius,* & confirmat *text. in auth. de teſtibus, §.*
*& licet,* ubi ille Iudex poteſt punire falſum teſtem, qui
ſuper eum authoritatem habet. Quod etiam tenent Ar-
chid. *in* 5. *quæſt.* 6. *c. presbyteri,* & Anchar. *in l.quoties,*
*C. de judic.* latèque Martha *ubi ſupra.* Et licet aliqui-
bus viſum, has opiniones conciliari poſſe, ut prior pro-
cedat quando traheretur Clericus pro falſo puniendus
civiliter tantùm, & in bonis, non autem perſonaliter,
cujus conciliationis auctor eſt Jaſon. *in l.*1. *§.*1. *col.*3. *ff.*
*de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* & habet ſectatores
Aufrer. *in tr. de poteſt. laic.ſup. eccleſiaſt. reg.*1. *numer.*6.
ac alios apud Dian. *d. reſol.* 109. Id tamen negant de
Graſſis, Diana, & alii locis allegatis, cùm æquè ſit
contra exemptionem eccleſiaſticam, quia pœna, licet
ex re exigatur, in perſonam tamen principaliter induci-
tur, unde neque à perſona, neque à bonis Clerici à non
ſuo Iudice exigi poteſt, facitque *l.ſi qua pœna, ff. de*
*verb. ſignif. & lib.*3. *C. de vectig.* ubi pœna fraudati ve-
ctigalis à milite, tamquam exempto, peti nequit, licet
is vectigal reficere teneatur, & ita ut neque illud, quod
apud omnes receptum eſſe fatetur Covarruvias, quod
ſcilicet ſaltem poſſit Iudex laicus cognoſcere de falſitate,
ut ſciat quæ fides Clerico ſit adhibenda, & quid in
cauſa operetur ejus dictum, quid verò non ut poſſit
excipere de atteſtatione, ſcriptura, & ſimilibus, ad-
mittant Hoſtienſis, & Io. Andreas apud Dian. ea *reſol.*109. 5
*ad fin.*

Ratio diſparitatis eſt, quia Iudex eccleſiaſticus habet
juriſdictionem in laicum ratione perjurii, ſicque poteſt
contra eum procedere; ſed Iudex ſæcularis non habet
juriſdictionem in Clericum, qui coram eo depoſuit fal-
ſum, ſicque non poteſt contra eum, ne in bonis quidem, 6
procedere, ut per Ricc. *d.part.*4.*dec.* 81. *per tot.*

Ad ſecundum licet *cap. ſæculares, de for.comp. in* 6.
videatur ſtatuere, ut Iudices ſæculares ab eccleſiaſtico
compellantur ad deſiſtendum per cenſuras eccleſiaſticas,
ſtante tamen remiſſione jam facta, videtur, Iudicem lai-
cum nullo modo poſſe ſe excuſare, unde dicendum pu-
to, illum ipſo facto excommunicationem incurrere ad
tradita per Graſſ. *effect.*1.*n.*216.*&ſeq.* & per Guid. Pap. *q.*77.

Ad tertium. Si præcepta Confratribus tranſmiſſa reſ- 7
piciant ſpiritualia, quorum omninò eſt incapax Iudex
laicus, etiam quoad Confraternitates ſæcularium ex
Bart. *in l. fin. num.*5. *ff. de colleg.illic.* illa nullatenus ſu-
ſtineri poſſunt. Sicut enim ſpiritualia dare, ita etiam
circa ea prohibitionem facere nequit, ut in ſimili tradit
Suarez *de relig. lib.*2. *cap.* 12. *tit. de diebus feſt.* maximè
ſi Confraternitates fuerint erectæ auctoritate Apoſtoli-
ca, vel Ordinaria, in earumque Oratoriis adſint cam-
panile, campanæ, ac miſſæ celebrentur, ex quibus
ſubeſſe Epiſcopo, tradit Verall. *dec.* 328. *num.*3. *part.* 1.
& loca religioſa & pia dici, ac in omnibus ad ipſas Con-
fraternitates ſpectantibus tum circa formam electionis,
regiminis, & aliorum ejuſdem Epiſcopi poteſtati ſubii-
ci, aſſerit Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.*75.*nu.*14.
*&* 26. Neque eſt inconveniens, ut inquit Navar. *conſ.*3.
*de for. compet.* quod earum confratres diverſis reſpecti-
bus diverſo jure cenſeantur, & ſic, ut quoad temporalia
eorum bona, & perſonas ſubſint Iudici laico, & ab eo
judicentur, quod autem ad actus, quos faciunt in locis
ſacris, & alios ceu proceſſionum ac ſimilium ad religio-
ſum, & eccleſiaſticum ordinem pertinentes, judicentur
ab Epiſcopo, & pro rebus ipſarum Confraternitatum
coram eo conveniantur, ut firmat Garzia *de benef. part.*
5. *cap.*1.*num.*606. Vnde videtur, ipſos Iudices ſæculares,
qui hujuſmodi præcepta faciunt, tamquam uſurpatores
juriſdictionis eccleſiaſticæ declarandos eſſe incurſos ex-
communicationem Bullæ in Cœna Domini legi ſolitæ
ex Riccio *in pr.var.reſol.cap.*413.

Facit ad hanc rem ſequens epiſtola ſcripta Archiepiſ- 8
copo Mediolani à Sac. Congregatione Immunitatis in
hæc verba: *Queſta Sacra Congregatione dell'Immunità*
*eccleſiaſtica per remediare à gli abuſi che ſi vanno intro-*
*ducendo in Milano da quegli Aſſiſtenti Regii, che deputa*
*il Senato à tutte le Congregationi, e Capitoli di Confrater-*
*nità, Hoſpidali, luoghi pii, dove congregandoſi perſone*
*laiche, queſti trapaſſano i limiti della propria autorità, &*
*inſtituto, non ſolo ingerendoſi nell'amminiſtratione dell'en-*
*trate, diſtributione d'elemoſine, adempimento di legati,*
*elettioni d'Officiali, e governo ſpirituale de' medeſimi, ma*
*col voler' ancora haver voto negl'iſteſſi Capitoli in grave*
*pregiuditio dell'Immunità eccleſiaſtica, doppo matura ri-*
*fleſſione hà riſoluto, che V. Eminenza prohibiſca à detti*
*Aſſiſteti Regii l'uſo del votare nelle Congregationi, e Capi-*
*toli, che ſi fanno negli Oſpedali, Confraternità, e luoghi*
*pii, e che inoltre s'incarichi alla paſtoral ſua vigilanza di*
*così far' eſeguire, & inſieme di non permettere, che tali per-*
*ſone laiche s'ingeriſcano all' amminiſtratione, e governo*
*de' ſudditi luoghi pii, al qual effetto ſi vaglia V.E. delle*
*ſue facoltà ordinarie, il cui eſercitio ben ſi promette la*
*medeſima Sacra Congregatione di haver ſempre mai ad*
*oſſervare con zelo unito alla ſolita prudenza dell'E.V. alla*
*quale bacio humilmente le mani à 20. di Settembre* 1667.

Item

Item alia Epiſcop. Nolano miſſa ad hunc tenorem. *Queſta Sacra Congregatione havendo ſentito da quanto le hà fatto rappreſentare V.S. col ſuo memoriale il pregiudicio, che vien inferito alla libertà, e giuriſdittione eccleſiaſtica dal Regente della giuriſdittion laica per haver egli ordinato, che i fratelli di alcune Confraternità di coteſta Dioceſi per venire all'elettione de' loro Officiali non ſi radunino più come prima per uſo inveterato, ma ſi radunino nelle piazze, ſenza che v'intervengano gli Eccleſiaſtici, e venuta in parere, che V.S. in ciò debba procedere ſervatis ſervandis, come di ragione, e per quanto le occorrerà l'aſſiſtenza di Monſignor Nuntio, baſterà che V.S. gliene accenni il biſogno, havendo gia egli havuto l'ordine di preſtargliela ſecondo che da lei ne verra richieſto, à 22. di Novembre* 1667. Quod etiam declaraverat ipſa Sacra Congregatio in Papien. 10. Septembris 1629. ibi; *Confraternitas authoritate Apoſtolica, vel ordinaria erecta ſubeſt juriſdictioni Epiſcopi, ac etiam Confratres, ubi agitur de intereſſe ſpirituali.*

Cæterùm Confraternitatum hujuſmodi domus gaudent immunitate, etiam quoad confugientes. Eadem S.Congr. in Civitatis Caſtelli 23. Julij 1652. Locatæ verò laicis non gaudent in Reatina 14. Decembris 1628.

Epiſcopus verò debet cogere adminiſtratores Confraternitatum ſibi appropriantes redditus pro reddenda ratione in Guardien. 18. Junij 1652.

Cuſtodes animalium Confraternitatum eximuntur à gabella panis, in Potentina 24. Januarij 1651.

Officialium Confraternitatum canonicè inſtitutarum electio ad confratres, eorumdem verò Officialium confirmatio ad loci Epiſcopum, vel ejus Vicarium generalem pertinet; Societatibus tamen ſub protectione Regia ſemper exceptis. Sac. Congreg. Epiſcop. in Bononien. 11. Auguſti 1627.

## CONSULTATIO XLVIII.

*Utrum ad decimas ab hominibus, & ab Univerſitatibus impoſitas ex tranſactione inita cum Baronibus intuitu exemptionum perſonalium ſub reſervatione tamen aſſenſus Regij, teneantur etiam Eccleſiaſtici pro prædijs poſt dictam tranſactionem acquiſitis? Ubi de recurſu ad Judices laicos non multa.*

1 NEgativè. Primò, quia cùm nec Regius aſſenſus, neque ratificatio unquam ſubſequuta fuerit, fruſtrà petitur executio dictæ tranſactionis ac decimæ conventæ ob non cuſtodiam pacti reſolutæ, Rot. *in Savonen. Cantoria* 27. *Iunij* 1642. coram Peutingerio, *&* *in Cæſanaten. cenſum* 3. Junij 1644. & 29. Junij 1645. coram Cardin. Corrado, ubi in fortioribus de ratificatione non ſequuta intra tempus præfixum. Maximè ſi ratificatio promiſſa non fuerit ſub clauſula, quatenus opus ſit, ſed ſimpliciter, & ſub pacto reſolutivo tranſactionis, quo caſu, quamvis non neceſſaria, ſequi tamen debuit, ac produci, Gregor. *dec.*192.*num.* 1. Burat. *dec.*374.*num* 12.

Quinimò circumſcripta dicti Regij aſſenſus reſerva-
2 tione, adhuc ille de jure in impoſitione collectæ omninò neceſſarius erat, cùm non ſufficiat Univerſitatis ac Baronis conſenſus, Novar. *de gravam. vaſallor. grav.* 335. *num.*3. Crivel. *deciſ. Dolan.* 11.*num.*14. *lib.*2. Caſtil. *contr. lib.* 7. *cap.*42 *num.*78. Præſertim in Regno Neapolitano, in quo præter rationem directi dominij Sanctæ Sedis beneplacitum Apoſtolicum in vectigalium indictione requiri quamplures cum vera ſententia affirmant, ut allegati per Marth. *vot.*160. *per tot. in fin.* Capyc. *in ſua Inveſt. cap. feudorum clauſ. v. Irrogatur*, Iſern. *in tit. quæ ſint regalia, v. Extraordinaria collatio num.*62. Regens de Curtis *in* 3.*p diverſ. jur feud. cap.*3.*v.*148. & Molfel. *in ſum. to.*2 *to.*12.*cap.*22.*nu.*63. qui tradunt, quod ad evitandam iniquitatem impoſitionum, quas immanis ille Fridericus Imperator Regnis utriuſque Siciliæ impoſuerat, interceſſit inter Papam Honorium, & Regem Neapolitanum capitulatio, quod ſolum in quatuor caſibus, nempè pro defenſione Regni gravi, non procurata, pro Regis perſona redimenda ab hoſtibus, pro militia ſua, cùm ſe, vel fratrem ſuum, vel aliquem ex liberis decorabit cingulo militari, & pro maritanda ſorore, vel aliqua ex filiabus, aut nepotibus ſuis, poſſit Rex gabellas imponere, in alijs minimè abſque conſenſu Summi Pontificis directi domini, qui Regnum conceſſit. Regna enim utriuſq; Siciliæ ſunt patrimonium B.Petri, & Sedis Apoſtolicæ, ut poſt alios docet Molfeſ. *tom.*2.*ad conſuet. Neapol. in princ. qu.*3.*num.*25. Azor. *p.*2. *mor. lib.*11.*c.*5.*qu.*4. Reſtaur. Caſtald. *in tract. de Imper. q.* 53.*num.*18. & Regens de Ponte *de poteſt. Proreg. tit.*11.*nu.* 26. ſubdentes, quod cum Rex habeat hoc Regnum ab Eccleſia, nullo modo ſubſit Imperio. Qua de re latè, quamvis contrarium haud rectè ſequatur Donat. Ant. de Marin. *quotid. reſol. cap.*156.*per tot.*

Non obſtat, quod Regius aſſenſus, ac beneplacitum 3
Apoſtolicum ex curſu temporis præſumatur. Nam, præterquam quod ad hunc effectum ultrà curſum temporis requiritur obſervatio, non quidem præſumptiva, ſed plenè probata, ut per Rotam *in Pampilonen. Vicariæ* 17. Maij 1653. *§. nihil*, coram Meltio, quæ prorſus deſtruitur ex lite ſeper agitata inter Eccleſiaſticos, & Univerſitates, verſamur in impoſitione vectigalis ac decimæ, cui, reſiſtente Bulla in Cœna Domini, non ſufficit tacitus, ſeu præſumptus ex tempore immemorabili Summi Pontificis conſenſus, ſed expreſſus oſtendi debet, Sperell. *deciſ.*37.*à nu.* 47.*p.*1. & Rota *in Barchinonen. exemptionis* 13. Junij 1646. coram Eminentiſs. Othobono.

Secundò, quia hujuſmodi decima impoſita eſt per vaſ- 4
ſallos ratione exemptionum perſonalium ab angarijs, ipſis à Baronibus conceſſarum; quæ quidem angariæ & perangariæ ſunt omnibus omninò prohibitæ, etiam in Regno Neapolitano, Grammat. *conſ.* 47. *per tot.* Marth. *conſ.* 1.*num.*27. *& ſeqq.* Navar. *de gravam. vaſal. grav.*2.*num.* 4. ubi, quamvis in inveſtituris adeſſet clauſula cum angarijs, & perangarijs. Et per conſequens, ſtante iniquitate cauſæ dictæ impoſitionis, hæc prorſus corruit, nec exigi valet, Trentacinq. *var. reſol. lib.* 1. *de jur. fiſc. reſol.* 5. *num.* 5. Farinac. *qu. crim.* 172. *num.* 7. *& ſeq.* Barboſ. *in collect. Doct. ad l. non ſolent, num.*5. *C. vectig. nov. inſtit.*

Tandem, quia nè Eccleſiaſtici ad onus decimæ tenean- 5
tur, ſatis eſt dicere, quod illud, tamquam impoſitum per Univerſitates non rebus propter res, ſed rebus intuitu exemptionum perſonalium civibus conceſſarum, mutat perſona laici imponentis, non poteſt tranſire in Eccleſiaſticos, ac alios regulariter exemptos, ut ſcitè diſtingui- Bartol. *conſ.*180.*num.*4. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.*1.*cap.*39. *§.*5.*num.*59. Antonel. *de regim. Eccleſ. lib.*4.*cap.*5.*num.*2. Non enim hujuſmodi onus eſt reale, ſed uti impoſitũ rebus contemplatione perſonarum, illarumq; exemptionum eſt mixtum, Bartol. *in l. placet num.*9.17. *&* 27. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Sperell. *dec.*36.*num.*16. Ac proinde ad ſucceſſores exemptos non tranſit, Sperell. *dec.*35. *&* 36. *per tot.* Merlin. *dec.*902.*num.*46. *& ſeq.* ſub qua diſtinctione Doctores omnes, qui ab adverſarijs adduci poſſunt, conciliantur. Et cenſuit S. Congregatio Immunitatis in Hydruntina 10. Junij, & 19. Auguſti 1653. & 24. Maij 1658. Qua etiam in re extat deciſio Rotæ in Hydruntina exemptionis coram Card. Celſo.

Hinc non refragatur, quod vaſalli hoc onus imponentes 6
territorium effecerint tributarium, paciſcendo, illud eſſe merè reale, prædijs infixum, ac proinde ad quoſcumque ſucceſſores tranſire. Quia cum ex ſupra firmatis ejuſmodi onus non ſit merè reale, ſed mixtum in fraudem, & præjudicium ſucceſſorum exemptorum, utique contrahentes ſuis pactionibus illius naturam immutare non poſſunt, *l.* 2. *ff. de uſuf. quæ uſ. conſum.* ibi: *nec enim naturalis ratio auctoritate Senatus commutari potuit*, quam ſequitur in his terminis Nat. *conſ.*447.*num.*16. Ad cognoſcendum enim, an onus revera ſit mixtum, vel reale,

non partim conventiones, neque ſtatuta illud indicentia, ſed oneris origo & cauſa, unde provenit, attendi debet, *l. tutor datus*, *ff. de fidejuſſ. l. ſi procuratorem*, *ff. mandati*, Petr. de Ubald. *de collect. num.* 21. Lancellott. Gall. *conſ.* 50. *num* 61.

7 Ex quibus clara videtur nullitas inductionis ejuſmodi decimarum, & ideò Barones non ſolùm nequeunt illas exigere, ſed exactas de facto cogendi ſunt cenſuris ad reſtituendum, Carol. de Graſſ. *de eff. Cler. eff.* 3. *num.* 8. Sperell. *deciſ.* 37. *num.* 70. & 71. cum in hac materia immunitatis per viam cenſurarum, non autem capturæ perſonarum procedendum ſit, idem Sperell. *dec.* 42. *num.* 6. ubi refert reſolutionem Sac. Congregationis. Præcipuè ſi dicti Barones incurrerint in excommunicationem Bullæ Cœnæ ob recurſus habitos ad Judices laicos, quapropter non ſolum denegatur eis audientia, Rot. *deciſ.* 491. *num.* 6 *p.* 2. *recent.* ſed publicè denunciandi ſunt, Farinac. *dec.* 212. *num.* 1. Rot. *dec.* 8. *num.* 1 *p.* 4. *recent.* Etiamſi non ſint perſonæ eccleſiaſticæ, ſed laicæ, ex Conſtitutione Urbani VIII. 62. §. 13. *Bullar. tom.* 3. ubi etiam laici recurrentes dicto anathemate feriuntur. Idque, etiamſi cauſam proſequantur in Sac. Congregatione. Quoniam adhuc ſunt denunciandi, donec recurſibus purgatis, ac in ſe reverſi, abſolutionem à Sanctiſſimo obtinuerint, Rot. *dec.* 173. *num.* 12. & *ſeq. p.* 6. *recent.* Ac non obſtante, quod agatur de decima feudali, cujus propterea qualitas cognoſcenda videtur in Tribunali Regio. Nam etiam id decidendum eſt coram Eccleſiaſtico, Matt. *conſ.* 2. *num.* 2. Franc. Marc. *dec.* 369. *num.* 1. *par.* 2. & judicavit Rota Romana ſub die 21. Maij 1631. apud de Marin. *quotid. reſol. cap.* 207. ac Sac. Congregatio ſuper Epiſcop. in Larinen. 28. Januarij 1606. & in Roſſanen. 26. Septembris 1614. & in Conſentina 20. Martij 5616. atque reſolvit Sac. Congregatio Immunitatis in Caſſanen. 9. Novembris 1631. Quia, licet dominium talium decimarum, hoc eſt illarum fructuum omninò ſpectet ad laicos, & feudum cenſeatur ſæculare, attamen quia oritur, ac dependet à jure ſpirituali, ſeu eccleſiaſtico, non poteſt de illis cognoſcere, niſi Judex eccleſiaſticus. Illud denique monendum, non eſſe faciendas novas Congregationes, neque augendas pœnas contra recurrentes ad Tribunalia ſæcularia, cum ſufficiant jam editæ, præſertim in Bulla Cœnæ. Quod cenſuit S. Congregatio Concilij 7. Auguſti 1624. & Sanctiſſimus approbavit.

## CONSULTATIO XLIX.

*An Clerici, qui vivunt in communi cum laicis poſſint cogi ad dividendum ſua bona, ut collectetur portio laicorum?*

1 Reſpondeo affirmativè, idque per Judicem eccleſiaſticum, etiam ex officio. Ita S. Congregatio in Marſicana die 16. Januarij 1663. Hinc non proteguntur *can* 18. *Bull. Cœnæ* bona, quæ indiviſim Clericus cum fratre, vel alio propinquo laico poſſidet, niſi pro rata ſuæ portionis, ut optimè diſtinxit Specul. *in tit. de Cleric. conjug. num.* 13. & ex eo Carol. de Graſſ. cum alijs tredecim Doctoribus *eff.* 13. Alter. *c.* 6. *num.* 2. ac Bonac. *ad d. can.* 18. *Bull.* § 1. *num.* 19. Quia non eſt ex quo ſumatur tanta extenſio privilegij, & aliàs publicæ utilitati multum veniret derogatum. Ideòque benè addunt aliqui ex prædictis Authoribus, poſſe Judicem ex officio cogere laicum, ut Clerico dividat vel ſaltem, quod deſignentur portiones, & inſtare, ut per Judicem eccleſiaſticum cogatur Clericus renuens.

2 Non obſtat Gloſſa finalis *in cap. un. de jurepatr. in* 6. quatenus ait, quod ſi Eccleſiaſticus & laicus ſimul habent præſentare, currit eis tempus ſex menſium, quod Eccleſiaſticis conceditur. Cùm tamen laici habeant tantùm quadrimeſtre; quia, inquit Gloſſa, ratione communionis privilegium Eccleſiæ tranſit ad laicum ad inſtar ejus quod dicitur de eo, qui habet rem, eſſe communem. Et ideò contrariam opinionem ſequitur Marth. *de jur. p.* 4. *caſ.* 12. citans Decium & alios, & in terminis Bullæ Cœnæ, Duard. *q.* 9 per textum *in l. Si communem, quemadmodum ſervit. amit.* & ex illa regula, quo majus dignum trahit ad ſe minus dignum.

Nam reſpondetur, id procedere in rebus indiviſibilibus, & quæ ab invicem ſeparari non poſſunt, non autem in hoc caſu, in quo cujuſcumque bona ſeparari poſſunt, vel cenſeri diverſo jure. Ratio autem, cur non amittatur immunitas, etiam pro parte ſpectante ad Clericum, quando non eſt diviſa, ſumitur ex illa regula, quod utile non debet per inutile vitiari, *cap. utile, de reg. jur. in* 6. Hinc eadem S. Congregatio in Rheginen. 20. Septembris 1667. declaravit quoad conſanguineos, & famulos Clericorum quod dentur ſolita decreta, quod ſcilicet gaudeant immunitate, ſi vivant & in domo Clerici. 3

## CONSULTATIO L.

*An & quatenus pro parte fructuum, quæ Ruſtico, Colono, Conductori, aut emphyteutæ bonorum Eccleſiaſticorum advenit, poſſit à Principibus laicis imponi, vel exigi collecta, aut aliud onus?*

Gravis eſt apud Doctores hæc cauſa ob rationum hinc inde momenta. Nos verò rem conſultam, agitatam ſæpiùs, & exploratam in judicium deducimus. 1

Qui id negant fundantur efficaciter tam in eo, quod obliquè gravaretur Eccleſia, quandoquidem cogeretur minori pretio bona ſua locare, ſi Colonus, ſeu conductor pro rata teneretur ad onera. Nam ratione oneris res minoris æſtimatur, Gloſſ. *fin. in l. generali*, §. *fin. ff. de uſufr. leg.* Oſaſch. *dec.* 83. *num.* 9. Unde Eccleſiaſtici non ita facilè invenirent ruſticos, qui eorum prædia colere vellent, ut animadvertit Frider. de Sen. *conſ.* 111. *n.* 10. obliqua autem, ſive indirecta gravatio ſimul cum directa damnatur paſſim in jure, & in Bulla Cœnæ can. 18. ibi: *indirectè prædicta facere.* Quare bona eccleſiaſtica ſunt hoc caſu etiam ex perſona colonorum immunia, ut *l.* 1. & 2. *C. de Epiſc. & Cler. c. Eccleſiam*, & ibi Gloſſ. *v. Clericorum* 12. *q.* 2. Tum in eo, quod loquendo de collectis, & tallijs propriè dictis, imponuntur quidem hæ, & exiguntur juxta fructus, & proventus, ſed principaliter fundantur in ipſis prædijs, prout fructifera ſunt, ita ut bona ſint principaliter & fundamentaliter cenſita, licet onerata in ordine ad fructus ex doctrina Bart. & Baldi *in l. Colonos*, *C. de Agric. & cenſit. lib.* 10. Alex. *conſ.* 37. *lib* 4. & *conſ.* 4. *lib.* 5. Natt. *conſ.* 409. *num.* 5. & aliorum. Ideòque per textum *l. in cenſibus*, *C. eod.* idem Bartolus *ibi* notavit, ad ſolutionem collectæ non teneri colonos prædiorum, ſed dominos. Sed prædia & bona ſunt eccleſiaſtica. Igitur eccleſiaſtico jure cenſeri debent. Tum etiam quia immunitas competens bonis eccleſiaſticis eſt realis, & ideò comprehendit quoſcumque Colonos, ut declarat Gloſſ. *in Clem.* 1. *v. Excolendas*, quam ſequuntur Jac. & Imol. ubi etiam Abb. *numer.* 10. qui dicit eſſe notandam ad ſimilia, *de decimis*, idem Abb. *in cap. ex parte num.* 4. *eod. tit.* & *in conſ.* 8. *num.* 3. Rot. *dec.* 4. *num.* 1. *de privil. in antiq.* & *in Caurien.* coram Cantucio *dec.* 23. *num.* 6. *p.* 2. Grat. *conſ.* 130. cui ſubſcripſerunt Alciatus, Salutiola, Berous, Auguſtinus, & Janettus *num.* 4. ubi pluribus fundamentis hæc concluſio ſtabilitur, eamque proſequitur Surd. *conſ.* 301. *num* 62. 63. & 78. *vol.* 3. Additque Baldus *in l. Cum duobus*, §. *ſi in coeunda*, *ff. pro ſoc.* & *in l.* 2. *noc.* 3. *C. de Epiſc. & Cler.* quod ſi Coloni iſti gravarentur, de facto gravarentur, non autem de jure. Tum quia hi Coloni nec poſſeſſionem habent, neque dominium, ſed tantùm detentionem, *auth. item nulla communitas*, & *l. de his*, *C. de Epiſc. & Cler.* Alex. *conſ.* 35. *num.* 12. *lib.* 4. & Card. Tuſch. *pr. concl. lib.* 2. *num.* 1. & 2. Ideòque ſi gravarentur ratione fructuum, quos ex prædijs percipiunt, poſſent perſoluta à dominis prædiorum repetere, ut tradit Alex. *d. num.* 12. & *conſ.* 4. *lib.* 5. *per textum in l. Si pendentes*, §. *Si quid Cloacarij*, *ff. de uſufr.* Atque ita per in-

directum

directum ab Eccleſiaſticis extorquerent ; ac proinde inciderent in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Tandem ex generali illa ratione, quod ſcilicet colonus non tenetur ſubire onera pro fructibus portionis colonicæ, quia hujuſmodi fructus habentur loco operæ laboris, & ſumptuum factorum in cultura agrorum, & ideò propriè non dicuntur fructus, cùm fructus dicantur, deductis ſumptibus, l.1.C.de fruct.& lit.expenſ.& ibi Bartol.l.fructus, ubi communiter Doctores, præſertim Bart.Alex.& Jaſ. ff.ſol.matr.l.divortio, §.impendia,ff.eod.ac Paul de Caſtr. conſ.338.num.17.vol.1. Et propriè colonus partiarius dicitur, qui ſuis ſumptibus, non domini colit, ejuſque periculo, non domini ſtant fructus, Abb.in cap.ex parte num.2.de decim. Oſaſch. d.dec.83.num. 7. Unde hanc ſententiam inter alios tuentur Bartol.& Bald. n l.placet, C.de ſacroſ.Eccleſ. Abb. conſ.9.p.1. Gratus latè conſ.130. lib.1. cui multi adſtipulantur, Natt. conſ. 409. ubi reſpondet ad Frideric.de Sen. Ægyd. Thomat. de collect.§. Si quiſpiam, num.8. Nicol. Feſtas de æſtim. num.50. & ſeqq. Burſat.conſ.25.lib.1.Doctores, quos ſequitur Menoch. lib.2.de arb.162.num.46.Tambur.de jur.Abb.tom. 1.diſp.15.q.21.nu.9.Peyrin.in privil.Minimor.to.1.Conſt.2. Jul.j II.§.33.num.142.Jo.Franc.Leo in theſ.for.Eccleſ.p. 3.c.8.num.119.Dian p.3.reſol 19. qui alios referunt, ſicut etiam plures refert Carol.de Graſſ. eff.3.num.50.& 51. ac Bellett.diſq.cler.tit.de exempt.§ 7. & Delben. de immun. cap.5.dub.7.ſect.18.num.1. Tapia lib.1.de jur.Regni ſub tit. de Epiſc. & Cler. quatenus ſubdit, quod ſi ex hoc indirectè gravarentur Clerici, ſcilicet quia gravantur nimis ruſtici & coloni eorum ita, ut non invenirent, qui velint eorum poſſeſſiones colere, non eſſet id tolerandum à Prælatis. Idemque ſentiunt Vincent.de Anna ſing.99. & Megal. conſ.75.num 6.

3 Ij verò, qui ſentiunt oppoſitum, fundantur tum in eo, quod pars illa fructuum, utpotè omninò ſpectans ad colonum, vel conductorem, non debet cenſeri jure eccleſiaſtico. Separatorum enim ſeparata ratio eſſe debet. Ac proinde ea pars, cùm ſit temporalis, ſubjecta domino laico, & per conſequens ab eo onerabilis dici poterit. Tum in eo, quod collecta eſt onus perſonale, in quo perſona magis attenditur. Hæc autem in præſenti laica eſt & ſubjecta. Quod ſi etiam loco rei fructus attendi dicatur, nil obſtat. Quia etiam fructus ſupponimus eſſe ipſius coloni. Tum à pari ſecundùm communem, & veriorem opinionem, quod fructus Clericorum in laicos emptionem, Commutationem, aut alium ſimilem contractum tranſlati, non amplius gaudent privilegio immunitatis eccleſiaſticæ. Et ideò hanc opinionem tenuerunt Frider.de Sen.conſ.109.& 111. ſecundùm aliam editionem, Gemin.& Franch. in cap.quamquam, de cenſib. lib.6. Gloſſ. & Aretin. in d.l.placet, C.de ſacroſ.Eccleſ. Bertachin.de gabel.p.7.q.7. Theſaur. in dec. Pedem. dec. 116. Alter. in Bull.Cœn.cap 6.num.5. Navar. in man. cap. 22.num.118. Megal. d.conſ.75. Zerol. in pr.v.Clericus,§. 9. Surd. conſ.301.num.89.lib.3. Urſill.de Afflict. dec.129. Add. dec. Franc dec.79.num.11. & alij apud Dian.loc.cit. & apud Carol.de Graſſ à num.53. & ſubſcribit ipſe cum viginti uno Doctoribus num.56.

4 Verùm in hac controverſia cum diſtinctione procedendum eſt. Dictinguendum eſt autem inter onera impoſita ratione collectionis fructuum, & ratione tranſvectionis, aut alienationis eorundem. Quia ſi conductor, aut colonus tranſvehat, vel vendat fructus tamquam ſuos, non debet gaudere immunitate, neque protectione Bullæ Cœnæ, cùm fructus non amplius pertineant ad Eccleſiaſticos, ſed eodem modo conductoris, aut coloni ſunt, ac ſi à proprijs prædijs eos deſumpſiſſent. Et ita intelligendi ſunt Authores, qui oppoſitum ſentiere, neque eorum rationes aliud evincunt. Quoad onera verò impoſita ratione collectionis militat ratio, quod ſint ſuper fructibus bonorum eccleſiaſticorum. Atque ita loquentes de parte colonica & conducticia diſtinxerunt, aſſerendo poſteriora onera damnari, non autem priora, Ugolin in d.Bull.Cœn.cap.15.§.3.Filiuc to.1.tr.16.c.11.nu. 301. Carol. de Graſſ. cum alijs cit.num.68. & approbat Dian.reſol.19.Molin.diſp.663.num.5.tom 3.Marth.caſ.112. num.7.p.4.Alter. de cenſur.lib.5.c.6.diſp 19.lit.B. Gutier. q 44.& 87.num.11. Bonac.in Bull.Cœn.diſp.1.q.19.pun.3. Cutell.de immun.Eccleſ.lib.2.qu.49.nu.14. & Thom.del. Ben. d.ſect. 18.num.9.

Item diſtinguendum eſt inter colonos diverſi generis, diverſique generis conductores, & præſertim emphyteutas. Coloni enim quadrupliciter. Alij ſunt adſcriptitij, de quibus eſt textus in cap. multorum, de Judæis, qui ſcilicet ſunt addicti, & obſtricti prædio colendo, reddituri domino omnes fructus præter ſumptus & victum. Et hi ſunt omninò immunes ab oneribus. A perſonalibus quidem, quia totum laborem addictum habent prædio, ut ex tali onere non poſſit non remanere gravatus dominus ratione culturæ, qua tunc prædium privatur. Quamvis quoad canonem Bullæ Cœnæ horum gravatio non excommunicetur, quia non ſunt perſonæ eccleſiaſticæ, neque gravatio eſt ſuper bona, quæ colunt, niſi tamen ita eſſent ſervi, ut inter mancipia computarentur. Quia tales ſervi onerum realium non ſunt capaces. Eorum quippè res acquiruntur domino. Perſonalia verò apertè redundant in gravamen domini, quia interim privatur obſequio, quod ab ijs exhibetur. Quæ immunitas Eccleſiaſticorum quoad mancipia durat etiam tempore advêtus Principis, primique ingreſſus ejuſdem, quod tempus leges civiles vocant felicis Embolæ, quicquid ſtatuatur contra l.Neminem, C.de ſacroſ.Eccleſ. In hac autem materia jus civile præjudicans non eſt attendẽdum, Filiuc. loc.alleg.num.301. Multò magis eo tempore durat immunitas quoad bona, ut habet Diana cum alijs p.3.tr.1.reſol. 11. referens & impugnans ſentientes oppoſitum, innixos legibus civilibus. A realibus verò ſunt immunes hi Coloni, quia tam fructus, quàm prædia nullo modo pertinent ad ipſos, ſed ad dominum. Quare eos gaudere omni immunitate, Clericis & Eccleſiæ conceſſa, docent Abb.in cap.non minus, de immun.Eccleſ. Rip.tract. de peſt.in tit.de remed.ad conſer.uber.num.128. Frider. de Sen. d. conſ. 111. num. 10. Theſaur. d. dec. 116. num. 12. Duegn. regul. 100. Squillant. de privil. Cler. cap.8.num. 22. & alij, ac declaravit ſæpius Sacra Congregatio Concilij, præſertim ſub die 28. Auguſti 1637. dum quæreretur, an familiares & Coloni Eccleſiaſticorum teneantur juſſi ire ad bellum, & ſervire in alijs functionibus pro ſervitio Principis, ſeu Communitatis, & ad onera conſiſtentia in ſolutione frumenti, & aliorum fructuum? Reſpondit, Colonos habentes qualitates Coloniæ, & famulos Eccleſiaſticorum non poſſe cogi ire ad bellum, niſi ex ingenti, & præciſa neceſſitate, nec ad ſolutionem oneris conſiſtentis in frumento, vel imbottatus vini, nec ad hoſpitationem militum in bonis Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum. 5

Alij ſunt Coloni liberi, ſed partiarij, quia pars, vel medietas fructuum ad ipſos ſpectat cum obligatione inſumendi propriam operam in cultura. Et de his quoad onera perſonalia diſtinguendum eſt. Vel enim prædij cultura totum hominis laborem expoſtulat, ut eo non impenſo prædium deterioretur, nec ſolitum fructum reddere poſſit, & tunc ea nequeunt imponi. Quia Colonus pro toto labore eſt addictus prædio, defectu cujus infertur domino damnum. Et id cenſuerim ex leg. 2. C. de Epiſc. & Cler.& d.cap. non minus, de immun. Eccleſ ubi vetantur angariæ & vexationes hominum ad Eccleſiaſticos pertinentium, certum eſſe. Angariæ enim per Gloſſam ibi dicuntur perſonalia obſequia, quæ ex contextu non ideò videntur reprobari, quia fuiſſent expetita à Clericis, ſed quia ab eorum miniſtris, & Colonis. Quoad onera autem realia militant maximè de his colonis pro parte fructuum ad ipſos ſpectãtium ea, quæ pro prima ſententia deduximus, nempè eſſe immunes. Quod etiam declaravit S. Congregatio ſuper Epiſcopis in Oppidẽſis die 18.Septemb.1618.determinãs, 6

colonos affictuarios, ſive nummarios, vel partiarios bonorum eccleſiaſticorum gaudere immunitate collectarũ tam ordinariarum, quàm extraordinariarum pro portione colonica. Idem cenſuit Imolen. ſub 19. Julij 1622. in una Barnabitarum 5. Martij 1624. & in Neritonenſi 27. Auguſti 1627. Ac etiam declaravit S. Congregatio Immunitatis in d. Imolen 20. Februarij 1629. inquiens, colonos partiarios Cardinalium gaudere immunitate ab oneribus. Quod Urbanus Octavus ſub die 6. Martij ejuſdem anni approbavit. Idipſum cenſuit in Caſalen. ſub d. die 28. Auguſti 1637. in qua cùm dubitaretur, an propriè dicantur Coloni, & proprias Coloniæ qualitates habeant illi, qui colunt agros & vineas Eccleſiaſticorum, appellanturque Coloni partiarij, vulgò mezaruoli, dividendo cum dominis certam fructuum partem? reſolutum, *Colonos partiarios Eccleſiaſticorum dici etiam illos, qui vulgò vocantur mezaruoli.* Et in Ravennatenſi, *Sacra &c. cenſuit, Colonos Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum eſſe exemptos ab hujuſmodi oneribus di accompagnare le guardie che caminano per la cãpagna pro defenſione à damnis*, die 10. Februarij 1632. & luculenter in Faventina tenoris ſequentis. *Al Veſcovo. Il ſenſo della ſacra Congregatione ſopra le controverſie giuriſditionali circa l'eſentione preciſa de' Coloni di coteſto Veſcovato è, che i Coloni partiarij, i quali vivono de' frutti, che ſi raccogliono ne' beni della Chieſa per il tempo della detta colonia, habbiano à godere l'eſentioni tanto riſpetto a' peſi perſonali, quãto a' peſi reali. Dovrà V.S. perciò procurare l'eſecutione di eſſo, e dar conto del ſeguito, e Iddio la conſoli, di Roma a' 27. di Novemb. del* 1628. Et in Cæſenaten. pro Clero fuit dubitatũ, an Coloni Eccleſiaſticorũ poſſint adſtringi à Gubernatore Civitatis ad onera & munera perſonalia, ac ſordida præſtanda & exercenda, puta accuſare, perſonaliter laborare curru, plauſtriſque geſtare paleas, fœnum, ligna, frumentum, vinum, aliaque ſimilia facere tam pro ſervitio ipſorum, quàm in tranſitu militum, & aliorum, die 16. Julij 1626. *Sacra &c. cenſuit, Colonos non teneri ad ſervitia ſordida, nec ad ea, quæ retrahunt à cultura agrorum eccleſiaſticorum.* Et in Ravennatẽ pro Clero ſæculari & Regulari die 22. Junij ejuſdem anni *Sacra &c. cenſuit, Colonos eccleſ. eſſe exem. ab angaria tranſportationis palearum, & aliorum onerum perſonalium.* Idem declaratum in Capien. 29. Martij 1667. Hoc ipſum poſt maturam diſcuſſionem Romæ anno 1620. definitum fuiſſe, teſtatur Gavant. *in manual. Epiſc. v. fori privilegium.* Extantque in hanc rem litteræ Pontificio juſſu Friderico Cardinali Borromæo Archiepiſcopo, & Duci Feriarum Gubernatori Mediolani ſcriptæ tenoris ſequentis.

*Illuſtriſſime, & Reverediſſime D. Obſervantiſſime. Delata eſt nuper ad Sanctiſſ. D. N. complurium expoſtulatio, quod iſtic à ſæcularibus Miniſtris banorum Eccleſiæ conductores ad milites hoſpitandos vel in ipſis eccleſiaſticis ædibus compellantur, quaſi ratione portionis, quam vocant colonicam, ab hujuſmodi onere ſe tueri, ac vendicare nequaquam poſſint. Quodvè in Eccleſiaſticornm domus inſtituant cenſus taxæ, ac ſuper fructibus bonorum Eccleſiarum, Datij Imbottatus nomine nuncupatos, perſonaſque eccleſiaſticas Navilijs expurgandis, ac vijs inſtaurandis, alijſque id genus oneribus, varijs nominibus premant, atque opprimant. Quæ omnia, ut cedunt in gravem eccleſiaſticæ libertatis offenſam, iſtiuſque Eccleſiæ detrimentum, itidem Sanctitas Sua iſtinc ſummoveri, atque evelli operæ pretium ducens, conſultis hac de re Illuſtriſſimis Patribus Tridentini Concilij interpretibus, Amplitudinis V. Illuſtriſſimæ partes, ac paſtorale officium hiſce litteris compellat, conteſtaturque, ut majorum ſuorum, ſuique ipſius zeli, ac probitatis memor, ne ſinat bona Eccleſiæ, ſeu illorum Colonos iſtiuſmodi oneribus atque exactionibus aliqua ex parte vexari. Quinimò in eos, qui adverſus hæc quicquam facere, vel moliri præſumpſerint ad ſacrorum Canonum præſcriptum, atque apoſtolicarum Conſtitutionum, illius præſertim, quæ die Cœnæ Domini legi conſuevit, ſeverè animadvertat. Ita enim harum injuriarum vindici Deo, ſummique Pontificis juſſioni, atque Eccleſiæ ſuæ pro ſuo munere reſpondebit. Nos verò quod ſupereſt Amplitudini V. Illuſtriſſimæ perpetuam precamur felicitatem, omniaque in illam ſumma, ac ſingularia ſtudia debemus. Romæ die 20. Decembris M.DC.XVII. Amplitudinis V. Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Humill. Serv. Ho. Cardinalis Lancellottus.*

*Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Sig. mio Oſſervandiſſ. Per gli avviſi, ch'à hauuto Noſtro Signore della riſolutione fatta in coteſto Senato di collettar l'ottava colonica de i maſſari de' beni eccleſiaſtici gli è parſo di parlarne, com'hà fatto in buona forma al Sig. Card. Borgia, e di ſcriverne un breve al Sign. Duca di Feria, qual s'è conſignato, all'iſteſſo Sig. Card. Borgia, perche glielo invij. E ſe bene la Santità Sua è certa, che V. S. Illuſtriſſima non è per mancare alle ſue parti, accioche una riſolutione così pregiudiciale non habbia effetto, nondimeno per la gravità del negotio hà voluto, ch' io le ne ſcrivi, dandole parte di quello, che la Santità Sua hà fatto, e ricordandole di far' officij con i Veſcovi dello Stato, ch'anch'eſſi faccino, in quel che poſſino, il debito loro, e non ſi laſcino far pregiudicio, e ſe à V. S. Illſtriſſima, ò à i medeſimi Veſcovi occorrerà di raccordare cos'alcuna per ſervitio della cauſa à Sua Santità, ſarà caro d'intenderlo. Et jò le bacio humilmente le mani. Di Mond'agone a' 8. di Giugno* 1619. *Di V. S. Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Humiliſſ. & affett. Serv. Il Gard. Borgheſe.*

*Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Sig. mio Oſſervandiſſ. Non havendo queſti mei Illuſtriſſimi Sig. Deputati dalla Santità di Noſtro Signore ſopra il negotio della portione colonica potuto, come haverebbero deſiderato, pigliarvi per adeſſo riſolutione per le difficoltà, che nella trattatione di eſſo ſi ſono incontrate, particolarmente nel procurar d'aggiuſtar'il fatto col Senator Viſcõte, e col fiſcale Schiaffinato mandati quà per queſt'effetto dal Duca di Feria Governatore di coteſto Stato per Sua Maeſtà Cattolica, & eſſendoſi riferito il tutto alla Santità Sua, mi hà la medeſima Santità Sua ordinato di ſcrivere à V.S. Illuſtriſſima, che non laſci far pregiudicio alcuno alla libertà, & immunità eccleſiaſtica, mà che la difenda conforme alla diſpoſitione de' ſacri Canoni, e delle Conſtitutioni Apoſtoliche. Et à V.S. Illuſtriſſima humilmente bacio le mani. Roma li 28. Agoſto 1620. Di V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima humiliſſ. & affettionatiſſimo Serv. Il Cardinal Giuſtiniano.*

*Illuſtriſſimo, & Eccelentiſſimo Signore. La Santità di N.S. hà ordinato à queſti miei Illuſtriſſimi Signori della Congregatione deputata ſopra la colonica, & à me, che ſi dia parte à V. E. di quanto ſi è quì negotiato intorne alla cauſa di detta Colonica, con miniſtri mandati da V.E. accioche ella del tuto reſti informata. E ſtato biſogno ſpender lungo tempo a diſputare, & intendere la giuſtitia di queſta cauſa, eſſendo coſa nuova, molto grave, e di grand'eſſempio, & conſeguenza, e particolarmente convenuto avviſare i Veſcovi, & Clero, & i Regolari di coteſto Stato, accioche veniſſero, ò mandaſſero à rappreſentar le ragioni loro, poiche ſi trattava immediatamente del loro intereſſe. E perche per riſolvere per ragione il negotio era frà miniſtri regij, & noi varietà di parere s'è paſſato à vedere ſe era poſſibile trovar temperamento, & accordo, ch'acquetaſſe l'animo, & la conſcienza di Sua Santità, la quale deſiderava molto di compiacere à Sua Maeſtà, & à V.E. in quanto ſi foſſe potuto, ma è ſtato conoſciuto impoſſibile il terminare per hora alcuna coſa, e cio per due ragioni principalmente; e l'una è, perche tra miniſtri regij, & i Deputati del Clero non ſi concordava nel fatto, ſpecialmente intorno al chiarire, ſe i Coloni delle Chieſe anticamente, ò per tempo immemorabile, ò almeno dal 1594. in dietro concorrevano alli carichi camerali,*

*li, e militari, & in che quantità, & in che modo, & in che tempo. L'altra ragione è, perche havendo ſcritto di Spagna Monſignor il Nuntio di Sua Santità, che i Regenti Caimo, & d'Aro ſtati da lui d'ordine di Sua Maeſtà à dirgli, che faceſſe ſapere à S. Santità, che la pretenſion loro era di ſoſtenere, che l'impoſitione ſopra la portione Colonica non ſi paghi, ſe non per quei carichi, e da quelli, e per quella quantità, ch'è ſtato ab immemorabili tempore citrà, non dovendoſi haver riguardo à qualſivoglia altra poſſeſſione exigendi, ancorche foſſe di trent' anni, e dicendo queſti miniſtri regij d'haver ordine contrarij, molto differenti, e però dichiarandoſi di non voler cedere in parte alcuna per quello, che tocca à qualſivoglia peſo, ò contributione, ſuppoſto ancora, che conſtaſſe che i fittaiuoli della Chieſa per il paſſato non haveſſero pagato alcuna coſa, e che nell'avvenire foſſero tenuti a tutte l'impoſitioni, come i coloni laici, eccetto in qualche parte dell'hoſpitatione attuale; Sua Santità hà determinato per maturar meglio queſto negotio coſi grave dar'ordine, che ſi piglino l'informationi, che ſi potranno havere dello ſtato delle coſe per il paſſato, & in particolare dal 94. indietro, & anco ordinare al ſuo Nuntio, che ne trattati con Sua Maeſtà, dandole conto particolare di quanto ſi è fatto, e mentre s'aſpetterà la riſpoſta, con la relatione di quello ſi ſarà negotiato con Sua Maeſtà, ſi ſpera, che V. E. ſia per agevolare la verificatione del fatto, ch'è tanto neceſſaria per poter venire alla reſolutione conveniente, e crediamo ancora, ch'eſſi miniſtri regij debbano cooperar coſtì à queſta intentione, e far fede a V.E. della buona volontà di Sua Santità, e noſtra. Queſto medemo ſono andato à dir' io col Sig. Card. Millino per commandamento di Sua Santità al Sig. Duca de Alburquerque, eſſendo ſtati anco preſenti i detti miniſtri, Ch'è quanto occorre far' intendere à V.E. alla quale ſi deſidera compita felicità. Di Roma li 22. Decembre 1620. Di V.E. Serv. Il Cardinal Giuſtiniano.*

*Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Sig. mio Oſſervandiſſ. Per ordine della ſanta memori di Papa Paolo V. ſi ſcriſſe à V.S. Illuſtriſſima ſotto li 28. d'Agoſto proſſimo paſſato, & a' Veſcovi di coteſto Stato ancora, accioche difendeſſero la libertà, & Immunità eccleſiaſtica in occaſione della portione chiamata colonica, e tentata da i miniſtri regij con danno notabile delle Chieſe, e loro beni. E perche ad alcuni de i ſudetti Veſcovi parve, che quella lettera foſſe troppo generica, & alquanto contraria, ò diverſa dalla lettera, che per ordine del medeſimo Papa Paulo fù già ſotto li 20. Decemb. 1617. ſcritta à V. S. Illuſtriſſima dal Cardinal Lancellotto, che ſij in gloria, la cui copia vien qui allegata: Hà hora la Santità di N.S. (havendo prima ſentito il parere di queſti Illuſtriſſimi miei Signori Deputati dalla Santità Sua a queſto negotio) ordinato di replicarle, che le ſudette lettere non ſono contrarie, anzi uniformi, eccetto che come quella del già Cardinal Lancellotto contiene diverſi capi d'aggravij, che da' miniſtri laici ſi tẽtano à danno de' beni eccleſiaſtici, come Imbottato, Taſſe, Cenſi, Colonica, e ſimili, coſì queſta de' 28. d'Agoſto fù reſtretta alla Colonica ſolamente, e che però V.S. Illuſtriſſima ſia contenta d'ordinare, che per queſto punto della Colonica la libertà, & immunità eccleſiaſtica ſia intrepidamente difeſa, e ſollevate le Chieſe di coteſta Città, e Diœceſi, e loro beni da ſimil' aggravio, commettendo che proceda ſempre conforme alla diſpoſitione de' ſacri Canoni, e delle Conſtitutioni Apoſtoliche, e particolarmente della Bolla in Cena Domini. Et à V.S. Illuſtriſſima bacio humilmente le mani. Di Roma li 5. di Giugno 1621. Di V. S. Illuſtriſſima & Reverendiſſ. humiliſſimo & affettionatiſſimo Servitore Il Cardinal Millino.*

*Illuſtriſſ. e Reverendiſſ Sig. mio Oſſervandiſſ. Per ordine della Santità di Noſtro Signore ſi ſcriſſe a V.S. Illuſtriſſima, & a tutti li Veſcovi di coteſto Stato ſotto li 5. di Giugno dell' anno precedente, accioche provedeſſe, che la libertà, & Immunità eccleſiaſtica foſſe intrepidamente difeſa, e che i beni delle Chieſe di coteſta Città, e Dioceſi foſſero ſollevati dagli aggravij, che ricevevano da i miniſtri ſecolari per conto della portione colonica. Hora eſſendoſi veduta copia d'una lettera, che il Sr. Cardinal Giuſtiniano, che ſia in gloria ſcriſſe al Signor Duca di Feria, nella quale i miniſtri regij fanno fondamento, & alcuni Veſcovi ſi moſtrano perciò alquanto tepidi nell'eſſeguire dato l'ordine loro, & eſſendo anco ſtato dato alla Santità Sua à nome del medeſimo Sig. Duca memoriale ſopra di queſto, ha Sua Beatudine ordinato, che ſi ſcriva all'iſteſſo Sig. Duca, e ſi dichiari la ſudetta lettera, come V. S. Illuſtriſſima vedrà dalla copia, che vienne quì anneſſa, la quale ſe l'invia per commiſſione della Santità Sua, affinche conforme al tenore di eſſa poſſa V.S. Illuſtriſſ. con la ſolita ſua pietà, e zelo continuare d'adempir le ſue parti nella difeſa, & manutentione della ſudetta libertà, & Immunità eccleſiaſtica conforme al'ordine già datole. Che io per fine humilmente bacio le mani a V. S. Illuſtriſſima. Di Roma li 20. Maggio 1622. Di V. S. Illuſtriſſima, & Reverendiſſima, humiliſſimo, & affettionatiſſimo Servitore. Il Card. Millino.*

*Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Signore. Al contenuto del memoriale ch' à nome di V. E. fù dato dal Sig. Duca d'Alburquerque alla Santità di Noſtro Sig. in materia de gli aggravij, ch' alcuni Sindici delle Cõmunità di coteſto Stato pretendono di ricevere dal Sig. Cardinal Borromeo per conto della portione colonica, hà Sua Beatitudine doppo haver ſentito il parere di queſti Illuſtriſſimi miei Signori Deputati à queſto negotio, ordinato di riſpondere, che la letteera, che per ordine della ſanta memoria di Paolo V. fù ſcritta à V. E. ſotto li 22. Decembre 1620. dal Sig. Card. Giuſtiniano, che ſia in gloria, non rivoca in dubbio quel che riguarda la ragion commune nel ſudetto negotio, ma ſolamente laſcia dubbioſo quello, che tocca il fatto, quale da' Procuratori degli Eccleſiaſtici ſi rappreſentava in un modo, e d'a miniſtri di Sua Maeſtà, ch' all'hora ſi trovavano quì per queſto, ſi preſupponeva in un'altro, onde ſi come per diſpoſitione di ſacri Canoni, e della Bolla in Cœna Domini i violatori dell' Immunità eccleſiaſtica incorrono nelle cenſure, così nonſuffraga loro, che i Veſcovi non procedino alle dicharationi, le quali nonſervono ad altro, ch' à publicarſi gl' incorſi in eſſe, affin che ſiano ſchifati dagli altri, ne commettano nuovi peccati col converſare con i fedeli. Per quello poi che tocca petitione di V.E. intorno al ſopraſedere da ſimili dicharationi, alla Santità Sua ſarà cariſſimo, che ſe ne levi à' Veſcovi l'occaſione, poiche altrimente mancherebbero al debito loro, ſe pregiudicandoſi all' Immunità eccleſiaſtica, eſſi reſtaſſero di valerſi di quei rimedij, che ſono preſcritti da' ſacri Canoni. Sarà però officio della pietà di V. E. e de' miniſtri di Sua Maeſtà il provedere, che non s'apporti pregiudicio all' Immunità eccleſiaſtica, poiche col rimuovere la cauſa s'eviterà l'incorſo delle cenſure, e la neceſſità delle dichiarationi, e V. E. riceverà dalla benigna mano di S. Beatitudine tutte quelle dimoſtratione di paterno affetto, che ſaranno poſſibili. Et io con queſto à V. E. bacio le mani. Di Roma li 20. Maggio 1622.*

*Di V. E. Servit. Il Card. Millino.*

Et licet aliqui voluerint, quod ubi adeſt cõſuetudo collectandi Colonos pro parte colonica, illa ſit obſervãda, moti ex communi concluſione, qua diſponitur in collectis exigendis ſervandam eſſe conſuetudinem, ut Jaſ. *in l. 2. nu. 32. C. de jur. emphyt.* Pariſ. *conſ. 15. nu. 54. & 95.* Oſaſch. *d. dec. 83. num. 9.* per textum in *l. litium, § hac de redditibus, C. de agric. & cenſit. lib. 11.* Et ita declaraſſe, ac moderatum eſſe Leonem X. quaſdam exemptiones conceſſas Eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus traditio eſt, & ita etiam declaraſſe fertur Sac. Congregatio Concilij in una Ferrarienſi. Attamen Sac. Congregatio Immunitatis ſæpius cenſuit, id intelligi de colonis affictuarijs, non 7

tijs , non verò de partiarijs. Et de Colonis affictarijs, cùm exponeretur Sac. Congregationi Immunitatis *da Girolamo Cerichelli d' Aſſiſi, Affituario della Bania di S. Maria di Val di Ponte, che pretende di non pagare alla Città d' Aſiſſi la gabella del tranſito del grano, da lui venduto alla Communità di Spello, riſponde il S. Cardinal Rendanini, ch'el gabelliero non vuol menar buorà detta eſentione, perche i grani non ſono dell' Abbate, ma dell'affituario ch'è perſona laica, che il medemo gabelliere ne hà ottenuto decreto favorevole da Monſignor Teſorierre, Sac. Congreg. Immunitatis ſub die* 4. *Decembris* 1657. *reſpondit, gaudere.*

8 Alij ſunt Coloni conductitij. Ij non potiuntur hac immunitate ex perſona dominorum , cùm privilegium hoc ſit perſonale , Bertachin *de gabel. par.* 7 *nu.* 16. Ruin, *conſ.* 157. *lib.* 3. *num.* 9. Abb. *in cap. ex parte* 1. *de decim.* & alij apud de Graſſ. *num.* 62 qui tamen *num* 63. ex Ancharano *in cap. quamquam de cenſib. in* 6 & Burſatto *conſ.* 42. *num.* 17. *lib.* 1. ait, quod ſi Prælatus nomine proprio fundos coleret per proprios operarios , non tenebitur aliquid ſolvere pro parte ruſtica , aut etiam Additionator *ad dec.* 79. de Franch. *num.* 11. inquit , ſi Monachi , & Eccleſiaſtici vellent habere famulos , & boves , & ipſis ſuis bobus agros colere , quod ſint immunes , & non poſſint collectari. Immò Regia Camera conſuevit expedire proviſiones ad favorem Clericorum pro ſolutione immunitatis frumenti , carnium , & ſimilium, non ſolùm pro eorum familia , ſed etiam pro omnibus & quibuſcumque prædiorum Eccleſiæ, & beneficiorum ejus cultoribus , ut teſtatur Riccius *in prax. reſol.* 329. Squillant. *d. cap.* 8 *num.* 25.

9 Alij ſunt coloni conductores , quos etiam fictabiles dicunt , qui fructus faciunt ſuos , licet in pecunia , vel etiam in fructibus ſolvant pretium locationis. Et licet de his magis quam de alijs probabile ſit quoad fructus nulla gaudere immunitate , ut tenet de Graſſis cum pluribus *nu.* 62. quia fructuum omnium proprietas, & dominium verè conductoris eſt , & nullo modo locantis , qui jus habet tantùm ad pretium locationis , attamen, quia non ſervata immunitate , per indirectum ſequitur præjudicium Eccleſiaſticis , qui cogeretur locare eodem pretio, quo laici obligati oneribus locant , ideò tenendum eſt. hos gaudere immunitate juxta declarationem in dicta Oppidenſi ſuperius relata.

10 Tandem alij ſunt coloni conductores in emphyteuſim, & de his Alterius *loco citato dub.* 6. Bonacina alios adducens *in Bull. Cœn. can.* 18 *pun.* 3. §. 1. *nu.* 9. Avendagnus, Velaſcus, Caroccius, & Rolandus apud Dianam *reſol.* 24. & alij quatuordecim Doctores apud Carolum de Graſſis *nu.* 74. non ſolùm quoad omnes fructus, ſed etiam quoad ipſa prædia conducta aſſerunt ſubjici oneribus, licet Bonacina cum quibuſdam excipiat , quando eſſet cum præjudicio Eccleſiæ , & damno , ut quia ob hujuſmodi onera minori pretio in emphyteuſim concedere cogeretur. Quod tamen præjudicium neſcio , an poſſit à locatione ſeparari , quàm ob cauſam non recipiunt prædictam ſententiam Ugolin. *ad d. can.* 18. *Bull. Cœn.* § 4. de Graſſ. *num.* 7 . & ſexdecim Authores apud eum , & Felician. de Solis cum alijs *de cenſur. tom.* 2. *in add. lib.* 1. *præf. num.* 1. *& ſeqq.* Probant , quia dominium utile bonorum tranſlatum eſt. Unde benè excipit Bonacina, ſecus eſſe de oneribus dominium directum reſpicientibus. Tranſlato autem per contractum cenſuarium, aut alio modo, dominio bonorum , ceſſat omnis bonorum exemptio , etiamſi aliquod jus remaneret Eccleſiaſtico alienanti , ut jus redimendi , jus recognitionis , ſuperioritatis , &c. Et id vult cum Feliciano Diana *in fine cit. reſol.* 24. Nihilominus ratione connexionis dominij utilis cum directo emphyteutam Eccleſiæ non teneri ad collectas, & onera realia per ſtatuta laicorum ſuper rebus & bonis impoſita , judicavit S. Rota Romana die 28. Maij apud Anton. de Marinis *quotid. reſol. cap.* 207. *num.* 4. & anteà in Romana domus de Scappucijs 19. Januarij 1611. cctam Coccino , traditque Sperell. *dec.* 121. & reſolvit Sec. Congregatio Immunitatis tum alias, tum præcipuè in Imoleñ 27. Maij 1654. fuitque aliàs ſub die 18. Decembris 1668. Epiſcopo Senogallienſi ab eadem S. Congregatione reſcriptum , ut tueatur ad tenore decretorum , quod ſcilicet bona emphyteutica Eccleſiarum , & Eccleſiaſticorum non poſſunt à laicis collectari. Decreta in fine hujus Conſultationis adducemus , ubi alia pro emphyteutis ejuſmodi. Tametſi non deſint ut ante diximus , qui defendant , emphyteutam non teneri ad ſolutione collectarum , quando collecta imponitur ratione prædiorum , in quibus reſervatum eſt Eccleſiæ dominium directum, ſecus verò ſi illa imponatur pro utili dominio , ideſt ratione fructuum, ut latè per Bellett. *in diſq. Cler. tit. de exempt.* §. 8. *ſub num.* 5. & alij ſupra citati.

11 De oneribus verò impoſitis colono pro habitatione, ſive civitate dubitatur. Et quod ad illa teneatur multi ſunt qui doceant , quia in hoc nihil intereſt Eccleſiæ, neque aliquo modo læditur , ſive conſideretur Eccleſiæ privilegium tamquam perſonale , ſive tamquam reale, Cardin. *in Clem.* 1. *num.* 21. *qu.* 22. *de decim.* Bald. *conſ.* 31. *in fin. lib.* 1. Abb. *in cap. ex parte num.* 4. *&* 5. Bertachin. *de gabel. p.* 7. *num.* 16. cum alijs , quos refert ac ſequitur de Graſſ. *eff.* 3. *num.* 62. & Menoch. *conſ.* 276. *num.* 7. Collecta enim , quæ imponitur pro habitatione eſt merè perſonalis tamquam impoſita civibus , qui munera Civitatis ſubeunt ratione habitationis , Bartol. *in tr. de repreſal. q.* 2. *num.* 7. Soccin. ſen. *conſ.* 292 *nu.* 4. *lib.* 2 Ruin. *conſ.* 209. *num.* 12. *lib.* 2. *conſ.* 120. *num.* 7. *lib.* 4. Menoch. *conſ.* 1060. *num.* 33. *&* 39. Unde cùm hujuſmodi munera perſonalia propria ſubeant cives , certum eſt , quod Coloni Eccleſiaſticorum non deſinunt per coloniam eſſe cives , ideòque ad hujuſmodi onera perſonalia ratione habitationis tenentur , *l.* 2. *C. de muner. & honor. lib.* 2. Petr. Antibol. *de muner. p.* 2. *num.* 7. *tom.* 12.

12 Præſertim ſi agatur de colonis temporalibus, non autem perpetuis, aut adſcriptis glebæ, qui ſoli ſunt exempti à juriſdictione laici , Specul. *de compet. Iud.* §. 1. *num.* 27. Archid. *in cap. Clericum* 11. *q.* 1. Alber. *in l.* 1. *de Epiſc. & Cler.* Abb. *in cap. non minus num.* 14. *in fin. de immun. Eccleſ. & in cap.* 2. *nu.* 5. *de for. comp.* ubi etiam Butr. *num.* 4. Aretin. *num.* 8. Clar. *in pr. crim.* §. *fin. q.* 35. de Graſſ. *loc. cit. num.* 62. *& eff.* 1. *num.* 149.

13 Et ſicut non ſunt exempti à juriſdictione ſæculari, ita nec à collectis, quæ imponuntur per ſtatuta laicalia; nam forum ſortiri & ſtatutis adſtringi pariter incedunt, Gloſ. *in cap. quod Clericis , de for. comp.* Alex. *conſ.* 157. *num.* 15. *vol.* 2. Cravet. *conſ.* 441. *num.* 4. Cæphal *conſ.* 309. *num.* 66. *& conſ.* 516. *num.* 7 Purpur. *conſ.* 320 *num.* 8 Menoch *conſ.* 74. *num.* 3. *& conſ.* 364. *num.* 10. Becc. *conſ.* 62. *num.* 7. ac Theſaur. *dec.* 123. *num.* 11. Siquidem collectarum impoſitio eſt actus juriſdictionis , qui exercetur à Superiori in ſuos ſuos ſubditos , Alex. *conſ.* 78. *num.* 8. *lib.* 6. Socin. *conſ.* 129. *num.* 1. *lib.* 2. Surd. *conſ.* 262. *num.* 27. ac Rot. *dec* 63. *nu.* 8 *p.* 5. *rec.* Præcipuè ſi cauſa impoſitionis ſit publica , publicamque reſpiciat utilitatem, quo caſu Clericos & perſonas eccleſiaſticas teneri , probatur per textum *in l. neminem , & l. ad inſtructionem , C. de ſacroſ. Eccleſ.* ubi notant Bald. Cyn. & alij , idem Bald. *in* §. *ad hæc ſancimus num.* 1. *in auth. de Eccleſ. & in cap.* 1. §. *Imperiali num.* 15. *de pac. Conſt* Felin. *in cap. Eccleſia S. Mariæ num.* 106. *de conſtit* Bertachin. *de gabel. d. p.* 7. *princ. q.* 7. *num.* 11. & notant Canoniſtæ *in cap. non minus , de immun. Eccleſ.* Nat. *conſ.* 2. *num.* 1. *& conſ.* 180. *num.* 6. Sylvan. *conſ.* 30. Oſaſch. *dec.* 184. *num* 4. *& ſeqq.*

14 Et quamvis non deſint , qui teneant contrarium , tamen quod ſi non per viam juriſdictionis ſaltem per viam dictaminis rationis , aut ex jure canonico teneantur ad ſubeunda hæc onera, quando communis utilitas Clericorum & laicorum ſimul, tradit Surd. *conſ.* 301. *ſub num.* 29. *&* 30. In illis autem caſibus , in quibus Clerici obligantur ad ſubeunda onera , multò magis obligantur

coloni

coloni Eccleſiaſticorum, in quibus non militat ratio juriſdictionis, Lud. Cat. *conſ.*740.*num.*5.inter *conſ. Riminal.ſen.lib.*4.Carol.de Graſſ.*d.eff.*3.*num.*67.ex regula vulgari, quod nemo plus juris in alium transferat, quàm ipſe habeat, *l. nemo plus, ff. de regul. jur.* Maximè cùm collectentur, ut cives, & habitatores, non ut Coloni Eccleſiaſticorum, nec plus, aut magis alijs cives, ut ponderat Sperell *dec.*42.*num.*17.*& ſeq.*

15 Neque eſt attendendum, quod inde Eccleſiaſtici per quandam conſequentiam & ſecundario damnum aliquod ſentiant, ſive lucrum facere impediantur. Nam hujuſmodi damnum non attendi, deducitur ex *lib.* 1. *ff. de author.tut.l.*1 § *demonſtrari, ff.de ventr.inſpic.* & pluribus Jaſ. *in l.quoties col.fin.de judic.* Gloſ.Alex. & alij *in l. de unoquoque, ff. de re judic. & in l. Quamvis, de pact.* Felin. *in c.Cum M.col.*13. *de conſt.* Eſtque ad idem textus *in l.* 1. §. *ſimili modo, ff.de his, quæ fraud. cred. l.* 1. §. *Si manumiſſio in fin.ff.quar.rer.amot. act.non dat.* Paul. de Caſtr. *conſ.* 357. *lib.* 2. Sic ſecundarium hoc damnum ſentit Eccleſia, quæ cùm alienaverit laicis bona penes ſe immunia, oneribus illa deinceps ij fecerint obnoxia cum damno proculdubio ejuſdem Eccleſiæ, quæ ſi alienare cum libertate non prohiberetur, carius venderet, tamen damnum ipſum conſiderari non poſſe, liquet ex traditis per Jaſ. *in auth. quas actiones, C.de ſacroſ. Eccleſ.* Bertach. *de gabel. d. p.* 7. *q.* 7. & Boer. *dec.* 213.*num.* 18. Quia immunitas Eccleſiaſticorum eſt perſonalis, nec præjudicium allegari poteſt quod ex re effecta contingit, ut in hoc caſu, in quo agitur de collectando Colono ſubdito laico ob ſeipſum, & non ob Eccleſiaſticum, quod ſi hujus colonus magis gravaretur, quàm colonus laici, non eſſet inficiandum, quin læderetur eccleſiaſtica libertas, de quibus latè apud Sperel. *d. deciſ.* 42. ubi alios cumulat.

16 At nihilominus non teneri ad hujuſmodi onera, verius eſt. Quia vel ſunt merè perſonalia, vel mixta. Si merè perſonalia magis communis opinio eſt, eos eſſe immunes, Rimin. ſen. *conſ.*740.*num.*12. & 13.*lib* 4. Surd. *d.conſ.*101.*num.*90. & fuit reſolutum à Sac. Congregatione Immunitatis in Caſaneñ 18. Auguſti 1637. Si mixta, ratione quidem exercitij in bonis cultis ſunt etiam immunes ab ejuſmodi oneribus, Graſſ. *d.eff.*3. *num.*51. Ciarlin. *contr. for. cap.* 22. *num.*21. & Sperell. *d. dec* 42.*num.*50.*& ſeq.*

17 Decreta Sac.Congregationis Immunitatis conferamus ad comprehendium. Coloni Eccleſiaſticorum partiarij gaudent privilegio fori, & exemptione ab exactionibus in Neocaſtreñ 13 Auguſti 1629. in Urbevetana 29. Decemb. 1625. in Firmana 20. Januarij 1654. in S.Agathæ Gothorum 16. Julij 1626. in Viterbieñ 6. Decembris 1627. & in Fulginaten 7. Novembris 1651.

18 Eximuntur ab oneribus, contractibus Communitatis in Cervieñ 20.Martij 1630.

19 Eximuntur à ſolutione affidæ & aliarum impoſitionum in Spoletana 9. Octobris 1629.

20 Eximuntur à portione colonica in Placentina 12. Novembris 1652.

21 Non tenentur ad gabellam furni, ſeu focularij in Auximana 25 Maij 1655.

22 Nec ad ſolutionem affidæ pro animalibus proprijs, niſi Civitas ſit verè domina paſcuorum, & affida ſit primum herbarum. ibid.

23 Coloni non poſſunt conſcribi inter milites in Peruſina 11. Decembris 1646.

24 Eximuntur ab hoſpitatione militum in Rhegieñ 14. Decembris 1649.

25 Eximuntur ad onere Ærariatus & alijs oneribus perſonalibus in Boxineñ 1. Septembris 1648.

26 Non ſunt privandi quaſi poſſeſſione non ſolvendi affidas, & juris paſcendi in Macerateñ 18.Februarij 1653.

27 Eorum animalia eximuntur à ſervitio publico viarum Maceraten 15. Decemb. 1654.

28 Non tenentur ad ſervitia ſordida in Cæſenateñ 16. Julij 1626.

29 Neque ire ad molendina Communitatis in Urbevetana 25. Maij 1655.

30 Eximuntur ab angaria tranſportationis palearum in Recineteñ 22. Junij 1655.

31 Eximuntur à ſolutione macinatus pro rebus inſervientibus culturæ Monialium in Auximana 4. Novembris 1631.

32 Coloni Monialium eximuntur à gabella juris paſcendi pro animalibus Monialium tantùm in Spoletana 18. Julij 1629.

33 Ex Sac. Congregatione ſuper Epiſcopis in Oppideñ 18. Septembris 1618. Coloni, aut affictuarij, vel partiarij bonorum eccleſiaſticorum exemptione collectarum tam ordinariarum, quàm extraordinariarum pro portione colonica gaudent.

34 Ex Pio V.Conſt.10 ſub 18. Kal.Decembris 1566. Coloni, arrendatarij,locatarij, affictuarij, negociorum geſtores Ordinum Mendicantium ſunt immunes à cunctis exactionibus tam ruſticis, quàm urbanis.

35 Bona emphyteotica Eccleſiaſticorum non poſſunt à laicis collectari. Sac. Congr. Immunit. in Balneoregieñ 15. Februrij 1633.

36 Fundus patrimonij emphyteutarum non poteſt collectarij eadem Sac. Congregatio in Caputaqueñ 27. Auguſti 1627.

37 Molendina & alia ædificia Eccleſiæ ſunt exempta ead. L.Congr.in Montis regalis 15. Januarij 1647.

38 Bona Eccleſiarum in emphyteuſim conceſſa ſunt immunia ab oneribus laicalibus ead.Sac.Congreg.23. Julij 1652.

39 Cognitio cauſæ ſuper bonis emphyteuticis ſpectat ad Judicem eccleſiaſticum eadem S.Congr.in montis Faliſci 14. Janarij 1634.

40 Emphyteuta Eccleſiaſticorum eximitur ab oneribus Communitatis eadem S.Cong.in Imoleñ 27.Maij 1954. & in Oppideñ 29. Maij 1646.

41 Emphyteuta Eccleſiæ non poteſt recedere à foro eccleſiaſtico eadem S.Congr.in Caſaleñ 14.Febr.1628.

42 Emphyteuta Eccleſiæ non poteſt declinare forum reſpectu ſolutionis Canonis, vel quando agitur de dominio Eccleſiæ, & Statutum & conſuetudo,vel edictum Principis ſæcularis, quo prohibetur extractio fuctuum extra territorium non comprehendit Eccleſiaſticos eadem Sac.Congreg. in montis Faliſci 24. Jan. 1634.

43 Cognitio cauſæ ſuper bonis emphyteuticis Eccleſiaſticorum ſpectat ad Judicem eccleſiaſticum privativè quoad alios, etiamſi dubitetur, dicta bona eſſe emphyteutica, cùm iſta cognitio ſpectet ad eccleſiaſticum. Eadem S. Congr. in Oppideñ 23. Julij 1652.

44 Bona Eccleſiaſticorum, & locorum piorum in emphyteuſim laicis conceſſa, ſive canones, qui pro dictis bonis ſolvuntur, licet ſint tenues, ſivè fructibus correſpondentes, eſſe exempta ab omnibus oneribus,& impoſitionibus laicalibus. Ibidem.

45 In dicta Caputaqueñ 27.Auguſti 1627. Epiſcopus ratione feudi emphyteutici non permitat collectari.

46 Emphyteutæ bonorum Eccleſiaſticorum gaudent immunitate ab oneribus laicalibus. Eadem S. Congregat.in Imolen. 27.Maij 1654.& in Oppideñ 29. Maij 1646.

47 An meri laici poſſint conveniri in foro eccleſiaſtico ob bona emphyteutica, & reddita Eccleſijs quoad dominium directum. S. Congregatio cenſuit, affirmativè in Carioleñ 4. Septembris 1668.

48 Die 24. Maij in Caſalen Ad 1. reſpondit, Colonos perſonarum eccleſiaſticarum teneri ad ſolutionem oneris nuncupati *del Taſſo* pro bonis proprijs dumtaxat.

49 Ad 2. Eos colonos teneri ad ſolutionem oneris unius ſolidi pro bobus tantum proprijs, non deſtinatis ad culturam bonorum perſonarum eccleſiaſticarum.

50 Ad 3.Non teneri ad ſolutionem oneris ſex denariorum

ratione induſtriæ, & exercitij, quod habent ratione culturæ bonorum earundem perſonarum eccleſiarum.

## CONSULTATIO LI.

*An & quatenus Coloni, ſervi famulive Eccleſiæ, Cardinalium, Epiſcoporum, & Clericorum gaudeant fori privilegio?*

1 IN hac quæſtione duo videntur prius adnotanda. Primum Aliud eſt ratione ſervitutis, vel familiaritatis participare privilegium fori. Aliud ratione earundem cogi ad judicia Eccleſiaſtica, eòquia cauſæ vel crimina ad forum eccleſiaſticum ſpectent, utpotè verſantia circa res, vel perſonas Eccleſiaſticorum. Illud enim inducit favorem, de quo quærimus. Hoc verò inducere poteſt odium, ut quando talis ſervus vellet potius coram Judice laico conveniri. Unde in primo caſu quis judicatur coram Judice eccleſiaſtico, quia participat privilegium fori. In ſecundo verò, quia cauſa de ſe ad eccleſiaſticum forum ſpectat. Non rectè igitur aliqui ex eo, quod horum quædã cauſæ corã Judice eccleſiaſtico diſcutiendæ ſunt, inferũt, eos gaudere privilegio fori. Secundum. Eſt diſtinctio inter ſervos Eccleſiæ, & ſervos proprios Clericorum in temporalibus. De prioribus enim, qui Converſi, Oblati, Donati, aut Deo devoti dicuntur, alibi egimus. De poſterioribus autem nunc agendum. Hos autem multi confundunt. Alij autem malè in privilegijs priorum inferunt communicationem poſteriorum. Et tandem plures Doctores referuntur pro ſententia affirmante, ſervos Clericorum gaudere privilegio fori, qui tamen ſolùm loquuntur de ſervis Eccleſiæ, ſacro ſervitio addictis.

2 Eſt igitur multorum ſententia, quod ſervi omnium generaliter Clericorum fruantur eorum privilegio fori, ſi ſint perpetui, ut mancipia, vel etiam in ſervitio permanenti, & de domo, & menſa eorum Immò etiam Ruſtici, & Coloni, ſi eaſdem conditiones habeant. Secus de ſimpliciter ſervis ac dietim ſervientibus, Coloniſque & conductoribus, qui de domo Clericorum non ſunt. Ita Gloſſa, Arahidiaconus, & Præpoſitus *in c. Clericorum c.11.q.1.* Gloſſ. *in cap. Eos 11.d.* Hoſtien. *in ſum. de for. comp. § quibus ex cauſis col.6.* Capyc. *dec.12.* Grammat. *vot. crim. 33.* Barbat. *in addit. ad Abb. in cap.2. de for. comp.* Soccin. *in cap.1. & 2. eod. tit.* Marant. *de ord. judic. p.4. diſt.11. num.4* Sum. Angel. *v. Clericus, § 14* Cardinal. *in clem. 1. q.17. de vit. & honeſt.* Bald. *in l.2. not.3. C. de Epiſc. & Cleric.* Alberic. *in l.1. C. eod.* Calcan. *conſ.70.* Epiſcop. Minoric. *in pr Epiſ. v. Epiſcopus, § Decimoprimo p.1.* quos citat & ſequitur Martha *de juriſd. p.4. caſ. 19.* ubi ait, quoad mancipia & ſervos perpetuos nullam eſſe difficultatem apud Doctores. Quibus adde Gloſſam *in cap. 2. v. Minores, de for. comp. & l.1. & 2. C. de Epiſc. & Cler.* Cunfirmaturque à ſimilibus. Regulariter quippè libertus ſequitur heri forum ex *d. l. 2. & ex l. aſſumptio, ff. ad municip.* Et privilegia conceſſa ſcholaribus in *auth. Habita, C. ne filius pro patre*, quoad declinatoriam fori, & alia ibi contenta, extenduntur ad eorum ſervos, ibi: *tam ipſi, quàm eorum nuntij.* Et ſcutifer, ac familiares militum gaudent militum privilegio, ut notat Baldus, Cynus *in l.1. C. ne uxor pro marito.*

3 Immò extendunt id aliqui, inter quos Durad. *ad Bull. Cœn. can.15. q.7. num.10.* ad uxorem Clerici conjugati non ſolùm græci, ſed etiam latini in minoribus conſtituti, ſi ſimul cohabitent juxta Abb *in cap.2. nu.7.* & Barbat. ad ipſum *de for. comp.* Quin Abbas hos intelligit etiam de jam uxore Sacerdotis latini, quando de cenſenſu uxoris maritus ſeparatur, & ad ſacros ordines promovetur. Ratio autem, quia vir & uxor ſunt una caro, ideòque eidem foro debent eſſe ſubjecti, *arg. l. fin. C. de incol.* ubi uxori ſtatuitur forus mariti, ibi, *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere notabilitamus, & forum ex eorum perſona ſtatuimus.* Idemque ſentiendum alij putant de filijs, immò & de concubinis per Gloſ. *in cap. Eos, qui 32 d.*

4 In ſpecie autem famulos domeſticos, ac familiares Cardinalium gaudere privilegio fori tenet Julius Clar. *in pri crim § fin. q.35. num.11.* ex Cardinali *in Clem. Ne Romani, de elect.* Et quod familiares Epiſcoporum eſſe communem opinionem Canoniſtarum *ad cap. Dilecto, de offic. Archid.* per illum textum teſtatur Marth. *d. caſ.19.* Quod anteà teſtatus fuerat Abb. *in cap.2. num.6. de for. comp.* ubi Felin. & alij. Citantque alios pro eadem ſententia Clar. *loc. relat.* Farinac. *de inquiſ. tr.1. q.8. num.46.* Ambroſ. *de immun. cap 22. num.13.* Carol. de Graſſ. *de effect. Cler. eff.1. num.128* Mar. Antonin. *lib.3. var. reſol.37.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p.3. cap.107. num.9.* ubi hoc extendit ad Notarios Curiæ Epiſcopalis, Fiſcalem, Cuſtodes carcerum, lictores, alioſq; conſimiles miniſtros neceſſarios pro regimine Tribunalis tam in civitate, quàm in diœceſi juxta declarationes ſacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, præſertim in una Oſthuneñ 6. Auguſti 1602. & in Sorana 25. Aprilis ejuſdem anni, & in Meſſaneñ 16. Septembris 1622. & in Turritana 10. Martij 1624. & S. Congregationis Immunitatis in Bellicaſtreñ 4. Decembris 1629. Dummodò non ſint ab Epiſcopo excogitati de novo, puta Commiſſarius feſtorum, Architectus Eccleſiæ, ſarcinator paramentorum, & ſimiles juxta aliam declarationem ejuſdem S. Congregationis ſuper Epiſcop. in Cathaceñ 3. Julij 1609. de quibus nos alibi fuſiùs. Quare ſutores, calcearij, ac ſimiles artiſtæ Univerſitatibus, Collegijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, & alijs locis pijs, aut eccleſiaſticis inſervientes, non gaudent privilegio fori, vel Conſervatoriarum, ſi ſuis ſumptibus extra dicta loca morantur, ut declaravit S. Congregatio Concilij 13. Januarij 1618 in Tarraconeñ *ex cap. Quidam 32. de privil.* Alij tandem idem privilegium extendunt ad duos familiares Referendariorum utriuſque Signaturæ, non ſolùm ex generali ratione familiaritatis Clericorum, ſed etiam ex ſpeciali diſpoſitione Pauli III. in Conſtit. *Debita conſideratione.*

Non deſunt tamen, qui ſentiant oppoſitum. Suntque 5
Abb. *in cap.2. de for. comp.* Frider. de Sen. *conſ.19.* Aufrer. *de poteſt. ſecul. in Eccleſiaſt. reg.2. num.36.* cum alijs adductis ab Octavian. Vulpel. *in tract. de libert. Eccleſ. p.3. num.14.* ab Jo. Ant. Nigr. *in repet. Extravag. un. de vit. & honeſt. Cler.* & Clar. *d. q.35. verſ. quarto nota*, quos omnes citat Martha *ubi ſupra*, ita tamen, ut loquantur tantùm quoad famulos conductitios, non autem quoad mancipia. Sed generaliter loquitur pro hoc Bonac. *de cenſur. in part. diſp.1. q.16. pun.3. num.7.* & Suar. *lib.4. defenſ. fid. adverſus Anglos cap.29. num.10.* referens ad idem Felinum, Abbatem, Archidiaconum, & Clarum ſupracitatos. Nititur autem Suarez, quia ex vi juris communis nullibi repetitur tale privilegium ſervis, familiaribus, domeſticiſq; communicatum, & affert optimam cõjecturam, quod de facto poſt Concilium Tridentinum non gaudeant. Si enim Concilium *ſeſſ 23. cap. 6. de refor.* non vult gaudere Clericos in minoribus conſtitutos, ni habeant tales, vel tales conditiones, ſine quibus adhuc ſunt perſonæ eccleſiaſticæ, multò minus poterit ſervus laicus tali privilegio frui.

Et quidem in jure non ſatis expreſsè arbitror cautum, 6
quod ſervi hujuſmodi eo privilegio gaudeant. Quippè ex *cap. Eccleſiarum ſervos 2. q.2.* non aliud colligitur (& quidem ſermo eſt de ſervis Eccleſiæ, non Clericorum) gravandos non eſſe oneribus labore corporis exequendis. Quod ſi, ut vult Gloſſa, etiam inde infertur, non eſſe alijs oneribus vectigalium, collectarum afficiendos, id non arguit exemptionem fori in judicijs. Quia immunitas ab oneribus competit eis ratione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ conducunt, ſeu colunt. In *c. Judicatum 89. d.* ſupponitur quidem convenire Eccleſiaſticis pro ultione ſuorum ruſticorum, qui à conductoribus prædiorum Eccleſiaſticorum vexati fuerant, in dictos conductores procedere. Sed id non eſt, quia ruſtici privilegio fori gaudeant. Siquidem etiam conductores foro eccleſiaſtico ibi adiudicantur. Sed quia agebatur de deprædationibus, & damno bonorum Eccleſiaſticorũ,

quæ

quæ cauſæ ſpeciale quid habent, ut etiam coram Judice eccleſiaſtico definiri conveniat, ex *cap. Cum ſit generale, de for. comp.* Quod etiam notavit Gloſſ. *ibi v. Inter eos.* Et tandem *in cap. 2. eod. tit. de for. comp.* præter alias interpretationes, de quibus alibi, Gloſſa, Abbas, Felinus, & alij, qui citantur, tamquam interpretantes verbum *Minores* de ſervis Clericorum, loquuntur tantùm de ſervis Eccleſiæ, illis ſcilicet perpetuò adſcriptis, & oblatis in ſervitium ſpirituale, non autem de ſervis Clericorum in ſervitio temporali. Quod verò ad illas leges civiles *C. de Epiſc. & Cler.* loquuntur de mancipijs Clericorum, quæ exempta dicuntur non à foro, ſed à tributis, & oneribus, quatenus inter bona Clericorum computantur, ut ſcilicet pro illis non teneatur Clericus ſolvere tributum, nec ea concedere in publicis oneribus, ſicuti non concedit domum ad hoſpitandum milites, boves, equos & cætera in publicis laboribus. Negandum deniq; libertum ſequi forum heri, ut ſi herus ſit Eccleſiaſticus, de foro Eccleſiaſtico debeat eſſe etiam libertus. Sed illud ad ſummum reperitur diſpoſitum inter ipſa Tribunalia ſæcularia, ut ad eundem particularem laicum Judicem vocetur libertus, ad quem vocaretur dominus. Cætera exempla nil ſuadent. Nobis enim ſatis eſt, non reperiri expreſſam hanc extenſionem privilegij fori pro ſervis Clericorum, ſicuti reperitur pro illis, qui adducuntur in exemplũ aliorum privilegiorum, cùm tamen eo, quod ſit res multi momenti, debuiſſet reperiri.

7 Idem de uxoribus, concubinis, & filijs dicendum eſt. Eſſe enim duo in carne una per conjugium, aut concubitum non faciunt, quin uxor, aut concubina remaneant perſonæ diſtinctæ & laicæ, ac proinde coram laici conveniendæ. Nec *l. fin. C. de incol.* extenditur ad forum eccleſiaſticum, ſed inter laicos decernit ad eum vocandam eſſe uxorem, ad quem vocaretur maritus. Quoad concubinas etiam nihil aliud verum eſt, niſi quod ratione criminis concubitus cum Clerico fit in hoc de foro eccleſiaſtico, quia ad ipſum pertinet de tali crimine cognoſcere.

8 Quoad familiam Cardinalium ait Bonacina *d. num. 7.* ſe à fide dignis viris audiviſſe tunc temporis, nec etiam Romæ manuteneri illi præſumptam communicationem privilegij fori, & contra illam teſtatur Farinac. *cit. q. 8. num. 46.* Carol. de Graſſ. *cit. eff. 1. num. 137. & ſeqq.* & Scacc. *de Judic. p. 1. cap. 9. num. 22.* Quoad familiam Epiſcoporum non ſuffragatur illud *cap. Dilecto, de offic. Archid.* Ibi enim nihil aliud habetur, niſi quod petebat Archidiaconus Senonenſis juriſdictionem ſuper quodam Monaſterio, & nullum eſſe prius apud Archiepiſcopum conveniendum, quàm apud ſe. Reſcribit autem Pontifex, nonniſi circa cauſam Monaſterij, & ait, legitimam conſuetudinem ſuper hoc examinandam eſſe, & ſervandam; ſi talis detur. Nihil autem dicitur de jure. Poſtremò quoad familiares Referendariorum dicendum eſt, vel privilegium illius Conſtitutionis non fuiſſe uſu receptum, vel nunc eſſe abolitum, vel prædictos non eximi ibi à laica poteſtate, ſed tantùm ab eccleſiaſticis Judicibus inferioribus, ut immediatè ſoli Summo Pontifici ſubijciantur, ut ſe perpendiſſe ex tenore Conſtitutionis, ait Bonacina *d. numer. 7.* Sed quia expreſsè dicitur: *Etiam laica quacumque fulgens dignitate*, fatemur eximi quidem à laica poteſtate, non ita tamen, ut communicetur generale privilegium fori, de quo loquimur, ſed ut ſoli Pontifici ſubijciatur, pro quo non ſolùm de cæteris Judicibus eccleſiaſticis, ſed etiam de laicis mentio erat neceſſaria.

Concluditur ergo cum Suarez loco citato quoad omnes prædictos conſuetudini ſtandum eſſe, quæ poteſt quod & lex. Immò conſuetudo in materia hac, utpotè favorabilis Eccleſiæ, cenſenda eſt facilè ſubſiſtere.

10 Hinc Doctores in hac re graviter inter ſe diſſentiunt. Farinacius enim *in tr. crim. lib. 1. q. 8. num. 46.* quem refert Ricc. *dec. 192. p. 2.* aſſerit hoc fori privilegium minimè concedi famulis Clericorum, ſed tantùm Epiſcoporum. Idem etiam tenent Bobadil. *lib. 2. cap. 17. num. 7.* Calcan. *conſ. 72.* Capyc. *d. dec. 12. num. 1.* Theſaur. *dec. 22.* Gratian. *dec. 133. num. 2.* Tuſch. *tom. 3. lit. E. concl. 27. nu. 31.* Guazzin. *tom. 1. def. 20. c. 9. num. 23.* & Aufr. *d. reg. 2. num. 36.* Idque ob perſonæ dignitatem, cui multa conceduntur, quæ non conceduntur alijs ex *cap. fin. de ſent. & re jud. in 6. cap. fin. de privil. eod. & cap. Quia periculoſum, de ſent. excom. pariter in 6.*

Quamplures verò diſtinctione utuntur. Nam aut ſervi, coloni, & famuli ſunt perpetuò Clericis, & Eccleſiæ obligati, & tunc eo privilegio gaudere cenſent Gloſſ. *in d. c. Iudicatum d. 99.* Menoch. *de arb. cent. 6. caſ. 562. num. 3.* Caravit. *rit. 46. num. 27.* Bellet. *p. 1. diſ. Cler. fol. 227. v. 12.* Theſaur. *d. dec. 22.* & alij poſt Abb. & Felin. *in cap. 2. de for. comp.* apud de Graſſ. *d. eff. 1. num. 149.* Aut non ſunt perpetui, ſed ad tempus conducti annua, vel menſtrua mercede, & hoc caſu privilegio fori eos non gaudere, tradunt Capyc. *d. dec. 12.* Clar. *d. q. 35.* Covar. *pract. qq. cap. 35 num. 2.* & alij. Plerique tamen eo gaudere defendunt. Quia iſto caſu familia non gaudet privilegio propter ſe, ſed propter favorem domini ſui. Quæ ratio militat tam in familiaribus, colonis, ac ſervis perpetuis, quàm ad tempus. Ita Gloſſ. *in d. c. eos, d. 32. & d. c. Clericum 1. 12. q. 1.* Rebuf. *de privil. ſchol. privil. 166.* Menoch. *d. caſ. 562. num. 8.* Caravit. *d. rit. 46. num. 27.* & alij. Quamvis de Graſſis *num. 150* hanc opinionem in ſervis conductitijs admittat, quando Clericus non poſſet commodè uti ſuo privilegio, niſi etiam eo utantur ſui familiares, coloni, & ſervi ex Felin. *in cap. 2. de for. comp.* & de Nigr. *in d. Clem. un. de vit. & honeſt. Cler. num. 93.* 11

Tenendum nihilominus eſt, tam de jure quàm de conſuetudine ſolos famulos, colonos, & ſervos Eccleſiæ, Cardinaliũ, & Epiſcoporum, durante famulatu, colonia, & ſervitio, gaudere fori privilegio in delictis etiam extra ſuum officium commiſſis ex Doctoribus, quos citat Menoch. *loc. alleg. nu. 7.* & ſequitur Dian. *p. 3. tr. 1. reſol. 47.* & Narbon. *in 3. p. recopil. lib. 4. tit. 1. l. 20. gloſſ. 1. num. 27.* & del Ben. *de immun. cap. 4. dub. 15. ſect. 1. num. 28.* Et declaravit S. Congr. Immunitatis ſub die 6. Decembris 1627. nempè Sacra &c. *cenſuit, Colonos Epiſcoporum, durante colonia, etiam fori privilegio gaudere.* Idem quoad Colonos partiarios Cardinalium ob eorum dignitatem ſentimus. Quoad Colonos verò Clericorum, aliorumve Eccleſiaſticorũ in civilibus conveniuntur coram Judice laico, in criminalibus ſecundùm conſuetudinem, prout cenſuit S. Congregatio ſuper Epiſcopis in Rheginen. & Firmana 21. Februarij 1581. Siquidem Coloni partiarij Cardinalium, & Epiſcoporũ peculiari privilegio eorundem Cardinalium, & Epiſcoporum gaudent privilegio fori. Quod indubitatum cenſetur de jure ex *d. d. c. fin. de effic. Archid.* ubi Abb. *nu. 5. c. Judicatum 89. d.* Burſat. *conſ. 25. num. 2.* Theſaur. *d. dec. 22.* Surd. *dec. 35. ſub nu. 8.* ubi reſpondet objectioni, quod non morentur in eadem domo. Quodque paſſim SS. Congregationes Concilij, Immunitatis, & Epiſcoporum approbarunt, ea ratione, quia cùm habitent in domibus bonorum menſæ Epiſcopalis, & ſe alant ex fructibus eorundem bonorum, dicuntur de familia ipſius Epiſcopi, ut per Burſattum ubi ſupra cum alijs apud ipſum. Quin imò cùm quæreretur in Sac. Congregatione Immunitatis, an delicta famulorum inſervientium Colonis menſæ Epiſcopalis, ſive Eccleſiaſticorum, commiſſa tamen in poſſeſſionibus eccleſiaſticis cognoſci debeant à foro laicali, Sac. Congregatio ſub die 25. Septembris 1663. in Auximana *reſpondit negativè, ſed ſpectare ad Curiam eccleſiaſticam.* At nihilominus pro Colonis etiam Eccleſiaſticorum extant decreta Sac. Congregationis Immunitatis: unde ſub die 13. Novembris 1668. in Urbanienſi ſcriptum Vicelegato, qui faciat illa obſervari, ſcilicet, quod Coloni partiarij menſæ Epiſcopalis, Eccleſiaſticorum gaudeant privilegio fori, dummodo ex fructibus coloniæ vivant pro majori parte anni. 12

Decreta ac reſolutiones Sacrarum Congregationum à 13

ms

me in arctum cellecta, ut legentes boni conſulant, hæc ſunt.

13 Epiſcoporum ſervi ſunt exempti ab oneribus perſonalibus. Sac. Congreg. Immun. in Bononien. 10. Novembris 16,8.

14 Servus Equitis Hieroſolymit. gaudet privilegio fori. Ead. in Aquilana 10. April. 1628.

15 Familiares Epiſcopi gaudent privilegio fori, & poſſunt deferre arma. Eadem in Montis Politiani 13. Julij 1647.

16 Familia laica Epiſcopi titularis gaudet privilegio fori. Eadem Sac. Congr. 17. Januarij 1628. his verbis: Sacra &c. cenſuit, familiares etiam Epiſcopi titularis gaudere debee privilegio fori, ita tamen ut conveniri debeant, & ſint puniendi ab Ordinatio loci in quo degunt, non ab Epiſcopo, ſeu Archiepiſcopo titulari.

17 Familiares advocati pauperum non gaudent fori privilegio. Eadem S.Congreg.in Interamnen. 6. Maij 1657.

18 Familiares Epiſcopi non poſſunt deleri juſſu & decreto Magiſtratus ſæcularis à numero ejuſdem Magiſtratus, neque privari quacumque prærogativa ex eo, quod recuſant acceptare officia dicti Magiſtratus. Eadem S.Congr. in Foroſempronien 1.Septembris 1671.

19 Familiares Regularium pro delictis antè familiaritatem commiſſis non gaudent exemptione fori. Eadem S. Congr.in Aſſiſien 15. Novembris 1672.

20 Famulus Vicarij generalis gaudet privilegio fori. Eadem S.Congr.in Ferentina 13. Julij 1467.

21 Famuli Clericorum ſunt exempti ab impoſitione, ut dicitur, à teſta. Sac. Congreg.in Roſſanen 24. Januarij 1645.

22 Famuli laici, qui inſerviunt alumnis Collegij Seminarij ſumptibus ipſius Collegij gaudent privilegio fori. Eadem S Congr.in Peruſina 23. Septemb.1653.

23 Familiares Cardinalium, & Epiſcoporum, etiam pro delictis extra officium commiſſis gaudent privilegio fori. Sac.Congr.Epiſcop.2. Martij 1611.

24 Fiſcalis, quem Epiſcopus tenet in aliqua Civitate, vel Caſtro, in quo ſpiritualem, & temporalem juriſdictionem exercet, tanquam ipſius Epiſcopi familiaris, gaudet privilegio fori, nec ad perſonalia Civitatis munia tenetur. Eadem Sac. Congreg. Epiſcop. 11. Decembris 1625. Nec pro debitis, vel delictis etiam extra officium commiſſis, capi, carcerari, vel judicari poteſt per laicam poteſtatem. Eadem Sac. Congreg. in Groſſitana 30.Septembris 1616.

25 Ad evitandas tamen occaſiones diſſenſionum cum ſæculari Curia, expediret, Epiſcopum non uti Officialibus laicis; præſertim uxoratis. Quia licet de jure regulariter uxor ſequatur forum viri, ut declaravit S. Congreg. Immun. 17. Juanuarij 16 8 in Neritonen, in executione tamen non deerunt difficultates. Eadem S.Congr.Epiſcop. in Oppiden 23. Junij 1620.

26 Et etiam archivi cuſtodiæ debet Epiſcopus præficere perſonam eccleſiaſticam. Eadem S.Congr. Epiſc. in Cathacen 26. Auguſti 1642.

27 Privilegia conceſſa per ſacros Canones miniſtris, officialibus, vel familiaribus Epiſcoporū ita ſunt clara, ut in dubium revocari non valeant, & in materia Immunitatis procedendum per viam cenſurarum, non autem capturæ. Ead S.Congr.Epiſcop.18. Maij 1603. & S.Congreg. Immun.14.Decembris 1626.

28 Familiares laici Epiſcopi ſunt exempti à laica juriſdictione. Eadem S.Congr Epiſcop.7. Junij 1595.

29 Familiam ſuam armatam licet Epiſcopo augere, dummodò tamen circa numerum & qualitatem eorum, quos ſibi duxerit aſſumendos, prudenter ac moderatè ſe gerat. S.Congregatio Concilij in Agrigentina 4. Decembris 1627.

30 Familiares Cardinalium actu ſervientes ſunt ab Ordinariorum juriſdictione exempti. Leo X.Conſt.10.ſub 4. N. Maij 1512. & coram Auditore Cameræ conveniuntur. Julius II.Conſt.28.5.Kalend. Aprilis 1512.

In Urbeverana 6. Martij 1635. & in Fulginaten 13. Julij 1637. Sacra &c. cenſuit, cognitionem cauſæ Macharij filij Coloni menſæ Epiſcopalis ſpectare ad Curiam Epiſcopalem. Idem declaratum in Ariminen 13. Julij 1631.

## CONSULTATIO LII.

*An Laicus offendens familiarem, vel miniſtrum Epiſcopi, vel Cardinalis puniendus ſit à foro Eccleſiaſtico?*

Diſtinguimus. Si offendit, ut talem intuitu officij 1
ſui in officij executione, puniendus eſt ab Eccleſiaſtico. Nam in hoc caſu offendit illius juriſdictionem, ac dignitatem, ideòque intrat concluſio, quod turbans juriſdictionem Judicis punitur ab illo Judice, cujus juriſdictio turbata eſt, ut per Menoch. *conſ.* 230. *num.*82. Eugen. *conſ.*31. & alios, ac cenſuit S. Congregatio Immunitatis in Anconitana 9. Junij 1671. & S. Congregatio Concilij in Panormitata his verbis: *Officiales Curiæ Epiſcopalis in actu excercendi ſuum officium offendentes, vel aliàs Epiſcopi juriſdictionem impedientes, etiamſi Milites Hieroſolymitani ſint, vel aliter exempti, ab Epiſcopo coerceri, & puniri poſſunt.* Si verò offendit ut privatus ex inimicitia, eſt delictum mixti fori, ideòque poteſt puniri à præveniente. Nam in hoc caſu læditur ſola perſona ipſius offenſi.

Diſparitas utriuſque caſus declaratur exemplis. Offen- 2
dens enim Conſiliarium Principis, ſi id faciat intuitu officij, eſt reus læſæ majeſtatis. Si ex inimicitia, non item, ut obſervant Fab. de Ann. *conſ.*67.*nu.*2.*vol.*1. Odd. *conſ.*88. & alij. Rurſus offendens miniſtros S. Oficij ex odio particulari extra officium, non includitur in pœnis Bullæ, *Si de protegendis*, ut docet Caren. *de mod. proced. in S. Offic. tit.* 6. §. 6. *num.* 23. Hinc cum in carceribus fori ſæcularis Narniæ detineretur quædam mulier cum alijs carceratis, ubi etiam reperiebatur ſuſpectus de hæreſi nomine S. Officij, contigit, quod claves carcerum ad manus carceratorum pervenerint, qui, januis reſeratis, aufugerunt, relicto ſolùm dicto ſuſpecto de hæreſi, qui in alijs ſecretioribus carceribus detinebatur. Sed is cum ſæpiùs requiſiviſſet dictam mulierem, ut vellet etiam ſibi aperire, tandem illi ſatisfecit, & ſimul cum alijs fugam arripuit, mulier tamen ſalvam ſe fecit in quadam Eccleſia. Ex quo inſurrexerunt duo quæſita. Primum, an debeat gaudere hæc mulier immunitate eccleſiaſtica. Secundum, an inciderit in Bullam, *Si de protegendis.* Et ad primum fuit affirmativè reſponſum, cum in dicta muliere non fuerit conſideratus ullus dolus. Et ita fuit decretum coram Eminentiſſimis Cardinalibus 13. Septembris 1645. Ad ſecundum fuit eadem die decretum, dictam mulierem non incurriſſe pœnas dictæ Bullæ, in qua requiritur, quod fuerit factum in contemptum S.Officij, qui contemptus nullo modo poteſt conſiderari in dicta muliere. Et denique offendens Romipetas, non ut euntes ad Romanam Curiam, non incurrunt excommunicationem Bullæ Cænæ, ut Doctores communiter cum Duardo *lib.* 2. *can.* 9. *q.*32. Et confirmatur à majori, quia laicus offendens Clericum puniri poteſt à Judice laico præveniente, ut ex generali textu *in cap.*1.*de comp.* obſervant Valboa *cap.*4.*num.*34. & alij, quos citat, & ſequitur Chartar.*dec.crim.*6.*num.* 2. contra Bartol *in l.*1.*num.*144.*C.de ſum.Trin.* Et hanc ſententiam tenent Farinacius, & Merlinus apud Diana *par.*6.*tr.*8.*reſol.*3.

## CONSVLTATIO LIII.

*De homicidio proditorio ad effectum privandi reum eccleſiaſtica immunitate multa curioſa, ac breviter excutiuntur.*

*Primò. An ſalutationes mutuæ per capitis detectionem, aliave ſigna, atque actus urbanitatis ſint ad aliquem metu liberandum, ut ſi occidatur, dici poſſit incautè occiſus?*

Secundò.

*Secundò. An occidens ſub fide data de non offendendo, excludatur ab immunitate? Ubi ejuſmodi fides quomodò probetur?* &

*Tertiò. An propter incertitudinem lethalium vulnerum à pluribus inflictorum locus ſit immunitati?*

1 AD primum affirmandum videtur. Quoniam proditor ille dicitur, qui fingens ſe alicui amicum, aliud exterius ſimulans, aliud in pectore gerens, ſub ipſo amicitiæ ſigno mortem infert non cogitanti, non præcaventi, nulla prius exorta rixa. Ita Sperel. *dec.23.num.6.* Giurb.*conſ.20.num.13.& conſ.60.num.1.17.&* 31. Sanfelic. *dec.241.num.3.* Novar. *ſuper pragm.de abolit.pragm. 2.collect.3.num.25.* Baron. *de effect. 14.num.4.* Signum autem amicitiæ, ac pacis eſt ſalutatio per capitis detectionem; unde ſi quis ſub hoc ſigno aliquem occidit, dicitur proditor, Suar. *de relig.lib.3.de rever. debit. loc.ſacr. cap.11. num.12.verſ.vel qui dat ſignum pacis,* Sanfelic. *d.dec.241. num.4.* ubi refert ita deciſum, & exequutioni demandatum, Peregr. *de immun.Eccleſ.cap.7.num.10.* Nam cùm occiſus fuerit redditus ſecurus, non potuit ſibi præcavere, Graſſet. *de prod.§.16.nu 20.* Et proindè homicidium redditur proditorium juxta doctrinam Bartoli communiter approbatam *in l.1.§.delinquunt, ff.de pœn.* Franch. *dec. 713 nu.14.* Cathalan. *de indult.c.31.nu.6.* Gizzarel. *dec.16. nu.12.* Ric. *dec.80.nu.2.& dec.168.nu.1.* Giurb. *conſ.20.nu. 13.* Clar. *in §.homicidium*, ibique Bajard. *num.23.* Sperel. *d. dec.23.nu.6.* Graſſet. *§.13.nu.18.&* 19. & nos in 1.*tom.* Præſertim ſi præcedentes ſalutationes fuerint mutuæ, pluribuſque menſibus continuatæ. Iſtæ enim faciunt, ut homicidium ſequutum, nulla exorta rixa, vel cauſa, dicatur proditorium, Tancred. *de relig. tr.1.lib.4.diſp.8.q.5.nu. 21.* Novar. *in ſum. Bullar.p.2.tit.de immun. Eccleſ.n.50.* Marant. *conſ.173.nu.6.lib.2.* Maſcard. *de prob.concl.1161.n. 17.* Baron. *de effect.inim.in prælud.nu.117.& 149.* Rimin. jun. *conſ.524.nu.33.* Ex quibus ſignis excludit omnem inimicitiam, tradit Bal *in l.ſi quis teſtis, verſ.nota quod leges C.de teſt.* Jo.de Amic. *conſ.7.nu.41.* Menoch. *de præſumpt. lib.5.præſumpt.45.nu.1.* idem Bald. *lib.3.de lit.diſpenſ.caſ. 1.q.2.nu.31.* Graſſet. *de prodit.§.14.d.n.29.* ubi etiam dicit, ſufficere unicam ſalutationem per capitis denudationem, aut per aliud ſignum amicitiæ.

2 Ad 2. Pariter affirmandum videtur. Unde occiſorum ſub hac fide data de non offendendo excludunt ab immunitate, Giurb. *conſ.60.nu.16.& 22* Thom. del Ben. *de immun.c. 6.ſect.3.num.1.* Peregrin. *eod.tr.c.7.nu.10.* Ambroſ. *tit.cap.6.num.4.* Farinac. *pariter eodem arg.num.137.* Decian. *lib.7.c.30.num.6.& c.29 nu.23.* & definitum teſtatur à Sacra Conſultatione Farinac. *in addit. conſ.* 168. & comprobat Graſſett. *de prodit.§.12.num.* 29. Præcipuè ſi fuerint prolata verba per occiſum in actu vulnerum, aſſerentem occidi ſub verbo dato de non offendendo. Aſſertatio enim vulnerati facit indicium contra vulnerantem, etiam ad torturam, concurrentibus adminiculis, Maſcard. *de probat.lib.1.concluſ.144.num.3.* Menoch. *de præſumpt.lib.1.q.89.num.81.* Farinac. *de indic. q. 46 num.35.* ubi teſtatur de communi. Et ſi accedat fama publica ſtatim exorta, ex qua, concurrentibus alijs indicijs, & adminiculis, oriri inditium ad torturam, probat Clar. *in pr. §.fin.q.21.verſ.cæterum*, Menoch. *de præſumpt. lib. 1.q. 89.num.24.* atque obſervantia ſubſequuta verbi dati per multum tempus, quo occiſus numquam fuit ab occiſore moleſtatus; ſed ſemper inter ipſos ſigna amicitiæ intercesſeint, ex qua in omni materia dubia tam facti, quàm juris interpretatio deſumi debet, Seraphin. *dec.1410.nu.16.* Vermigliol *conſ.485.num.4.*

3 Immò quemadmodum ex cautione data de non offendendo plures voluerunt ceſſare præſumptionem, & indicium inimicitiæ, ut Hippol. Rimin. *conſ.88 nu.17.lib.1.* Eugen, *conſ.27.nu.22.lib.etiam 1.* Farinac. *de judic.q.49.n. 121.* Baron. *de effect.inim.in præl.nu.16.* Ita & multò magis debet ceſſare inimicitia ex confirmatione amicitiæ, & ex verbo dato de non offendendo, quæ per controventionem inferunt verum crimen proditionis; cùm per dictum verbum, licet ſimulatè datum ab occiſore, ſed ab occiſo uti verum acceptum, fuerit adempta dicto occiſo omnis occaſio ſibi præcavendi; & fuit inducta proditio; Graſſett. *loc. cit. §.5.num.19.& 29. & §.14.num.27.*

Ceſſaretque omne dubium; ſi occiſor jam citatus ad præſtandam cautionem de non offendendo affines, & conſanguineos ſui inimici; inter quos aderat à ſe occiſus, explicitè in actis falſus fuerit, nullam cum eo habere inimicitiam, & propterea non teneri præſtare cautionem de non offendendo. Hæc enim confeſſio facit rem manifeſtam; inducit notorium, & habet vim rei judicatæ, nullaque major probatio excluſiva inimicitiæ reperiri poteſt, quàm illa, quæ oritur ex propria confeſſione Rei, *l. Cum pretium, C.de liber. cauſ.* textum *in cap. veſtra, & cap. fin. de cohab. Cler. & mill.* Boſſ. *de confeſſ. num.* 81. Honded. *conſ.* 15 *num. 2.& conſ.19.num.4.& conſ.35 num.18.* Farin. *de reo confeſſ.q 81.num.4.* Unde cùm vigore dictæ ſuæ confeſſionis evitaverit dare fidejuſſionem de non offendendo, æquum non videtur, ut ex ex ſuo manifeſto dolo commodum reportet, cum dolus nemini patrocinari debeat, *l.ita demum, ff.de arb.l.nec ex dolo, ff.de dol. mal.* cum alijs. 4

Ad probandum verò verbum datum de non offendendo, teſtes etiam ſingulares nobiles conjunguntur ad faciendam plenam probationem, Marſil. *in addit. in pr. crim.§.diligenter nu.17.& ſingul.* 114. Immò plures voluerunt; dictum verbum datum probari etiam per unicum teſtem mediatorem, concurrentibus adminiculis, ut fuiſſe reſolutum in dicta S. Conſultatione, & ſervatum refert Farinac. *cit.conſ.168. in addit.* Et quod probent teſtes mediatores, licet ſingulares, verbum datum in judicio Immunitatis, tuetur Graſſet. *loc.cit.§.29. num.298.300.& 301.* 5

Ad 3. Modus etiam hadhibitus in cōmittendo homicidium, & pluralitas vulnerum indicat præmeditationē occidendi, ut ex Caſon. Ric. Perſ. Carpzov. Boſſ. & Blanc. reprobatis Vermigliolo, Farinaeio, & Chartario, defendit Graſſett. *§.32.num.31.* Ergo cenſetur proditorium. 6

Neque eſt neceſſe probare negativam rixæ, ſtante præcogitatione homicidij, excludente rixam, probat idem Graſſet. *cit.§.num.32.* 7

Minuſque refragatur incertitudo lethalitatis vulnerū, ut quemadmodum in Curia ſæculari intulentes vulnera lethalia eſſent abſolvendi, ita quoque debeant omnes gaudere immunitate. Tum quia contrarium eſt verius, ſtante dicta præmeditatione homicidij inter omnes communicata. Tum quia, ſi hoc admitteretur, quod omnia homicidia proditoria, perpetrata à pluribus præmeditatè cum ſclopis, remanerent impunita. Quod videtur nedum contrarium omni juri, ſed expreſsè contra mentem Gregorij XIV. & oſtendunt exempla ſequuta ſub Clemente VIII. & Paulo V. quorum juſſu fuerunt hujuſmodi delinquentes traditi Curiæ ſæculari. Unde eos immunitate non gaudere firmat Graſſet. *§.20.num.105.* 8

Hinc videtur reijcienda qualitas aſſertæ defenſionis occidentis, & provocationis occiſi. Primò, ſi non probetur, ut ex doctrina Bartol. *in l. Aurel. §. idem quæſivit, ff.de libert. legat.nu.2.* cum pluribus congeſtis à Farinac. *de homic. q. 125. num.419.* Secundò, ſi contra dictam qualitatem adſint plures probationes, licet ſatis eſſent indicia, & præſumptiones, ut in puncto pro pœna ordinaria, rejecta qualitate, deciſum refert, diſputato pluries articulo, Sanfelic. *dec.* 228. & probat Vermigl. *conſ.282.nu 11.* Chartar. *deciſ.crimin.49.nu 37.* Perſ. *conſ. 29.num.7.&* Graſſet *§.3. num.32.* 9

At nihilominus ad primum negandum puto. Etenim duo copulativè requiruntur, ut homicidium dici queat proditorium. Quod nempè fiat à fingente ſe amicum, & quod fiat cum amicitiæ ſigno, ut optimè explicat Anonym. 10

apud

apud Campanil. *in diverſ. jur. Can* §. *Induſtria col.* 1 Dum molitur, inquit, damnum quis in aliquem, utitur dolo machinatione, diligentia, obſervat tempora, occaſionem, inſectatur veſtigia, quærit opportunitatem, non tamen ad extremum uſque nequitiæ gradum progreditur, ut dum comedere intendit, accipiat pro medio, & inſtrumento amicitiam, & fidem, hic inſidioſus tantùm eſt, nondum proditor. Cùm verò accipit pro medio, & inſtrumento amicitam, jam progreſſus eſt ad eum gradû, jam proditor factus eſt. Quæ deſumpta ſunt ex doctrina Bartoli *in d. l. reſpiciendum*, §. *delinquunt*, *num.* 1. *ff. de pœn.* exemplificantis proditorem in occidente ſocium itineris, vel commenſalem, vel amicum à parte poſteriori, nulla præcedente inter eos rixa, vel rancore. Cui ſententiæ, ut inquit Clarus *in homicidium*, *num.* 10. omnes ſubſcripſerunt, & eo recentioribus præter alibi allegatos Rovit. *ad pragm. Regn. tit. de abſol. pragm.* 11 Bardol. *conſ.* 40. *num.* 9. Guaz. *def.* 1. *c.* 38. *num* 4. del Bene *de immun.* 16. *dub.* 20. *ſect.* 2. *num* 8. & Donat. Anton. de Marin. *cap.* 174. *per tot.* Vermigl. *conſ.* 93. *num* 9. *& conſ.* 98. *num* 5.

11 Ut igitur ex actibus ſimulatæ amicitiæ arguatur proditio, requiritur, quod actus ſint contemporanei aggreſſioni, & maleficio, & quod occiſus illis fuerit allectus ad confidendum de occiſore, ut convincunt exempla Bartoli *in d. §. delinquunt*, & exempla Abſalonis, & Joab relata à Suarez *tom. de Relig lib.* 3 *cap.* 11. *num.* 12. & à Sperello *dec.* 13 *num.* 6. *& ſeqq.* & in ſpecie quod debeant eſſe comtemporanei, Farinac. *conſ.* 168 *num.* 70. Garon *in com. ad tit. de Senat. nov. conſtit. Mediol. lib.* 1. *tit.* 4. *art.* 13. *num.* 101.

12 Nullum autem ex ſalutione intercedit contemporaneum amicitiæ ſignum. Non quidem quando eodem tempore cum ſiniſtra quis caput detegit, cum dextera occidit. Hujuſmodi enim contemporanea capitis detectio non poteſt aliquam gignere confidentiam. Debet enim, ut aiunt Doctores, amicitiæ ſignum præcedere, ut alliciat ad confidentiam, ex qua allectus reddatur incautus. Præterea hujuſmodi capitis detectio eſt nimis æquivoca. Nam poteſt eſſe caſualis, vel ad pileum in capite comprimendum, vel referri poteſt ad ſocios inimici. Accedit, quod ſi occiſor vellet occiſum ſecurum reddere, præveniret veram ſalutionem, ut decet inter nobiles & amicos, qui non ſolent expectare, ut alter caput aperiat, ſed prævenire. Unde potius cenſeri debet ſignum animi inimici, dum non prævenit in ſalutando, ut patet, inter amicos. Et ideò capitis detectio neci contemporanea non poteſt reddere quempiam ſecurum, ſed ad ſummum eſt quid valdè æquivocum, adeò ut nequeat inducere indubitatum amicitiæ ſignum, quod ad proditionem omninò requiritur Neque etiam, quando ſalutationes mutuò præceſſerint. Primò, quia ſalutationes præcedentes non poſſunt dici contemporaneæ homicidio, ut ex dictis exigitur. Secundò, quia ſalutationes non ſunt ſigna veræ, ac ſinceræ amicitiæ. Fiunt enim ad honeſtatem; ea enim, quæ fiunt ex cauſa honeſtatis, vel urbanitatis adſcribi non poſſunt amicitiæ formali, requiſitæ ad inducendam proditionem, Farin. *conſ.* 98. *num.* 4. Cùmque ſint igna communia, non conſtituunt veram amicitiam: & quia non reſalutando ſalutantem eſſet inſtantanea cauſa rixandi, ideò non poſſunt neceſſariò inferre proditionem, ut rectè firmat del Ben. *d. c.* 16. *dub.* 20. *num.* 8. & Farinac. *d. conſ.* 98. *num.* 4. Quod etiam admittit Graſſet *de homic. procedit.* § 34. *num* 74. cum binis *ſeqq.* & Chryſpolt. *caſ. milit.* 10. *num.* 8. ubi refert ad rem verba illa Eccleſiaſt. *cap.* 12. *verſ.* 10. *Non credas inimico tuo in æternum: Sicut enim æramentum nequitia illius. Et ſi humiliatus vadat curvus, adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo.* Tandem ex hiſce ſalutationibus nihil aliud reſultare poteſt, quàm remiſſio injuriæ per modum reconciliationis, non autem per modum fidei datæ, ex qua reſultare poſſit proditio, Guazzin. *de pac. q.* 80. *num.* 8. *p.* 1. Vermigl. *conſ.* 93. *nu.* 13. Inimicus autem interficiens inimicum reconciliatum gaudet immunitate, Vermigl. *conſ.* 93. *num.* 7. ubi ex authoritate Riccij *d c* 168. *num.* 2. *& ſeqq. p.* 1. teſtatur ita etiam deciſum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana ex communi omnium voto, Prat. *reſp.* 3. *nu.* 17 *& ſeqq.* & in fine refert in magna Curia Vicariæ ſub die 17. Septembris 1652. ordinatum fuiſſe homicidam ſub inſtrumento pacis reconciliatum gaudere immunitate Eccleſiæ. Vide tamen quæ tradidi hac in re *to.* 1. Deficiente igitur formalitate proditoris, quod requirit reaſſumptionem ſtrictæ amicitiæ per converſationem, ſeu commenſalitatem, non autem in forma communi per ſigna ſimplicis ſalutationis requiſitæ ex debito honeſtatis, homicida gaudere debet beneficio immunitatis.

13 Præſertim quia probandum eſt homicidium fuiſſe præmeditatum. Regula namque eſt quod potius non deliberatè, ſed fortuitò, & in rixa commiſſum ex juris communis præſumptione cenſeatur, etiam inter inimicos, Clar. *in d.* §. *homicidium num.* 6. Cabell. *de homicid. num.* 382. Giurb. *conſ.* 84 *nu.* 14. Maſtrill. *dec.* 297. *nu.* 48. Valenzuol. *conſ.* 128. *nu.* 38. *lib.* 2. Aldobrand. *conſ.* 128 *num.* 20. *&* 30. *in fin lib.* 2. Farin. *conſ.* 61. *num.* 7. *lib.* 1. *& conſ.* 138. *num.* 17. *lib.* 2. Quæ ſanè juris præſumptio redditur efficacior, ſi occiſus cum multis aſſociatus incedebat, & occiſor vel ſolus, vel cum paucis. Ex hoc enim convincitur, quod fortuitò homicidium ſit perpetratum, ut advertunt Farinac. *conſ.* 61. *num.* 12. *lib.* 1. Bertaz. *conſ.* 68 *num.* 16. *lib.* 1. Burſat. *conſ.* 272. *nu.* 14. *lib.* 2. Eugen. *conſ.* 65. *num.* 7. Giurb. *conſ.* 84. *num.* 15. Caſtil. *dec.* 273. *nu.* 10. & Maſtril. *dec.* 279. *n.* 56 *lib.* 3. Debetque probari negativa rixæ, Vermigliol. *conſ.* 89 *num.* 1. Ciarlin. *p.* 1. *cap.* 10. *num.* 114. ac eſſe perpetratum ſedato, ac deliberato animo, nec præceſſiſſe ſubitum caſum, qui cauſam dederit impulſioni, Carpan. *in com. ad cap homicidium, nov. conſt. Mediol. num.* 1116. Graſſet. §. 32. *num.* 19.

14 Neque dicatur, quod ſatis dicitur conſtare de præmeditatione, quando inimicus caſu obvians inimico, nullo dicto verbo, & ſine ulla cauſa in illum irruit ex Farinac. *q.* 126. *num.* 216. Quia, ultra quod opinio Farinacij pugnat cum magis communi, ut proinde potius dicatur occidere ex ſubito aliquo caſu, vel ex memoria receptarum injuriarum, illicò iram excitante, Molin. *de juſt. tr.* 3. *diſp.* 23. *num.* 2. Cabal. *etiam de homicid. num.* 382. Villag. *de extenſ. leg fol.* 534. *num.* 15. Fagund. *in* 5. *præcept. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 16. Baron. *effect.* 19. *num.* 14. & Bertazol. *conſ.* 208 *num.* 8 *lib.* 1 ceſſat difficultas, quando non eſt probatum, quod nulla interceſſerit cauſa novæ rixæ, & quod occiſor, nullam tunc habens cauſam, fuerit aggreſſus: alioquin ceſſat proditorium & homicida ſemper gaudet immunitate, ut in terminis firmat Graſſet. *§.* 32. *num.* 19. Ciarlin. *contr.* 10. *num.* 111. *tom.* 1. Vermigl. *conſ.* 89. *ſub num* 1. Idemque tradunt Bartol. *in d l. recipiendum num.* 1. Cephal. *conſ.* 57. *num.* 13. Comeſ. *var. reſol. tit. de homic. num.* 5. & Ric. *dec.* 168. *num.* 1. *p.* 1. Unde probandum eſt, quod fuerint amici, Ciarlin. *p.* 1. *c.* 10. *nu.* 100. *cum ſeqq.* Anton. de Ball. *var. lib.* 3. *q* 2. *caſ.* 1. *nu.* 10. Idque concludentiſſimè, cùm ad effectum proditorij hujuſmodi qualitas amicitiæ eſſentialiter requiratur, Prat. *reſp. crim.* 13. *num.* 15. *& ſeqq.* Rovit. *in d pragm.* 2. *de abol. num.* 56. Giurb. *conſ.* 20. *num.* 13. Donat. *de immun. loc. reſol.* 140. *in fin.* Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *reſol.* 34. Baron. *de eff inimic. eff.* 14. *num.* 5. Franch. *dec.* 713. *num.* 14. *& ſeqq. &* 22. ac Sperell. *dec.* 23 *nu.* 13. *& ſeq.* Quod adeò verum, ut amicitia, ſeu ejus ſimulatio in ipſomet actu homicidij, & prætenſæ proditionis juſtificanda ſit, ut tradunt Farinac. *conſ.* 168. *num.* 70. *in fin. lib.* 2 quem ſequitur Vermigl. *conſ.* 97. *num.* 5 cum privet immunitate ex Ciarlino & alijs, & evehat delictum ad diverſam, & graviorem ſpeciem, Giur. *conſ.* 10. *nu.* 24. Farinac. *conſ.* 10. *nu.* 23. *&* 57. *lib.* 1. Præcipuè quod occiſus præſumitur aggreſſor, ut per Honded. *conſ.* 99. *n.* 4. *cum ſeqq. l.* 1. Maſtril *dec.* 297 *n.* 52. non refragante, quod occiſor, ejuſque famuli deferrent tormenta ignea; nam ſtante inimicitia, nullum exinde oritur indicium,

Caſtill.

Caſtill.dec.173.n.9.Immò quando hinc inde adeſſent præſumptiones,ſuperare debent conjecturæ pro reo.Peguer. dec.14.n.20.Maſtril.d.dec.297.n.73.ubi quod ſufficit,præſumptionem animi præmeditati reddi aliqualiter dubiam. Quare,excluſa præmeditatione, omnes concedunt,homicidium non dici proditorium,ac proindè gaudere immunitate,Chartar.dec.95.n.3.Ciarlin.contr.116 n.78.p.2.Craſſet.§.2.n.4. & 6.

15 Et cùm agatur de incurſu in crimen proditionis, ac de adimendo beneficio immunitatis conſtare debet plenè,& concludenter confugientem ad Eccleſiam crimen exceptum commiſiſſe, ut alibi copiosè diximus Debet itaq; ad proditionem cum delicto concurrere actus poſitivus amicitiæ,ut benè Graſſet §.17.n.10.Unde non obſtant Sanfel. alleg.dec.241.n.4.& alii.Quia loquuntur quando ſalutatio præcedit ex parte homicidæ, & cum ſalutatione, & allocutione tutus interficitur.

16 Quoad ſecundum. Pariter negativè.Quia teſtis,qui de verbo dato deponit,facit ſe mediatorem;ex quo fit quod poſſit reputari offenſus, dum verbum de non offendendo non fuerit ſervatum, ac etiam redargui, quod aſſumptum munus conciliandi,atque tollendi conceptas ſuſpiciones, ac ſecurum utrumque reddendi non benè, ac perfectè abſolverit,atque hinc reputari non poteſt teſtis idoneus, ſicuti in ſpecie probavit Ciarlin.d.contr.116.n.32.cum ſeq. ex Farinac.q.60.n. 409. Gabriele, Hondedeo,& aliis. Et idem in fortioribus terminis, quod ne dotis quidem favore attendendus ſit, communiter tradunt Paul.de Caſtr. 250.n.4.vol.2.Alex.conſ.13.n.14.lib.1.Ruin.conſ.164.n.6.& 7.tom.4 Burſatt.conſ.320.n.109.lib.3.Bertaz.conſ.364.nu.6. lib.2 Surd.conſil.327.num.44.lib.3. Eugen. conſil.97.num. 31.& ſeqq.lib.1.Gratian.diſcept.753.num.4.& ſeqq. Joſeph Ludov. ubi in terminis Sacerdoti, dec. Peruſ. 95. num. 38. Dum enim deponit, occiſorem non ſervaſſe fidem, innuit reputari ſe offenſum,unde adimitur ei fides, Ciarlin.loc. cit. n. 33. Maximè ſi dictus mediator erat amicus occiſi. Cenſetur enim ad animum revocare illius necem, ex quo infertur, evaſiſſe inimicum occiſoris amici ſui, Farinac.q.53.num.36.Graſſ.de effect.amic.n. 200. Ideòque illi non creditur,quamvis ſit nobilis,ut contra Marſilium deducit Cancer.q.crim.pag.346.col.1. Quandoquidem ad effectum, ut omni exceptione majores dicantur neceſſe, ſit, quod frivolam quidem teſtes patiantur exceptionem, Vermigl.conſ.144.n.10.Rot.dec.85.n.5. in fin.p.5. recent.

17 Deinde promiſſio de non lædendo,ſicuti & pax, operatur ut quis præſumatur offenſus ex nova, non ex antiqua cauſa,Herculan de caut.de non offend. cap.9. num.12. Bertaz.conſ.85.n.26.lib.1. Bald. Pariſ. & alii citati à Graſſett.§.32.nu. 41. Ac proindè ſi præſumatur in dubio nova cauſa ad dictam præſumptionem tollendam, & ſuſtinendum, quod homicidium dicatur commiſſum ſub pace vel ſub verbo de non offendendo,neceſſe erit probare negativam rixæ, ſeu novæ cauſæ, quæ rixam excitaverit,Ciarlin.contr,10. num.113 cum ſeqq.Vermigliol.conſ.89.num.1. & alii deducti à Graſſett.d.§.32.n.19.Præſertim quod provocatio poſſit oriri illicò ex facto aliquo injuſto,vel pro injuſto reputato,Caraf.de duel.tr.1.ſect.9.q.7.num.1.Farinac.conſ.67.num.4.& q.90.nu.43.Giurb.conſ.63.n.6.Et ad excludendum prætenſam proditionem, ac fidei violationem quamlibet levem ſupervenientem cauſam ſufficere ſtatuat Farin.q.10.num.460.& Ciarlin. contr.116.n.54.in fin.& in ſeq.tom.1. Sicuti etiam ad excludendum deliberatum homicidium omnis interpretatio ſumenda ſit,Rot. in Romana fideicommiſſi de Chriſpoltis 11. Martii 1647. coram Royas.Quæ nova cauſa non excluditur ex quantitate vulnerum:quia quantitas, & qualitas vulnerum poteſt quidem inducere conjecturam animi occidendi,qui tunc in actu rixę poterit ſupervenire,non autem probare,quod homicidium fuit commiſſum præmeditatè, Chartar.dec. 95.Et ideò ex nova cauſa ſuperveniente, etiam poſt prætenſam reconciliationem, fit, quod immunitate privari non poſſit,ut in puncto Bonac. de exc.in part.extra Bull. Cœn.diſp.2.q.3.punct.16.§.8.n.5. Thom.del Ben.de immun. c.16.dub.20.ſect.3.n.7.Soc jun.conſ.103.num.7. vol.3.& per plures Ciarlin.d.contr.116.nu.54. & ſeqq.& contr.151.n.36. Neque excluditur ex his,vel ſimilibus verbis : Volo tibi eſſe ſervus,& amicus,cùm nullum tribuant ſignum amicitiæ,ſed dicantur ex debito honeſtatis,Farin.conſ.97.nu.7. neque important diſpoſitionem,Menoch.de arb.caſ.496. n.56.cum ſeqq.cent.5.

Neque aſſertio offenſi aliquam meretur fidem præterquam dum ſcit, ſe eſſe in articulo mortis,& cum juramento,Vermigl.conſ.223.num.6.& ſeqq Farinac.conſil.46. num.50. Immò per offenſionem cùm fuerit effectus inimicus, nullam probationem facit,ne quidem in articulo mortis, Farin.q.53.num.11. Baron. eff.6.num.1. Maximè ſi delatus ad domum, numquam amplius conqueſtus fuerit de impicta proditione ſub verbo dato.Unde ſequitur, in via illud dixiſſe ad dedecus evitandum, vel honorem conſequendum, quo caſu nemini fides præſtatur, Farin.q. 60. n.2. 18

Minuſque officit, quod Graſſett.§.29.n.298.& 300.ac Farin.d.q.18.n.76.in fin contrarium ſenſerint,quando quis per inſidias,& à parte poſteriori inimicum occidit. Nam homicidium proditorium dici non poteſt,etiamſi per inſidias,& à tergo quis inimicum occidat.Unde non eſt recedendum à doctrina Bartoli, quæ eſt veriſſima,& magis recepta,quàm & idem Farinacius, re melius perpenſa & in ſeniori ætate amplexus eſt, ita ut prima opinione retractata, à Bartoli ſententia recedendum non eſſe firmavit in addit.ad d.q 18.impreſſa poſt lib.3. conſ. 76. poſt med. Ac ita,ut neque refragetur præceptum de non offendendo, cùm non inde reſultet homicidium dici poſſe proditorium, ac proindè, adhuc occiſor gaudet immunitate, Decian. tr.1.reſol. 34. Donat. Ant. de Marin.reſol.lib.1.c. 174.n.3.& 4.Ciarlin.d.contr. 116.n. 31. Præſertim attenta nova cauſa. 19

Et nihilominus eſt ſupponendum in caſu Farinacii, mediatorem illum fuiſſe ab utraque parte aſſumptum, & approbatum Tunc enim mediatores majorem merentur fidem propter approbationem perſonæ ab utraque parte factam, Farinac. qu. 60. numer. 415. Secus ſi ſit nuncius, ſeu perſona ab altera tantùm partium electa.Tunc enim intrant doctrinæ allegatæ per Ciarlinum, & alios, præſertim quando aliæ militant exceptiones. Et tandem pace tanti viri dixerim, illam concluſionem,quam tribuit S.Conſultationi potiùs fuiſſe ſuam,& minus conſideratam, ex qua receſſit à communi ſententia, requirente plenas probationes ad privandum reum immunitate,unde conſultius poſteà contrarium firmavit in tract. de immunit.loc.alleg.Atque ita, quod committens homicidium cum præcedente ſecuritate, ſive cautione de non offendendo mulctetur ſanctitatis loci præſidio, cenſuit Sac. Congregatio Immunitatis in Aiaceñ ſub die 16. Julii 1669.

Quamvis ad ejuſmodi mediatores omninò reiiciendum ſatis ſit ſola tantùm ſingularitas, cùm duo teſtes ſingulares nihil penitus officiant, cùm non verſemur in cauſa civili,& neque ad effectum ſimpliciter inquirendi, ſed condemnandi,ut benè declarant,& de veriori,ac receptiori teſtantur Farinac.conſ.78.num.14. lib.1.& de teſtib.q.64.num.57.& ſeqq. Menoch.conſ.82.num. 162.lib.1. Marſil.conſil.1.num.25.& ſeq.Bertaz.conſ.452. num.16. & & ſeq.lib.2.Vermigl.conſ.282.num.6.Guttier.pr.q. lib.3.q. 12.n.20.Chartar.dec.35.nu. 11. & 12.Et quod magis urget, cùm deducantur nedum ad effectum condemnandi, ſed etiam ad finem privandi immunitate Eccleſiæ; ideò requiruntur teſtes omni exceptione majores, & ſic quod ne minimam quidem patiantur exceptionem,Rot.dec.84. n.5.in fin.p.4.recent.Vermigl.conſ.144. num. 10. Unde requiritur pleniſſima, atque concludens probatio, quæ reſultare non poteſt ex duobus teſtibus non conteſtibus, ſed ſingularibus loquentibus actibus ſeparatis à. Canter.q. crim. pag. 170. coll. 1. Præſertim ſi inveriſimilia deponant Nam ſi Rota ob ſolam inveriſimilitudinem 21

quatuordecim teſtes conteſtes rejecit in Peruſina laudi 23. Januarii 1619. coram Cardinali Veroſpio, Vermigl. conſ.74.n 4.& conſ.272.n.9.Prat.reſp.15.n.56. Quantò magis reiiciendi ſunt duo mediatores,non conteſtes, ſed ſingulares?

22 Ac præcipuè ſi adſit ſtatutum requirens ad probandum verbum datum de non offendendo ſcripturas authenticas, vel depoſitiones duorum conteſtium conjunctas cum illa mediatoris. Quia quando ſtatutum requirit in aliquo caſu, maximè ratione magni præjudicii,probationes concludentes, non admittuntur aliæ, præſertim leviores, Curt ſen.conſ.78.n.9. Decian.in rub. de probat.n.163. cum aliis adductis à Maſcard.concl.4.num.44.cum ſeqq. Quòd quidem ſtatutum eſſe attendendum in quovis foro tradit in puncto Farinac.conſ.81. num. 1. & Clar.in §. fin.q.58. num. 40. Licet enim hujuſmodi ſtatuta non ligent Eccleſiaſticos, tamen quia ſunt condita ad tollendum fraudes, & ad procedendum cum ingenti circumſpectione in caſibus ita gravibus, prout ſunt caſus fractæ pacis,& proditionis, æquum videtur, ut in quocumque Tribunali ſerventur, non quidem vi poteſtatis laicalis, ſed legis favorabilis, & piæ ac ſublativæ fraudum, & conformis diſpoſitioni Gregorianæ, requirenti plenam probationem,Maſcard.concl.1.n.193. Carol.de Graſſ. de effect. Cler.eff.2.n.112. cum ſeqq. & fuſiùs à n.140.cum ſeqq. ubi de ſtatutis circa probationes, & n. 142 ubi quod circa modum probandi inter laicos attenditur ſtatutum loci contractus,& non judicii, ſeu fori. Plenè Scacc. de judic.lib.2.cap.11.n.243.& ſeq.& cap.2.num.653. ubi quod in delictis attenditur ſtatutum loci, ubi cōmiſſum eſt delictum,non autem ſtatutum fori, ſeu loci, ubi lis agitur. Verùm in hoc verius judico, quod cùm cauſa agatur in Tribunali eccleſiaſtico, utique poſthabitis omnibus ſtatutis, jus canonicum ſervandum eſt, ut probant Decian. in tr.crim.lib.6.c.25.nu.5. Farin.de immun.num.27. Baldaſ. Thom.de immun.tr.1.tit. 1. n. 504. & latius n. 238. Vel ſi teſtes patiuntur exceptionem in perſona, ut ſi ſint Sacerdotes,qui non poſſunt in hujuſmodi cauſis ſe ſubiicere examini pro fiſco contra laicum, etiamſi veritas aliter haberi nequeat, vel ipſi proteſtentur citra aliquam irregularitatem,ſeu pœnam ſanguinis,præſertim ad fraudandam juriſdictione judici laico,Farinac.q.61.n.59.Vel probetur etiam poſt verbum datum de non offendendo retentio odii,& rancoris in animo, Giurb. conſ.47. num. 1. Guazzin.de pac.62.n.1. quæ eſt excluſiva proditionis, Farinac.de immun.1.137.& 145.Ambroſin eod.tit.c.6.n.1. del Ben.d.c.16.dub.20.ſect.3.n.3. Graſſett.§.16.n.49. de Marin. lib.1.reſol.c.164.n.13. Idque etiamſi homicida proteſtatus fuerit in judicio ſęculari,ſe cum nemine inimicitiam exercere.Nam acta in judicio ſæculari, & ad unum finem geſta, ſe eximendi ab obligatione de non offendendo, non probant in judicio eccleſiaſtico, & ad diverſum effectum, Farin. conſil.168. num. 26. & ſeq. del Ben. d.cap.16. dub. 43.ſect.1.num.2. unde occiſus habere potuit cauſam præcavendi.

23 Quoad tertium cenſeo eſſe locum. Ea quidem ratione, quia Conſtitutio Gregorii XIV. illum tantummodò privat immunitate,qui verè fuit occiſor, non autem eos,qui vulnerant,ut in ſpecie firmat Graſſett.§.20.n. 107 junctis numeris antecedentibus. Siquidem is, qui poſt inflictum vulnus lethale vulneravit, non dicitur occiſor, neque homicida ex traditis à Farinac. q.69. numer.31.Atque ita ut incertitudo veri occiſoris operetur, quod omnes pœna ordinaria homicidii abſolvantur,ut in terminis firmat Ciarlin.contr.151.num.17.lib.2. & Farinac.d.q.69.nu. 31. Unde ſi propter ſolam incertitudinem nemo ex delinquentibus pœna ordinaria puniri poteſt, fortius profectò concludendum eſt, omnes immunitate Eccleſiæ gaudere, ut in puncto advertit Ciarlin. d. contr.151. num. 17.lib.2. & conferunt adducta per Cancer. var. reſol. cap. 10. num. 120. & Graſſett. §. 20. numer. 105.& 107.ac egregiè in addit.ad d. §. 20. à numer. 71. Neque obſtat, quod adhibendo ſocios ad homicidium eſſet facilis cautela ad gaudendum immunitate in homicidiis proditoriis. Quia ſufficit, quod Conſtitutio Gregoriana hunc caſum non comprehendat,ut reſpondit Graſſett. in d.addit. num.131.

24 Quæ ſanè omnia etiam procedunt in famulis occiſoris,cùm & eorum quoque reſpectu militent ſuperius firmata, quinimmò multò magis debent & ipſi immunitate gaudere,Ciarlin.contr. 50. num.118. lib. 1. cùm teneantur dominum ſuũ defendere,& propriæ ſaluti præferre,Farinac. q.125.num.310. & 312. q.51. num. 27. Immò ratione ſervitutis in quovis delicto facto contemplatione domini,excuſantur à pœna ordinaria,Farinac.q 97.num.168.& 170.Et ſic non ſolùm reſtituendi ſunt Eccleſiæ, ad quas confugerant,ſed nec contra eos agi poſſe videtur de aliqua pœna extraordinaria, eòque minus captos in Eccleſia ad triremes condemnari poſſe, ut firmat Suar.d.tom.1. de relig.tr.2.lib.8.c.12.n.5.& 6.Dian.tr.1. de immun. reſol. 12.p.1.quem ſequitur Barboſ. de jur. Eccleſ.lib.2.c.3.n.56. Caſtropal p.2.oper.mor.tit.de rever.deb. loc.ſacr. diſp.un. pun.11.ſub n.9. nullaque pœna corporali puniri poſſe tradunt Anchar in cap.Inter alia n.2. de immun. Eccleſ. ubi etiam Butr.n.6.& Zabarel.n.6. & 7. Oldrad conſ.54.nu.2. Mar.Ital de immun.Eccleſ.c.6.§.3.n.1. & ſeqq. Suar.d.n.5. & 6.& latè Farinac.de immun. Eccleſ.21.num. 333. 335. & 339. Quare fieri debet probatio in genere,ita ut cadaver occiſi viſitetur judicialiter à Medicis,& Chirurgis ad cognoſcendum, ex quibus vulneribus ille obierit, Farin.q. 2.num.4.Scacc.de judic cap 83.nu.13. lib.1. Et cùm agatur de delicto facti permanentis, de eo liquidò conſtare debet etiam per ipſos Medicos, & Chirurgos juxta vulgarem l.1 §.Item illud, ff. ad Syllan. Scacc. ubi ſupra cit.n. 13.Farin. q 127. numer. 151. ubi concludunt duos Medicos eſſe adhibendos, atque examinandos juxta praxim, de qua Farinac.q.2.num. 4. & d.q.127.nu. 160. & Scac.d. num.13.

25 Quod autem homicidium fuerit rixoſum, ex pluribus deſumi ſolet. Ut ſi certamen fuerit habitum in via publica,ubi potentia,& actu poterat magnus hominum numerus intervenire, Burſat.conſ.272.n.14 Farinac.q 127.n.165. Si occiſus incedebat cum ſociis armatus,Bertazol. conſil. crim.85.n.16. Giurb.conſ.82.nu.20. Vermigl.conſ.26.num. 20.& conſ.89.n.6. Farinac. q. num 165. Si contigerit de die.Qui enim habet animum præmeditatum noctu delinquere ſolet,Farinac q.89.n.130.& d.q.126.nu.169. Rot.coram Royas dec. 338. nu.3. Si nulla præceſſerit præparatio equi, & aliorum neceſſariorum ad fugiendum, Bertazol. d.conſil.85.n.14.Farinac.conſ.55.num. 18.lib. 1. & conſ.138. num.22.Vermigl.d.conſ.26.n.20.& conſil.88.n.5.Si occiſor minorem numerum armatorum habebat, Ant.de Ball. de lit.diſpenſ.caſ.1.q.2.n. 68. ubi concludit hanc conjecturam eò facilius procedere, ſi interfectus alios potuiſſet convocare.Si homicida ſe contulerat ad locum rixæ ex juſta,& legitima cauſa, Ant. de Ball.d.q.2 num.41.Chartar.d.dec.95.n.33. Si dictus homicida non erat conſcius occiſum illic eſſet tranſiturum, Surd. conſ.40.num.27.in fin.lib.1.Farin.d.conſil.138.num.23.Vermigl.d.conſil. 26.nu. 6. Si in loco, ubi rixatum fuit, conſueverant ſatellites commorari, Ant. de Ball. num. 96. Rot. coram Royas d. dec.338. num. 6. Si homicida ſit nobilis, & non fuerit aliàs imputatus de aliquo delicto,Rot.d.num.Cujus perſonæ legalitas præſumi debet, attenta nobilitate, Farin.q. 47.n.281. & cùm Fiſcus contrarium non probaverit idem Farin.num.267. ac ſeq. & id genus alia. Ad excluſionem verò præmeditationis, & ad docendum homicidium in pura rixa commiſſum fuiſſe, quælibet levis conjectura ſufficit, Farinac. d. conſil.138.numer.26.& conſil.14.num. 26. lib.2. Vermigl.d.conſil.26.num.21. Rot. d. deciſ.338. num. 8.

26 Ita provocatio facta ab occiſo ex pluribus conſtare poterit. Ex allocutione cum ſuis famulis,cum videt inimicum è conſpectu venientem, quæ in præjudicium ipſius inimici præſumitur facta, Baron.eff. 67. numer.4.& ſeqq.Præſertim cùm inimicus teneatur de ſuo inimico

ſem-

ſemper mala cogitare, Farinac. *q.* 49. *n.* 88. Prat. *reſp* 11. *nu.* 17. Graſſett. §. 10, *n.* 12. Ex circuitu viarum, ex quo non ſolùm præſumitur provocatio, ſed etiam aggreſſio, Farinac. *q.* 125. *num.* 475. Ex electione viæ propè murum, Farinac. *loc. cit. n.* 476. Expoſitione homicidæ in medio famulorum, vel ſociorum occiſi, ex qua non ſolùm reſultat provocatio, ſed etiam juſtus timor offenſionis, Baron. *eſſ.* 115. *numer.* 4. Ac generatim ex quocumque actu, qui ad iram, ſeu metum movere, aut incutere poſſit, Farinac. *q.* 91. *num.* 7.

27 Illud denique iterùm moneo, in dubio reſolvendum pro immunitate, & cum Sanctiſſimo pro pœna extraordinaria, ut aliàs dixi.

De decretis autem SS Congregationum breviter, atque capitulatim attingam; cùm alibi ea retulimus.

28 Si conſtet de qualitate proditionis, non ſequuta morte, damnatur ad triremes. Sac. Cong. Immunitatis in Bononień 23. Februar. 1638.

29 Ad probationem homicidii proditorii requiritur amicitia præcedens. Ead. Sac. Congreg. in Beneventana 18. Auguſti 1637.

30 Non eſt proditor, qui occidit inimicum etiam per inſidias, & à tergo Sac. Congreg. Epiſc. in Boianeń 6. Aprilis 1612. Et ita declaraſſe Clementem VIII. teſtis eſt Giurb. *conſ.* 100. *n.* 9.

## CONSULTATIO LIV.

*An & quatenus Eccleſiaſtici teneantur ad munera civilia? Ubi*

*An bona in perpetuum obligata cataſtro, ſive æſtimo communi, quæ tranſeunt ad Eccleſiam, & Eccleſiaſticos, reddantur immunia ab oneribus, an verò tranſeant obnoxia dictis oneribus virtute hypothecæ contractæ, ac dependentis ab illorum deſcriptione?*

*Ubi ad rem decreta Sacrarum Congregationum, præſertim Immunitatis, plura, antiqua, & recentiora, & ratio ſatisfaciendi Principum expoſtulationibus, ac deſideriis.*

1 Controverſia hæc ſinuoſa, licèt inter Juris utriuſque peritos ſit diſceptatiſſima, quærendum tamen amplius nobis viſum eſt cùm nondum ſatis res comperta ſit, præſertim cùm ejus judicium exemplare futurum eſt. Ne autem confuſas ineamus ſententias pro ſecundæ quæſtionis intelligentia primam præmiſimus, quam ita breviter reſolvimus.

2 Communiter onerum partitio, quam *ex l.* 1. *& fin ff. de muner. & honor.* unanimi conſenſu tradunt Doctores eſt in perſonalia, realia, mixta. Perſonalia ſunt, quæ labore perſonæ, ſive animi, ſive corporis præſtantur, & triplicia ſunt. Sordida, quæ ſordido famulatu exhibentur, ut in cloaca mundanda, calce coquenda, vilique alio labore, de quibus *in l. maximarum, C. de excuſa. in un. lib.* 10. Honeſta, quæ habent annexum honorem, ut Magiſtratus, Militia, &c. ac ſimplicia, quæ nec honorem, neque vituperium inducunt, ut tutela & cura, & cuſtodia arcium, &c. Ad hæc munera reduci quoque poteſt capitatio Civium id eſt certa exactio à perſonis, ſive capitibus ſingulis ſine ordine ad bona patrimonii, *l. un. C. de Civ. capit.* Realia ſunt, quæ & patrimonialia dicuntur, in quibus non perſonæ, ſed ſumptus maximè poſtulantur, *d. l.* 1. §. *patrimonialia*, quæque ſumptibus patrimonii, & damno adminiſtrantis expediuntur, *d. l. fin.* § *patrimoniorum.* Horum quædam poſſeſſoribus injunguntur, ſive municipes ſint, ſive non ſint, *l.* 6. §. *fin. eod. tit.* ut viarum munitiones, collationes prædiorum, *l.* 13. §. *munus eod.* agminales equi, angariæ, aliæque contributiones, *d. l. fin. &* §. *patrimoniorum.* Quædam verò nonniſi municipibus, vel incolis, ut exactio tributorum, *l.* 3. § *exactio, d. l. fin.* §. *eod.* Mixta, quæ ſimul perſona, & ſumptibus præſtantur, *d. l. fin.* §. *mixta.* Inſuper aliqui ſpeciatim loquentes de patrimonialibus docent, quod quædam ſint extraordinaria, & collectæ dicuntur, quæ non habent certam præſentationem quotannis recurrentem, & hæc ſubditis tantum imperari ſolent, cùm enim principaliter perſonis contemplatione rerum ſuarum imponantur, impoſitio hæc locum non habet, ſi perſonæ ſubditæ non ſunt, juxta *l. reſcriptio*, §. *fin. ff. de muner. & honor.*

3 Illud tamen advertendum eſt, quod ab aliis eſt prætermiſſum, onera realia, quæ ſumptibus præſtantur iterum partiri in realia ſimpliciter & formaliter; & in realia materialia tantum, formaliter verò perſonalia. Realia ſimpliciter & formaliter ſunt, quæ præſtantur pro rebus ipſis ſubjectis, nullo habito reſpectu perſonarum poſſidentium. Realia verò materialiter tantùm & perſonalia formaliter ſunt, quæ imponuntur ratione perſonæ ſeu quatenus perſona ſubjecta eſt, licet habeatur in impoſitione reſpectus ad bona & res ipſius, ac proinde juxta quantitatem, qualitatemve rerum exigantur. In quo ſenſu propriùs etiam dicitur perſonale onus illud, quod licèt ſumptu rei ſolvatur, ac proinde ex hac parte ſit reale, tamen imponitur ratione ſubjectionis ſolius perſonæ ſine reſpectu ad res, & dicitur tributum capitis. Cujus etiam generis eſt pedagium, quod ratione tranſitus ipſius perſonæ ſolvitur.

4 Ab omnibus autem hiſce muneribus eſſe immunes Eccleſias & Eccleſiaſticos patet apertè tum *ex c. adverſus, de immun. Eccleſ. cap. quamquam, de cenſib. in* 6. tum etiam ex Bulla Cœnæ Domini *cap.* 18. in quo non ſolùm damnantur onera realia, ſed etiam perſonalia & mixta, ut aſſeverat Alter. *in d. Bull. cap.* 2. *verſ. ſed oritur*, Duar. *quæſt.* 13. & ſupponit Sayr. *lib.* 3. *theſaur. cap.* 22. *num.* 6. Tum quia illius clauſula eſt generalis. Tum quia Pontifices voluerunt in ea Bulla immunitati ab oneribus generaliter proſpectum iri. Tum quia onera perſonalia & mixta magis injurioſa ſunt Eccleſiaſticis, ſi ſordida, vel minus convenientia, etiamſi honeſta, aut ſimplicia, cùm teneantur Eccleſiaſtici divinis incumbere ſine impedimento. Tum quia non ſatis fuit exprimere Eccleſiaſticorum bona & res, niſi etiam Eccleſiaſtici ipſi perſonaliter exprimerentur: ibi: *Clericis, Prælatis, &c.* Ex quo intelligeremus non ſolum onera rebus ſolvenda, verum etiam perſonis præſtanda eſſe prohibita. Quod fit etiam *in c. Tributum, & ſeqq.* 23. *qu.* 8. *c. generaliter* 16. *quæſt.* 1. *cap. Clericis, de immun. Eccleſ. lib.* 6. *cap. Sacerdotibus, & cap. Sed nec procurationes, de cler. vel monach* & tradit Imol. *in cap. Non minus, de immun. Eccleſ* unde deſumpta eſt ejuſdem Bullæ excõmunicatio. Quare onera etiam perſonalia in ea comprehendi eſt communis ſententia poſt Abb. *ibidem*, quem ſequitur Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 111. quod & civilibus Sanctionibus firmatur *l.* 2. *& l. generaliter, C. de Epiſc. & Cler.* Non tamen ex hoc inferendum eſt, non licere Principibus honoris cauſa Magiſtratus, & Adminiſtrationes, aliaque munera, etiam ſimplicia Eccleſiaſticis demandare, hiſque illicitum eſſe ſuſcipere, quod tamen paſſim fit. Nam prohibetur onerum impoſitio, prout dicit quid odioſum, & prout fit ſubdito, & ex imperio, non autem prout decus involvit, honorificè demandatur, & ſponte ſuſcipitur. Tota igitur difficultas in ſecundam quæſtionem redigitur, quam ita aliqui in infinitas particulas, in capita, ſectiones, ſubſectiones, parerga, & corollaria frangunt potius, quàm dividunt, ut non tollant difficultatem, ſed augeant. Nos verò in duas præcipuas inſpectiones illam dividimus. Prima eſt quoad dicta bona deſcripta, quæ tranſeunt ad Eccleſiaſticos, pro cujus reſolutione tres caſus conſiderari poſſunt.

5 Primus caſus eſt, quando in locis adſunt ſtatuta, in quibus diſponitur, quod omnia bona in cataſtro deſcripta ſint hypothecata pro oneribus præſentibus, & futuris.

6 Et hujus quidem propoſiti caſus dubietatem, aſſumpta in conſilium ratione, affirmativè reſolvit Juriſperitorum Conſultiſſimus Bartolus *in l. reſcripto* 6. §. *ſciendum num.* 5. *ff. de mun. & honor.* duas tradens cautelas. Alteram

quidem à Peruſinis adhibitam, quod fiat ſtatutum, ut omnia bona Civium, quæ intra fines Comitatus exiſtunt tributaria ſint, & obnoxia oneri tributorum pro collectis imponendis. Alteram uſu receptam per Eugubinos, quod ſinguli Cives & Comitenſes donent Communi omnes poſſeſſiones, quas habent, eaſdem poſtea recipientes ab ipſo Communi ſub tributo, ac cenſu collectarum. Bartolum ſequuti ſunt non vulgaris notæ Doctores, nuncupatim Angel. *conſil.* 206. & Ancharan. *conſil.* 303. *& in cap. Non minus, de Immun. Eccleſ. num.* 6. ejuſque opinionem ſervari in praxi, inquit Bald. *conſil.* 289. *lib.* 2. & communem appellat Socin. ſen. *conſil.* 12. *lib.* 4. illamque Bellon. multis proſequitur argumentis, quam etiam tradunt Nicol. Feſtaſ. *in tr. de collect. part.* 4. *c.* 2. *num.* 27. & Barbat. *conſil.* 1. *lib.* 3. Otalor. *de nobil. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. aliique, quos refert Duegna *regul.* 100. *limit.* 9. & approbat Azeved. *lib.* 11. *tit.* 3. *lib. recopil. num.* 10. Ratio deducitur ex æquitate. Nam alioquin privilegium immunitatis redderetur iniquum. Vel enim remaneret Communitas cum majori onere ſuper prædiis ſæcularium propter eccleſiaſticorum bonorum immunitatem, vel id cederet in magnum præjudicium Principum, quia privarentur magna parte ſuorum proventuum, quibus ad ſuſtinenda onera, & honorem ſui muneris maximè indigent: quod permittendum non eſt, ut in ſpecie ſubſcribit Ancharan. *d. conſil.* 303. cui adſtipulatur Natt. *conſil.* 505. *lib.* 3. qui tamen malè pro hac opinione adducitur, dum ibi non audet contra Eccleſiam concludere, ſed ſolùm firmat, laicum, qui vel ultimam voluntatem, vel alio titulo bona in Eccleſiam tranſtulit, ſemper teneri ad collectas. Deinde, quia ſtatuentes tunc vinculum iniecerunt, cùm territorium effecerint tributarium. Unde cùm juriſdictionem habuerint in prædia, quæ poſteà pervenerunt ad Eccleſiaſticos, ea tranſeunt cum onere ſuo. Atque adeò quod Eccleſiaſtici teneantur ſolvere collectas, & taxas certas, perpetuas, & uniformes, quæ lege, vel ſtatuto laicali impoſitæ fuerunt ſuper bonis priuſquam ad ipſos devenerint, tuentur relati à Carolo de Graſſ. *de effect. Cler. effect.* 3. *numer.* 154. & à Ciarlin. *controv. for. p.* 1. *cap.* 103. *n.* 21. *& ſeqq.* teſtantur de magis communi, & in praxi recepta.

7 Confirmatur ex illa ſententia, quam tradunt Doctores, qui proponunt hunc caſum, An poſſit à laicis imponi tributum ſuper carnibus, vino, &c. indiſtinctè ſine exceptione Eccleſiaſticorum? & reſpondent, quod, ſi fiat animo injuriam inferendi Clericis, & extorquendi pecunias, quæ alio modo extorqueri nequeunt, eſt illicitum. Si verò non hoc animo, quia licèt non eſſent Clerici, adhuc id imponeretur, nec imponitur magis ſuper iis, quæ ſæpius emuntur à Clericis, eſt licitum, nec poſſunt conqueri Clerici. Sic aiunt Sylveſt. *v. immunitas* 1. *qu.* 6. *in fin.* Lopez *p.* 1. *inſtruct. cap.* 190. Richard. *quod lib.* 2. *q.* 30. *art.* 6. Aſtenſ. *lib.* 2 *tit.* 30. Angel. *d. v. num.* 42. Conſtat autem non malo animo injuriam inferendi Eccleſiaſticis, tributum impoſitum eſſe, quia licèt non eſſent Eccleſiaſtici, Communitas impoſuiſſet. Si ergo impoſitio tributi, ceſſante malo animo, eſſet juſta, malus animus non efficiet, ut injuſta ſit, ſed contra charitatem. Unde nec contraheretur excommunicatio. Quia excommunicatio eſt contra gravantes Eccleſiaſticos tributis injuſtis. At hoc tributum non imponitur Eccleſiaſticis, ſed laicis.

8 Verùm, eorumdem auctoritate, & adductis argumentis non obſtantibus, receptiſſima ſententia eſt, quod, quando procedit lex Principis, ſeu ſtatutum Civium mandans, omnia bona exiſtentia in eorum territorio ita à ſingulis allibrari, & deſcribi in æſtimo, ſeu cataſtro communi, ut ſint affecta, & obnoxia collectis, atque oneribus, nedum impoſitis, ſed etiam in futurum quandocumque imponendis, & in exequutionem talis legis, ſeu ſtatuti fit à ſingulis allibratio, & deſcriptio cum perpetua promiſſione pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis ea ſolvendi, etiam ſub hypotheca bonorum, tunc, quia hujuſmodi promiſſio, & obligatio fuerunt factæ in exequutionem legis, aut ſtatuti editi in fraudem libertatis Eccleſiaſticæ, ſunt invalidæ ac nullius virtutis abſque Summi Pontificis aſſenſu, per textum expreſſum *in cap.* 1. *de immun. Eccleſ. in* 6. & generatim per textum *in cap. Non minus, in cap. Adverſus, eod. tit. & in cap. Quamquam, de cenſib.* patitur *in* 6. & per Bull. Cœn. Dom. *cap.* 18. & judicavit ſæpiùs Rota, ut in Brunduſina, & Albanen. gabellæ 13. Februarii 1604. coram Pegna *dec.* 1079. & coram Merlino *dec.* 902. & in Hydruntina exemptionis 24. Maii 1658. coram Celſo, ac alibi ſæpius, traduntque Burſat. *conſ.* 42. *nu.* 19. *lib.* 1. Roland. *conſil.* 61 *num.* 7. *lib.* 4. Ferrett. *conſil.* 157. *num.* 11. *lib.* 1. Borrel. *conſil.* 74. *num.* 43. Felin. *in cap. Eccliſia Sanctæ Mariæ num* 7. *de conſtit.* fusè Suar. *ad Reg. Angl. lib.* 4. *cap.* 20. 21. & 25. Doctores, quos congerit Ciarlin. *contr. for. cap.* 103. *num.* 7. *& ſeqq.* ubi de veriori & receptiori, Donat. Ant. de Marin. *quot. reſol. cap.* 47. *à num.* 3. Sperell. *deciſ.* 35. *per tot. & deciſ.* 36. *à num.* 10. inquiens ſub *num.* 32. eſſe uberiorem, tutiorem, meliuſque juribus, & rationibus fundatam, Antonel. *de regim. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 5. *num.* 12. Sanch. *lib.* 2. *conſ. mor. c.* 4. *dub.* 57. *num.* 6. dicens communem, del Bene *de immun. c.* 5. *dub.* 6. *num.* 7. *& de parlam. dubit.* 28. *ſect.* 1. & de communi teſtatur Ricc. *in pr. p.* 3. *reſol.* 130. atque eſſe veram, & continua practicari tradit Flor. de Mena *pr. quæſt. lib.* 2. *quæſt.* 21. *num.* 208. juxtaque illam judicatum fuiſſe à Senatu, fatetur Theſaur. *dec.* 2;4 *n.* 4. vocans magis communem, , Oſaſc. *dec.* 136. & Guido Papæus *quæſt.* 381. & antea tenuerunt Bartol. ſibi contrarius *conſ.* 180. Abb. *in cap. fin. de vit. & honeſt. Cler. & in cap. Meſſana in fin. de elect. & conſil.* 53. *lib.* 1. *& conſ.* 13. *lib.* 2. Gemin. & Franch. *in d. cap.* 1. *de immun. Eccleſ.* Calder. *in tit. de Regul. conſ.* 18. Angel. *conſ.* 24. Parpal. *in l. placet num.* 25. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Felin. *in d. cap. Eccleſia n.* 77. Sylvan. *conſ.* 31. Remig. Gonn. *q.* 61. *num.* 44. dicens communem, Sylveſt. *v. Immunitas* 1 *quæſt.* 5. qui tutiorem appellat, Barbat. *conſ.* 1. *lib.* 3. Ruin. *conſ.* 117. *num.* 3. extatque conſilium Præſidis Trotti *num.* 9. quod eſt primum inter conſilia impreſſa in Catena aurea *tom.* 1. & conſilium Iſidori Pictoni, olim Epiſcopi Aſtenſis impreſſum in eadem Catena *tom.* 2. *fol.* 524. *n.* 26. ſubjungens in fine, ſe pro veritate conſultum reſpondiſſe in dominio Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, *& conſil. ſeq. fol.* 541. *ſub num.* 29. cum aliis cumulatis à Marth. *de juriſd. p.* 4. *cent.* 1. *caſ.* 11. *num.* 28. *& ſeqq.* de veriori, ac tutiori, à Bellet. *diſq. Cler. p.* 1. *tit. de exempt. Cler.* §. 1. *num.* 1. *&* 5. ubi de receptiſſima, à Carolo de Graſſis, quos ipſe ſequitur *effect.* 3. *à num.* 162. Cardin. Alban. *de immun. Eccleſ. to.* 13. *tr. p.* 2. Peſant. *eod. tit. c.* 6. Beltr. de Guevar. *in propugn. libert. Eccleſ. aſſer.* 1. §. 6. *num.* 27. Suar. *in Reg. Angl. lib.* 4. *cap.* 20. *per tot.* & præ cæteris Baldus Bartolo non inferior *conſ.* 180. *vol.* 2. qui licet antè medium in comprobationem opinionis Bartoli *in l. reſcripto, ff. de mun. & honor.* dixerit, non obſtare *auth. Item nulla Communitas, C. de Epiſc. & Cler.* deſumptam ex *Conſtit. Frider. II.* cùm intelligenda ſit, niſi bona fuerint prius affecta per pactum, vel quaſi per æſtimum factum in Communi cum perpetua promiſſione pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus ſolvendi collectas, & functiones generales, mox tamen revocata in dubium opinione Bartoli, aſſerens tutiorem eſſe contrariam, ſubdit in fine, per hoc non dicere, quod laici faciant ſtatuta, aliàs non facturi. Quoniam tunc uti facta in fraudem eccleſiaſticæ libertatis credidit, non valere. Quò etiam tendunt verba Bonacinæ *de cenſur. in pract. diſp.* 1. *q.* 19 *pun.* 3. §. 1. *num.* 18. Hanc tandem ſententiam paſſim amplexa eſt Sac. Congregatio Immunitatis, & præcipuè in Caſalen. ſub anno 1634. & 1635. ubi agebatur de collectis, & onere nuncupato *Il Taſſo.* Idque etiamſi hæc ſtatuta fieri dicerentur ad evitandas, ut reſolvit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis 8. Maii 1590. Ac ita, ut neque hæredes poſſint cogi ad ſolvendas collectas pro bonis à defun-

defuncto Eccleſiæ relictis abſque incurſu in cenſuras Bullæ Cœnæ Domini eadem Sac. Congregatio in Theatina 18. Iulii 1614. Etiamſi fieret aliqua concordia ſuper illis ſine expreſſo conſenſu ſummi Pontificis, non obſtantibus Hortatoriis Regiis, eadem S. Congregatio in Bareñ 17. Maii 1619. & 10. Ianuarii 1624. Ac etiamſi bonatenentia, ut aiunt, id eſt dimidia pars collectarum pro bonis hæreditariis, vel emptis, ſeu donatis exigatur ſub quovis prætextu, vel colore, eadem S. Congregatio 10. Iunii 1616. in Bareñ, & in Ugentina 31. Auguſti 1618. & 26. Ianuarii 1619. & 9. Septembris 1622. & 15. Decembris 1623. Ac ita, ut hæ collectæ, ſive bonatenentia neque donatori, ſeu venditori, ſive cedenti imponi poſſint. Quia ſic indirectè Eccleſiaſticis imponerentur, eadem S. Congregatio in Callieñ 18. Decembris 1582 & in Ferrarieñ 8. Novembris 1583. Et qui faciunt ſtatutum, quo vendens, donans, ſeu cedens hujuſmodi bona Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis, teneatur pro illis ſolvere collectas, incurrunt in excommunicationem 18. Bullæ Cœnæ, eadem S. Congregatio in Tricariceñ 11. Januarii 1613. & in una Sypontina 22. Junii 1621. declaravit, *Che non può il Barone ſenza incorrere nella ſcommunica della Bolla Cena cataſtare, collettare i beni degli Eccleſiaſtici, ne ſforzare i loro ſervitori, ò lavoratori d'andare à lavorare alla fortificatione del ſuo Caſtello, ne eſigger la gabella del pane, che da' medeſimi Eccleſiaſtici ſi ſuol dare a' lavoratori, mentre coltivano i loro terreni.* Idem de bonis Hoſpitalium, & Confraternitatum, dummodò ſint erectæ ab Ordinariis, quæ potiuntur iiſdem privilegiis, ac bona eccleſiaſtica, cenſuit eadem S. Congregatio in Bareñ 30. Ianuarii 1617.

9 Probatur primò, quia tributum conſtitui non poteſt, niſi imponatur à Principe ex pacto inter ipſum & privatos inito, vel quod ipſe Princeps habeat actu dominium bonorum. Ita firmat Cardin. Alban. *in ſua conſult. ad Iulium tertium de immun. Eccleſ. n. 56. & ſeq.* Suar. *ad Reg. Angl. lib. 4. cap. 20. n. 12.* ſentitque Abb. *conſ. 26. vol. 1* tradit Guttier. *lib. 1 pr. q 3. nu. 15.* referens pro hac ſententia Alphonſ. Guerrer. *in theſaur. chriſt. relig. cap. 36.* Otaloram, Didacum Perez, ac Quæſadam, & firmavit Rot. *in Albinganen. Avenæ* 12. Febr. 1648. coram Ghiſlerio, Antonel. *loc. cit. lib. 4. c. 5. n. 12. & ſeq.* & Carol. de Graſſ. *eff. 3. num. 276.*

10 Secundò, quia non poſſunt imponi tributa, niſi jure ſubjectionis: unde eodem jure exiguntur & ſolvuntur. Ergo, ceſſante ſubjectione, non poteſt juſtè exigi tributum, quia, ceſſante ratione debiti, ceſſat debitum, quando ratio eſt adæquata. At verò bona quælibet eo ipſo, quod eccleſiaſtica fiunt, deſinunt eſſe ſubjecta Principi laico. Ergo eo ipſo, quod talia bona ſunt eccleſiaſtica, fiunt immunia ab omnibus tributis, quæ in ſola juriſdictione fundantur.

11 Tertiò, quia ſi liceret Principibus, & Univerſitatibus laicorum condere ſtatuta, ac leges, ex quibus privatæ perſonæ teneantur hypothecare bona ſua pro collectis, ita ut etiam ſi pervenerint ad Eccleſiaſticos, remaneant hypothecata, permitteretur planè indirectè contra libertatem eccleſiaſticam id, quod directè omninò prohibitum eſt *auth. Caſſa, C. de Sacroſ. Eccl.* Rota *in d. Albanen. gabellæ, n. 44. & in Barchinonen. exemptionis* 16. Decembris 1647. coram Veroſpio, *& in Hydruntina exemptionis num. 44.* 24. Iun. 1658. coram Celſo, Ruin. *conſ. 117. num. 8. lib. 4.* & alii deducti à Marth. *de juriſd. p. 4. cent. 1. caſ. 11. num. 57.* & à Bellet. *diſq. Cler. p. 1. tit. de exempt. Cler. §. 1. num. 17.* Add. ad Burat. *dec. 780. lit. A.* & Sperell. *dec. 35. num. 33.*

12 Quartò, quia ſtatuta ejuſmodi, tamquam generaliter diſponentia, vel non comprehendunt Eccleſiaſticos, ad quos poſteà bona pervenerunt, vel ſubjacent vitio nullitatis ob defectum poteſtatis, Ruin. *d. conſil. 117. numer. 8.* & latius Iſidor. Pict. *d. conſil. num. 15. cum ſeqq.*

13 Quintò, quia tributa, ſive onera ab alio quàm à Principe impoſita, ſunt munera extraordinaria, quæ Clericos non ſequuntur. *d. l. placet, C. de Sacroſ. Eccleſ.* tradentes ibi Jaſone *n. 21.* qui ait, eſſe omnium, Bald. *ibid. n. & in l. omnes, C. ſine cenſ. n. 8* Queſad. *q. jur. cap. 4. num.* 11. & Roman *in l. ſi publicanus, §. fin. num 7. ff. de public.* aliique. Neque inter onera merè realia numeranda ſunt tributa, quæ ſæcularis Princeps lege ordinaria ſubditis ſuis ex eorum bonis præſtanda imponit. Ac proindè ejuſmodi onera, ſive obligationes tributi unà cum bonis, ſeu poſſeſſionibus ad Eccleſiaſticos quoque tranſire non debent, Abb. *in cap. ult. num. 12. de vit. & honeſt. Cler.* Felin. *in d. c. Eccleſia num. 76* Alban *de immun. Eccleſ.* Guttier. *lib. 1. pr. q. 3.* Marth. *de juriſd p. 4. caſ. 11. num. 28.* Suar *d. lib 4. c. 20. num. 12.* Tanner. *in defenſ. libert. Eccleſ. cap. 13. prope fin.* Leſſ. *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 33. dub. 3. num.* 21. reiicientes opinionem Remigii de Gonn. *tr. de charit. ſubſid qu. 6. num* 57. Ægidii Thomati *de collect. ſum. 2. num* 36. & Ioannis Driedonis *de libert. chriſt. lib. 2. cap. 3.* & aliorum. Nam onus ſolvendi hujuſmodi tributa, quæ Princeps imponit, non eſt merè reale, ſed convenit rebus propter perſonas, quæ ſub Principis juriſdictione exiſtentes lege tributi obligari poſſunt. Ergo ſi bona, ex quibus tributa per legem imperata à ſubditis ſolvebantur, poſteà ad alios poſſeſſores, à poteſtate Principis exemptos deveniant, ab onere illo, atque ab illa obligatione pariter eximi debent, juxta regulam Abb. *in cit. cap. ult.* allatam: *Si perſona exempta eſt, conſequenter etiam & res ejus.*

14 Sextò, quia verior, & crebrior ea ſententia dicitur juxta Oſaſch. *d. dec. 136. n. 1.* quæ aſſerit, immunitatem in dubio cenſeri conceſſam etiam quoad bona poſteà quæſita, ut expreſsè tenet Bartol. *conſ. 59. n. 4.* inquiens de hoc eſſe caſum *in l. peculium, ff. de leg. 2. & in cap. quia circa de privil.* Bald. *conſ. 402 n. 2. vol. 5. & conſ. 112. n. 4. lib. 2.* Alex *conſ. 178. n. 17. vol. 2.* ubi plura ſimilia ad hanc opinionem comprobandam adducit, quos ſequitur Jaſ. *in l. qui filiabus col. 2. in 4. not. ff. de leg. 1. & in conſ. 25 n. 1. vol. 2.* addens Cynum, & Imolam, ita tenere, quam etiam tenet Ruin. *conſ. 217. n. 17. vol. 1.* poſt plures per eum citatos. Pariſ. *conſ. 68. n. 7. & 10. vol. 1* poſt Abb. & Doctores locis allegatis, affirmans, eam eſſe veriorem, & frequentiorem, reprobata opinione Bruni *de augment. monet. art. 9.* Hanc eandem ſententiam poſt alios per eum citatos tamquam communem tenuit Natt. *conſ. 66. n. 13. & conſ. 160. n. 23 & conſ. 328. n. 4.* pro qua urgent dicta Alex. *conſ. 163. n. 8. lib. 2.* quod privilegium immunitatis alicui conceſſum extenditur ad novam oneris impoſitionem ſupervenientem poſt conceſſionem immunitatis.

15 Septimò, quia juxta eumdem Oſaſch. *loc. cit. n. 2.* receptiſſima ſententia eſt, tradens, immunitatem ad bona allibrata extendi. Ita tenuit Bartol. *conſil. 180.* quem refert, & ſequitur Felin *in d. cap. Eccleſia, n. 77. de conſtit.* Brun. *conſ. 94. num. 2. & ſeq. & conſ. 103. num. 6.* poſt Baldum, Archidiaconum, Joannem Andream, Imolam, Geminianum, Barbatiam, Paulum de Caſtro Panormitanum, Romanum, & Alexandrum per eum allegatos, Alciat. *reſponſ. 168. num. 6. & 7.* ſubdens, Soccinum ita tenere *conſ.* 245. Natt. *d. conſ. 328. n. 1.* & Jo. Maurit. *in repet. l. unic. C. de mulier. & in quo loc. col. 61. lib.* 10. affirmans, opinionem Bartoli eſſe communiter receptam, cui deſerviunt, quæ ſcribit Alex. *conſ. 35. num. 16. & ſeq. vol. 4.* Dec. *in l. in omnibus, in fin. ff. de regul. jur.* ſcilicet mutatione perſonæ in collectis mutari conditionem rei, per text. *in l. 1. §. cæteri, C. de impon. lucr. deſcript. lib. 10.* & notat Bartol. *conſ. 189. n. 3.* Borrell. *conſ. 74. n. 3;* Surd. *conſ. 262. n. 29. & 30* ubi quod conſideratur qualitas novi poſſeſſoris, & reſolvit Rot. *in d. Albanen. n. 74. & in d. Hydruntina, §. & ſanè.* Cui opinioni non adverſantur allegata per Jaſ. *conſ. 43. vol. 3.* Primò, quod jura ab eo deducta loquantur, & intelligi debeant de prædiis tributariis, de quibus infra. Ita reſpondent Felin *loc. cit.* & Brun *conſ. 94. & 103. n. 6.* aliiq; ab iis relati. Secundò, quod contra Jaſonis opinionem tenent

magis communiter Doctores. Tertiò, quod Jaſon, aliique intelligi debent, quando immunitas eſſet conceſſa poſtquam bona fuerunt in æſtimo communi allibrata. Tunc enim immunitas ſuperveniens non debet nocere, ſecus verò ſi immunitas ſit conceſſa antequam prædia ſunt in æſtimo deſcripta, quia tunc allibratio nocere non debet immunitati anteriori; alioquin facilè eſſet omnes immunitates eludere, ſtatuendo bona in æſtimis publicis allibrari debere. Hæc diſtinctio probatur ex dictis ab Alex. d.conſ.178.num.18.vol.2. & à Brun.conſ.90. num.1. & ſeq. Conſtat autem immunitatem Eccleſiaſticorum eſſe antiquiſſimam, ſive conſideretur de jure canonico, ſive civili, ſive divino, prout ſimpliciter, & indiſtinctè à Deo inſtitutam fuiſſe, tenet Rota in allegatis Brundusina, & Albanen.gabellæ, & in d.Hydruntina exemptionis, ac alibi.

16 Non obſtat auctoritas Bartoli, ejuſque ſequacium. Quia illorum opinio, ut ex prædictis patet, ab aliis communiter reiicitur, uti contraria immunitati, ac libertati eccleſiaſticæ, & in illius fraudem excogitata è quorum numero ſunt Bald.in l.omnes n.12.& ſeqq.C.ſive cenſ.vel reliq.fund.compr.non poſſ.& in d.l.placet n.10.& in l.neminem, C.de ſacr.Eccleſ.& in conſ.112.n.7.lib.2.ubi quod Bartolus contra omnes, & non benè loquatur, & illius cautelæ non valeant. Quia non poteſt conſiderari tributum, niſi poſt indictionem, & ſpecificationem, quæ fieri non poteſt poſtquam res fecit tranſitum ad Eccleſiam, Abb.in d.cap.fin.num.13.de vit.& honeſt. Cler.& conſ.8. nu.4.& 5.Jaſ.in cit.l.placet n.21.ubi quod dictum Bartoli ſit falſum, & damnatum ab omnibus, Guido Pap q.381. ubi idipſum teſtatur, Ruin.conſ.117.n.8. lib.4. Felin.in d. cap.Eccleſia, nu.76. de conſtit. Plot. in add.ad conſ. ult. Lauden.n.10.& 13.qui aſſerit, ita fuiſſe declaratum à Senatu Mediolani, Sylvan.conſ.9.nu.29. & conſ.32.num.11. Marcabr. conſ.40.num.29.ubi fatetur de communi contra Bartolum, Paſeth conſ.31.n.8. Vegg.conſ.7.n.11.Graſſ. cem.opin.lib.1.cap.18.q.2. ubi etiam de communi, Remig. Gonn.de char.ſubſid.q. 62. num. 16. Card. Alban.de immun.Eccleſ. n. 29. qui ait, hanc eſſe opinionem Iuriſtarum validiſſimis rationibus confirmatam, & grave piaculum committere, qui contrarium docet, Ceval.com.contra com.q.899.n.72.& 106.Rimin. jun. conſ.25.n.23.Azor. p.1.lib.5.cap.13 q.1.Theſaur.dec.234.num.5.ubi de communi à qua durum eſſet in judicando recedere propter periculum excommunicationis, Io. Ant. de Nigr. in repet. Extrav.un.num.190.Montalv.in for.leg. Caſtell.lib.1.leg. 2.verſ.in contrarium, Mattienſ.ad leg.Hiſpan.lib.5.leg.11. gliſſ 5.n.5 & Guttier.pr.q.lib.2 q.132.num.5. ubi teſtatur de veriori, & communiori, Mandel.conſ.8.n. 4. & ſeq. Surd. conſ.262.nu.31.quos omnes ſequuta eſt Rota in dd.Albanen.num.32.& Hydruntina §. Nec ex eo, quibus addo ipſum Bartolum, qui ſe retractavit in d. l.placet ſub n.35. & conſ.180. Alvar. Valaſch dicentem, reprobum eſſe Bartoli conſilium, & à Doctoribus utriuſque juris damnatum de jur.emphyt.qu.17.Imol. in d.cap.fin. de vit. & honeſt.Cler.nu.16.Archid.Jo. Andr. & Gemin. Anchar. & Franch in cap.1.de immun.Eccleſ.in 6.Perez. lib. 1. ordinam.tit.3.l.1.fol.29.& alios, quos refert Dueñ. d. reg. 100. limit.9.Sanch.d.lib.2.cap.4.dub.67.n. 6. Iacob. Butrigar. in auth.Item nulla Communitas col.1.C. de Epiſc.& Clor. Roman.in d.l.ſi publicanus 14.§.de reb. num. 7. ff. publican.& vectig.Parpal in d.l.placet, num.77. ubi Caſtr.nu. 7.Aretin.num.1.Iaſ.in l.lectur.num.17.& in 2. lect. num.1. Salicet.in auth. Etiam nulla in p. q. in fin. C.de Epiſc.& Cler.Io.de Plat.in l.fin.C.quod de exact.tribut.lib.10.Purpur.conſ.483.nu.6.lib.4.Natt.conſ.1.nu.7. in fin. Carol.de Graſſ.eff.2.num.333.& ſeqq.Duard.ad Bull.Cœn. lib.2.can. 18.q.6.num.10.Ciarlin.contr.lib.1.cap. 103. num.13. cum ſeqq.& Sperell.dec.35.num.33.part. 1. qui alios cumulant, teſtantes de veriori, magis communi, & receptiſſima ſententia, quibus adſtipulantur Dec.in d.cap.Eccleſia, n.35. Cadr.in reg.96.n.43.Gall.conſ.53.nu.112.Carol.à Baſilic.in conſ.impreſſ.in d.Cat.tom.2.pag.417.& ſeq. & pag.108.nu. 29.& pag.115.num.11.& pag.394.& 518.& 603.in fin.tom.1. pag.9.& 570. & 625. num. 5. Alex. Trentacinq. conſ. impreſſ.in ead.Cat.tom.2.fol.145.num.6.ubi de communi, & Marth.d.caſ.11.nu.57.ubi de magis communi. Unde rectè à Sperello loc. alleg. refellitur cautela Nicolai Feſtaſii, quod ſcilicet prædia non amoveantur ab æſtimo alienantis, niſi in eo deſcribatur alter idoneus, qui valeat per ipſos laicos compelli ad ulteriorem ſolutionem collectarum.

Minus obſtant rationes. Non prima. Nam quoad 17
gravamen Univerſitatis eſt abſurda. Primò, quia Eccleſiaſtici haberent prædia penes ſe immunia, & laici ſolverent onera, quæ rem ſequuntur, quod eſſet magna iniquitas. Secundò, quia hoc auferret fidelium liberalitatē, qui pro anima ſua in Eccleſias rem conferunt. Unde rectè, improbata Nattæ opinione, Theſaurus d. deciſ. 234.num.3 dixit, numquam ſe vidiſſe illam in praxi ſervari. Quod verò ad gravamen Principum, non refert, quod illorum proventus inde poſſint diminui. Quia diminutio non fit in propriis bonis, ſed in ſtipendiis communibus, eſtque per accidens. Conſequitur enim ex ſubtractione materiæ religiosè, ac juſtè facta, quàm ob cauſam non debetur recompenſatio. Præſertim quia ſicuti bona, quæ ab Eccleſiaſticis deveniunt ad laicos, efficiuntur obnoxia oneri collectarum, ita, multòque magis immunia illa fieri debent, quæ à laicis tranſeunt ad Eccleſias, vel Clericos, ut ratiocinatur de Graſſ. eff.3. num.40.Sperell.d.dec.35.num.31.& 32.Barboſ.de jur. Eccleſ.lib.1.cap.39 §.5.num.59.Ciarlin.d. contr. 103. num. 9. & ſeqq.quos refert, ac ſequitur Rot.in d. Hydruntina exemptionis, §. Et ſanè & antè eos dixerat Suarez d.lib. 4.cap.20.num.30. addens, rationem objectam in privatis oneribus ex peculiari jure, ſeu dominio profectis locum non habere, & quod ceſſatio tributi in eo caſu non fit privata voluntate, vel authoritate donantis, ſed authoritate juris vel divini, vel humani in divino fundati. Et ideò ibi etiam non deeſt conſenſus Principis ipſo jure datus virtute dictæ legis civilis, qui revocari amplius non poteſt, poſtquam Eccleſia beneficium illiud, & privilegium acceptaverit, quamquam etiam ſine illo id fieri poſſet virtute juris divini, vel etiam canonici..Quod ſi tandem aliquando contingeret tot bona Eccleſiæ acquiri, ut in grave præjudicium, magnamque diminutionem regalium proventuum redundarent, Summus Pontifex conſulendus eſt, Nam ad illum ſpectat in hujuſmodi caſibus remedium adhibere. Non enim licet Chriſtianis Principibus eccleſiaſtica bona invadere, ut in auth.Item nulla, C.de Epiſc.& Cler. expreſsè dicitur nec etiam poſſunt de illis diſponere, aut ſtatuere, ut probatum eſt. Cùmque Eccleſiaſtici utantur immunitate ſibi competente nedum ex jure canonico, ſed etiam divino, non poteſt propterea ex hoc inferri, quod ſubjici debeant oneribus in præjudicium ejuſdem immunitatis.

Neque ſecunda. Quoniam illi obſtat natura, atque 18
indoles collectæ, quæ imponitur perſonæ pro rebus, non immutanda per fictionem legis civilis, ut lædat immunitatem, ac libertatem eccleſiaſticam, dicente Baldo in l.fin. verſ.ſed hic dubitatur, C. fin. conſ. vel reliq. quod ſtatuere, ut collectæ ſint tributa, implicat contradictionem in ſubjecto, quia eſſet ſtatuere, ut munus mixtum ſit merè reale. Id, quod cum Baldo annotarunt etiam Felin. in d. c. Eccleſia num.76. Cæpol. inter conſ. ejuſdem Felini conſil.46. num. 17. & Sperel, p. 1.deciſ.36.num. 13. Obſtatque etiam defectus hypothecæ tranſitoriæ in ſucceſſorem privilegiatum. Quod duo ſuadent. Primum, ejuſmodi collectas, & taxas non præſtari ex ipſa re, ſed à perſonis exſolvi pro re. Obligatio autem, quæ oritur ex ipſa perſona pro re, non afficit ſucceſſorem privilegiatum, ut in hac ſpecie dixerunt Sylvan. conſ.33.n.4.& Sperell.cit.dec.36.n.2.Alterum, hypothecam,

con-

conſtitutam per legem civilem ſuper bonis laicorum pro tempore futuro eo ipſo extingui, quod ipſa bona provenirent in Eccleſias & Clericos immunes à viribus legis prædictæ: adeò ut cum mutatione perſonæ è ſubdita in non ſubditam, mutetur quoque defectu poteſtatis qualitas rei inhærens ratione perſonæ ſubditæ, ſicuti ſupponunt verba *d.cap.1.de immun.Eccleſ.in 6.& d.cap. quamquam 4.de cenſ.etiam in 6.* ac poſt antiquiores tradunt Guttier *li.1.q.3.cum ſeqq.*& Sperell.*ead.dec.36.n.29.* aſſerentes, hunc eſſe caſum mirabilem, in quo onus hypothecæ legalis non tranſit cum re ipſa. Et in terminis, quod hujuſmodi pactum, obligatio bonorum, & hypotheca pro futuris oneribus non præjudicent, firmavit Roman. in *d.l.ſi publicanus,* §.1.*ſub n.7.de publ.& vectig.* Everard. *conſ.impreſ.in d Cat. aur.nu.64.&* 48.*pag.*279. quod etiam ſequitur Præſes Trottus in *d.ſuo conſ.ſub init.* & in aliis *fol.*395. *& tom.2.pag.*63. *num.*8. *& pag.*416. *& ſeqq.* ubi alii quamplures & *pag.*518.*n* 17. ubi concluditur, quod nulla cautela, nullaque forma de jure excogitari poteſt, quibus bona, quæ tranſeunt ad Eccleſias, obligari poſſint pro oneribus laicalibus.

19 Ad confirmationem reſponſum à nobis eſt alio in loco, ubi prolixè probatum ſacros Canones non inſpicere animum, aut conſilium, quo ſtatuta adverſus libertatem eccleſiaſticam emittuntur, ſed rem ipſam, ac factum ipſum, quod ipſi prohibent.

20 Secundus caſus eſt, quando in actu regiſtrationis ipſi bonorum domini ea ſubmiſerunt pacto, & obligationi expreſsæ, ac perpetuæ hypothecæ. In hoc etiam caſu videtur negativè reſpondendum. Quia cùm non poſſint eximi à dictis oneribus, niſi perveniant in Eccleſiaſticos, videtur talis conditio appoſita in odium eccleſiaſticæ immunitatis, ut nimirum Eccleſiaſtici ſubjiciantur oneribus, quibus non debeant ſubjici, & quoad bona, quæ tranſeunt ad ipſos, non gaudeant immunitate contra *d.cap quamquam, de cenſib.& cap.1. de immunit. Eccleſ.in 6.* ac Bullam Cœnæ *d.can.*18.

21 At nihilominus tenendum eſt, quod poſſit ejuſmodi onus imponi, neque hoc ſit contra eccleſiaſticam immunitatem. Ita diſertè docent Felin. in *d. cap. Eccleſia, n.* 77.*de conſt.* Hoſt.*in cap.verum, de for.comp.* Io: Andr.*ibi,* Panorm. *in cap. verum, de condit. appoſ.* ubi & cæteri Doctores, Anchar.*conſ.*223. Caſtren.in *l. ſi negotium*, §. *fin.ff.de negoc.geſt.* Io: Ant. Nigr. in *d.Clem. un.de vit.& honeſt.Cler. num.*253. Carol de Graſſ.*eff.*2.*nu.*336. *& eff.*3. *num.*168.*&*274. Squillant.*de privil.Cler.cap.*8.*n.*56. Molin.*de juſt.& jur.tr.*5.*diſp.*6. Suar.*d.lib.*4.*contra Reg.Angl. cap.*14.*n.*18. Azor.*p.*1.*lib.*5.*c.*13.*q* 1. Bartol.*in d.l. reſcripto, §.ſciendum, ff.de mun.& honor.* Marth *p.*4. *de juriſd.caſ.* 14. ubi alios adducit, Guttier. *lib.*1.*quæſt. pract. qu.*5. Reginald. *in prax. for. pœnit. lib.*9. *n.*380. Alter. *de cenſur. diſp.*16.*cap.*5.*dub.*6. Duard.*in Bull. Cœn.lib.* 2.*can.*18.*q.*6. *n.* 10. Bonacin. *diſp.*1. *de cenſur. q.*19. *pun.*3.§. 1. *num.*18. Thom.del Bene *de palam.dub.*4.*ſect.*20. *ſub ſect.*2.*nu.*10. *& ſeq.& de immun.c.*5.*dub.*1.*& dub.*15.*& dub.*31. *per tot. & cap.*8.*dub.*11.*ſect.*3.*n.*3. & S. Rota Romana, cujus deciſionem integram refert *d.dub.*15.

22 Quia, cùm quilibet ſit rerum, ac bonorum ſuorum dominus, & arbiter *l.in re mandata, C. mandati, & l. Polla, C.de his, quibus, ut indign. hæred. aufer. & inſtit. de his, qui ſunt ſui, vel, alien. jur.* §. 1. poteſt illis imponere onus quodcumque libuerit, & quando transfert in alium transferre cum tali onere, à ſe impoſito, quia res tranſit cum ſuo onere, *cap. ex literis, de pignor. & l.ſi convenit* 2.*§.ſi fundus, ff.de pignor. & l.bovem, §. pignori, ff.de ædil.edict. & l.ſi divina, C. de exactor.tribut.& l.alienatio ff.de contrah.empt.* Et ideò, quando bona perveniunt ad Eccleſiaſticos, trahunt ſecum hoc onus, quod ſint ſubjecta oneribus imponendis à ſupremo Principe.

23 Hinc quando res tranſeunt ad Eccleſiam, retinere onera ipſis invariabiliter impoſita ex vi privati dominii, docent communiter Doctores, nominatim Bartol. in *l. de iis C.de Epiſc.& Cler. & in l.placet, C.de ſacroſ. Eccleſ.* Innoc.*in cap.non minus, de immun.Eccleſ.* Archid.*in c.ſecundum canonicam* 23.*qu.*8. Jo.Monach. *cap.1.de immun.Eccleſ.in* 6. ibique Io. Andr. Et proſequuntur Panorm.in *cap.1.de cenſib.& in cap. fin.n.*12. *de v.t. & honeſt.Cleric.& conſ.*26.*vol.*1. *& conſ.*3.*&* 6.*vol.*2. Sylveſt. *v.Immunitas q.*5. Angel.*eod.v.num.*36. Gregor Lopez *p.*1. *tit.*6.*l.*11 *gloſ.*4.*& tit.*15.*l.*1.*gloſſ.etiam* 4.*in fin.* Suar.*d.l.*4. *c.*20.*nu.*6. Card.Alban. *de immun. Eccleſ ſolut.*4.*rat.pro com.ſen.* Filiuc.*tr.*6.*cap.*11.*n.*294. Azor.*p.*3.*lib.*5. *cap.*19.*qu.* 8. Duard.*d.lib.*2.*can.*18.*qu.*6.*n.*6. Megal.*p.*2.*lib.*5. *cap* 17. *qu.*6.*n.*98.*&* 103. Alter.*tom.*1.*de cenſur.diſp.*19. *lib* 5. *c.*6. Proſp.de Auguſt *in add.ad ſum.Quarant.v.vectigal.* Molfeſ. *p.*2.*ſum.*'*r.*12.*cap.*22.*n.*167.*&* 168. Souſ.*in Bull.Cœn. cap.*19.*diſp.*92.*num.*5. Turrian.*tom.*2.*in* 2.2. *diſp.*44. *dub.* 4 *num.*13. Molin.*tom.*3. *de juſt.tr.*2. *diſp.*672. Dian.*pag.*1. *tr.*2. *reſol.*43. *in fin.* Barb. *tom.*1. *collect. in jus can. lib.*3. *tit.* 49. *cap.*4. *num.*5. Thom. del Ben. *de parlam. dub.* 4. *ſect.*15.*num.*5. Thomat. *de collect.*§.*non obſtant n.* 19. *pag.* 155. Duegnas *d.reg.*100 *fall.*6.*num.*6. Sanch *d.dub.*57.*n.*8. Sperell. *d.dec.*35. *num.*41. teſtans, ita reſpondiſſe Sac.Congregationem, præpoſitam negociis juriſdictionalibus in in Taurinen.ſub die 6. Novembris 1628 admiſitq; etiam Rot. præcitata *Albanen.* coram Merlino *num.*64.*in fin.* & tradit Gloſſ. *in d.c. ſecundum canonicam* 23. *qu.* 8. *& in cap. tributum, v. de exterioribus, & in c. ſancitum, v. annua, & in c.ſecundum, ead.cauſ & q.& in cap.*1.*v. bonorum, de immun.Eccleſ.in* 6. atque habetur *ex c.convenior,* & aliis allegatis 23. *q.*8.*& c.ſi tributum, & c.magnæ* 11.*q.*1.*& cap.conſtat, & cap.Cum non ſit, & cap.paſtoralis, de decim.* Quia onus annexum rei fundat jus tertii, cui ex vi talis oneris res obligatur. Ex eo autem, quod res tranſeat ad Eccleſiam, non privatur quis jure ſuo, quia Eccleſiæ bona ſunt quidem immunia, ſed ſervata juſtitia reſpectu uniuſcujuſque. Atque ideò determinatum eſt in jure, ut *cap.Verum, de condit.appoſ. & cap.præterea, de jurepatr.& cap.cum dilecti, de donat.* quod ſervanda eſt conditio, cum qua donatio facta eſt Eccleſiæ. Vnde cùm conditio iſta appoſita in actu regiſtrationis bonorum ab eorum dominis, quod nimirum bona regiſtrata ſint perpetuò ſubjecta oneribus à Principe imponendis, in quaſcumque manus devenerint, ſit juſta, quia reſpicit bonum commune, erit ſervanda ab Eccleſia, & Eccleſiaſticis, quando res ſub tali conditione conceſſa pervenit ad manus eccleſiaſticas,

Non obſtat, quod onera imponenda ſint variabilia, 24 & incerta, & proinde non tranſeant ad Eccleſiaſticos cum bonis, ut cum communi ſententia docet Abb. in *Eccleſia, de conſtitut.* Quoniam aliud eſt, quod res tranſeat cùm oneribus variabilibus, & aliud, quod tranſeat cum obligatione ad onera variabilia. Hæc enim obligatio eſt onus invariabile adhærens rei ex conditione appoſita ab ipſo domino, & ideò cum ipſa tranſire debet. Hinc Eccleſiaſtici ratione feudorum, & ſecundùm illorum conditionem tenentur præſtare auxilia Principi in ordine ad bellum, ut cum communi docent Oliban.*de jur.fiſci c.* 8. *num.*2. Carol de Graſſ.*lib.*2. *Reg.Franc.jur.*14. Marth.*p.*4 *de juriſdict.cent.*1. *caſ.*18 *nu.* 26. Intrigl. *de feud.q* 30.*nu.*24. Petr.de Gregor *de conceſ. feud. p.*8.*qu.*2.*v. Tertio limitato.* Et tamen hæc auxilia præſtanda ſunt incerta, & variabilia. In feudo autem fundatur obligatio certa, & invariabilis ad præſtanda hæc auxilia.

Neque, ut dicebatur, ſequitur aliquid contra immunitatem eccleſiaſticam. Quia non læditur ex eo, 25 quod quis velit tantùm res ſuas pervenire ad Eccleſiaſticos cum aliquo onere. Nam in hoc utitur jure ſuo, nec facit aliquid in odium immunitatis, qui donat rem gravatam, ſed tantùm ſequitur, quod minus donet. Neque hinc acquiritur Principi ſæculari aliquod jus ſupra perſonas eccleſiaſticas, ratione cujus poſſit in ipſas exer-

exercere juriſdictionem; ſed tantùm acquirit jus ad rem transeuntem ad ipſas. Quia imponendo onera cæteris rebus, poteſt etiam ab ipſa exigere eadem onera, ſervata debita proportione, non quidem juriſdictionali modo, ſed per viam juſtitiæ, & tamquam aliquid ſibi debitum.

26 Non itaque diffiteor, poſſe id admitti in hypotheca conditionali, quæ emanaſſet ex libera voluntate dominorum, qui ſponte, nulla Principis dominantis auctoritate coacti, neque legis, aut ſtatuti neceſſitate impulſi ſpeciatim obligaſſent, & hypothecaſſet bona propria ab ipſis poſſeſſa pro ſolvendis oneribus tam præſentibus, quàm futuris, quandocumque imponendis, eiſdemque legem perpetuam impoſuiſſent, quod eorum ſolutioni ſemper obnoxia, & ſubjecta forent; tunc enim videtur eſſe locus receptæ limitationi, quod onus talis hypothecæ conventionalis unà cum ipſis bonis valeant tranſire in Eccleſias, & Clericos à quibus poſteà acquiruntur. Fundatur enim in peculiari, ac ſpontanea pactione proprii domini ipſius rei hypothecatæ, qui de illa potuit ad ſuum libitum diſponere in præjudicium ſucceſſorum, eique legem, quam voluit, imponere, non autem vi, ac poteſtate legis, vel ſtatuti, quæ reſpectu comprehenſionis Eccleſiarum, & Clericorum defecit ab initio. Poſita enim hujuſmodi promiſſione, contracta eſt obligatio realis, quæ afficit etiam bona. Nec tamen læſa tunc manet integritas eccleſiaſticę immunitatis; quoniam illa ſolutio vel non habet amplius rationem tributi propriè dicti in ſignum publicæ ſubjectionis, ſed habet rationem particularis cenſus, vel penſionis, vel cenſetur ſolutio facta à priori domino cujus vice fit ab Eccleſiaſticis. Benè verum eſt, quod ſit neceſſe, obligationem hanc eſſe particularem, & expreſsè, ac particulariter acceptatam à deſcriptis in æſtimo. Nam aliàs ex ſolo generali Principis ſtatuto diſponente, quod bona deſcripta cenſeantur ita affecta tributis, ut ab eis ſeparari non poſſint, non inducitur obligatio realis, neque præjudicari poteſt juri acquirendi ſine tributo, quod jus eſt in Eccleſia, ut anteà diximus. Sicque rectè, præter allegatos diſtinxerunt Bald.*conſ.*280.*col.*2. *ante med.vol.*2. Anchar. *conſ.*303. *num.*3. *&* 4. Natt *conſ.* 515.*num.*11.*&* 14.Sanch.*d.dub.*57.*num.*3.Bellon. *Sen.conſ.* 40.*numer.*5.Vegg.*conſ.*70. *numer.*6. Theſaur.*d.deciſ.*234. *numer.*9.Guevar. *in propugnac. d. aſſert.*1. *§.*6.*numer.*17. Maſcard.*concl.*1.*numer.*100.& Ciarlin.*d.cap.*103.*numer.* 24.*& ſeqq.* ac declaravit S.Congregatio Immunitatis die 6 Novembris 1628.

27 Et ratio diſcriminis inter caſum hypothecæ legalis inductæ ſuper bonis ſubditorum, ac Civium per legem Principis, ac per ſtatutum Vniverſitatis, & inter caſum hypothecæ conventionalis rei ſuæ impoſitæ per dominum, ea videtur, quia lege, vel ſtatuto inducitur actus neceſſarius, qui propterea regulandus eſt ab indole, ac natura neceſſitatis legalis, unde ille ortum habet. E converſo autem ex ſpontanea pactione domini ipſius rei inducitur actus voluntarius, qui ad ejus libitum poteſt jure dominii afficere rem, de qua diſponit ea lege, qua mavult. Quare, ſi hujuſmodi hypotheca conventionalis concludenter probaretur, hoc caſu non eſſem alienus à conſilio, quod Sedes Apoſtolica poſſet annuere Principum poſtulationibus.

28 Et quoniam ad everſionem fundamenti, quo innititur deciſio hujus caſus poſſet ab Eccleſiaſticis replicari, quod hypotheca pro collectis, & oneribus imponendis in futurum non eſt deducibilis in eſſe priuſquam reipſa imponantur, quia tunc ſolùm, & non anteà oritur obligatio perſonalis ab ea ſolvenda, cui acceſſoriè adhæret hypotheca. Eſſet enim contra regulas juris, dare originem illius ante ortum ipſius actionis perſonalis. Quod ponderarunt Iacob.Butrigar.in præcitata *auth.Item nulla Communitas, verſ.Sed ſi nos, C.de Epiſc.& Cler.* relatus à Baldo *d.conſ.*280.*poſt med.vol.*2. Ruin.*d.conſ.*117.*n.* 8.*vol.*4.& Sperell.*d.dec.*35.*n.*37.

Reſpondetur, ex dicta promiſſione generaliter facta pro ſe, ac ſucceſſoribus ſuis de ſolvendis omnibus collectis, atque oneribus in futurum imponendis, ſtatim oriri obligationem, & actionem perſonalem genericam de adimplendo promiſſionem, poſtquam illa fuerint impoſita, cui tunc adhæret ſimilis hypothecaria, licet altera perſonalis ſpecifica oritura ſit eo ipſo quod fiet impoſitio juxta declarationem Tornielli, quam in hypotheca legali competenter pro legato conditionali uſque ad diem aditæ hæreditatis, licet actio perſonalis ſpecificè non oriatur ante conditionis eventum, fecit in *l.*1. *ex num.* 119.*cum ſeqq.de legat.*1.repetitam à Fuſar.*de ſubſtit.q.*612. *num.*12.*& conſ.*52.*num.*45. ibique etiam à Ferrett.*num.*18. & quam prius in ſimili hypotheca, quæ pro mala adminiſtratione competit adverſus tutorem, & curatorem à die ſuſceptæ tutelæ & curæ, quamvis longè poſt incipiant malè adminiſtrare, ac eſſe debitores, fecerat Bald.in *l.cum.oportet*, 6. §. *ſed cum tacitas ante num.*1. ibi: *Præmitte, quod duæ ſunt obligationes. Vna generalis & informis, quæ contrahitur ab initio pro ratione reddenda reddendæ. Secunda formalis, quæ deſcendit ad ſuas ſpecies primæ, & per conſequens ſecundæ decedat hypotheca ab ipſo initio*, *C.de bon.quæ liber.*quam ibidem approbat Salyc.*num.*6 *& in l. pro officio*, 20. *num.*1.*poſt med.* ibi ſic dicens: *Ex quolibet contractu naſci duas obligationes. Vnam generalem & primitivam ſtatim ac contractus celebratur; aliam ſecundariam*, *C. de adminiſtr.tut.* Explicavitque etiam Rebuff *in conſtit.reg. tom.*2. *tit. de Conſtit.redit.ar.*1.*gloſ.*14.*n.item* 14.ac noviſſimè repetiit Merlin *de pignor.lib.*3.*tit.*1. *q.*4.*n.*6. *&* 7. Vnde liquet dictam hypothecam numquam fuiſſe ſine actione perſonali ſtante ortu dictæ genericæ hypothecæ ab initio, quamvis ſubſecutura ſit altera ſpecifica poſt quam collectæ, & onera re ipſa fuerint impoſita. 29

Tertius caſus magis dubius eſt, quando ſumus in puris terminis regiſtrationis perpetuæ, vel conſuetudinis immemorabilis, nec conſtat, an intervenerit pactum cum obligatione libera, & expreſſa. 30

In hac quæſtione negari non poteſt, quin ſententia, quæ affirmat, hæc onera in Eccleſiam tranſire, ſit communior, & calculo Doctorum majoris auctoritatis ſubſcripta, utpote quæ eſt Gloſſæ in *cap.*1.*v.Bonorum,de immun. Eccleſ.lib.*6. & in *c. Tributum*, *v. de exterioribus*, & in *c.ſecundum canonicam*, ubi etiam Archid. & in *c. Sancitum*, *v. Annua* 23.*qu* 8.& in *cap.*1.*v. manſus* ex ſententia Alani, *de cenſib.*immò ipſius Gratiani §. *Hinc datur*, *poſt cit.c. Sancitum*, Ioan.Andræ, Ioannis Monachi, Philippi Ancharani, Geminiani in *d. cap.*1. *de immun.* Abbatis in *cap.*1.*num.*6.*&* 7.*de cenſib.* & in *cap.Non minus num.*15.*de immun.Eccleſ.& in conſ* 26. *vol.*1.*& conſ.* 3.*&* 6 *vol.*2.Ioannis de Lignano in *Clem præſenti,de cenſib.* Innocentii in *d.cap.non minus,num.*4. Bartoli in *l.de iis,C.de Epiſc.& Cler.& l.placet*,ubi etiam Iaſon.*C.de ſacroſ.Eccleſ.*Driedonis *lib.*2.*de libert.chriſt.cap.*3. Gregorii Lopez *p.*1.*tit.*6.*l.*51 *gloſ.pariter* 4. Dianæ cum aliis, quos citat *reſolut.*42. *in fin.pag.*1. *tr.* 2. Angeli in *ſum. v. Immunitas*, *num.*36. Sylveſtri *eodem num.*1.*quæſt* 5.& aliorum viginti & unius, quos citat Carol.de Graſſ. *effec.* 3. *num.*154. Vaſquez *de ſucceſſ. lib.*1. §. 10. *ad l.quoniam in priorib.C de inoff.teſtam.p.*1.*num.*656. Valaſch.*de jur. emphyt.q.*17.*num.*3. Caſtil.*lib.*2.*contr.*99.*c.*5.*num.*58.Azor.*d. lib.*5.*c.*13.*p.*1.Geron.*de ſacr.immun.lib.*3.*c.*17.*num.*78. Anton.Glavar.*in ſuo conſ.un.num.*58 *cum ſeqq.* & Sperell.*cit. dec.*36.*è num.*20.& ſubſcribunt Alter. *tom.*1.*de cenſ.diſp.* 19.*cap.*6. *col.* 4. teſtans, eſſe communem juris utriuſque Interpretum, & Summiſtarum omnium antiquorum, & recentiorum, Vgolin.*ad Bull. Cœn.can.* 18. §.3.*numer.*3. Duard.*ibid.qu.*6.*à nu.*5. Scortia alios citans in Bullas ſelectas *theor.*77.*num.*6. Reginald. *lib.*9.*pr.pœnit.num.*580. Souſ.*in relect.Bull.Cœn.diſp.*92.*nu.*5 & alii. Eſtque receptum apud ſuprema Tribunalia. Ita enim judicatum à Senatu Mantuano apud Surd.*deciſ.*20 *num.*11. à Senatu Pedemontano apud Theſaur. *deciſio.* 234. *numer.* 4. *&* 6. à Senatu 31

à Senatu Luſitano apud Cavet. *deciſ.* 64. & ita pluries fuit reſolutum à S. Congregatione Romana, ſcilicet, quod Eccleſia, & Eccleſiaſtici, ſi poſt acquiſitionem non præſcripſerint libertatem non ſolvendi per tempus ſufficiens, tenentur ſolvere onera Cameralia impoſita rebus, quæ ad ipſos tranſierunt, ut à Congregatione Boni regiminis ſub 5. Iulii 1598. & à Congregatione ad levanda onera inſtituta, ſub anno 1599. & 1614. Vnde ſi Communitates ſint in poſſeſſione exigendi, quæ acquiritur etiam per unicum actum, debent in illa manuteneri, ut in fortioribus probat Rota in Tudertina Aſſignæ coram Coccino *deciſ.354.num.7.& ſeq.* inter ejus impreſſas. Et tamdem à fortiori ſuſtinent hanc ſententiam, qui putant Eccleſiaſticos pro bonis ſic affectis teneri etiam ad onera extraordinaria.

32 Fundatur autem primò in jure canonico, ubi quoties habetur ab Eccleſia aliquid ſolvendum eſſe, ad minus de his tributis, ſeu oneribus antiquis accipiendum eſt. Habetur autem *in c.Si tributum* 11.*quæſt*.1. qui ex D. Ambroſio ſumptus eſt: *Si tributum petit Imperator, non ei negamus, agri Eccleſiæ ſolvant tributum*, & in *c.Magnum, ibid.* ex eodem Ambroſio: *Ne quis conſtitutionem æterni Regis putet eſſe ſolvendam, ſi cenſum filius Dei ſolvit, quis tu tantus es, qui putas eſſe non ſolvendum?* & in *c. Convenior* 23.*qu*.8. pariter ex Ambroſio: *Tributum Cæſaris eſt, non negatur*, & in *c. Tributum ead.cauſ. & qu. De exterioribus ſuis Eccleſia tributum reddit*, & infra: *De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defenſari debent Imperatoribus ſolvendum eſt.* Vbi, ut vides, aſſignatur ratio convenientiæ hujus ſolutionis, & inſinuatur argumentum, quod ex prædictis canonibus habetur nimirum quod ubi eximitur Eccleſia tantùm quoad ea, quæ ab initio poſſidet pro dote, vel quoad ea, quibus fruitur ſpirituali jure, ut ſunt decimæ, primitiæ, oblationes, & quoad locum, in quo ipſa Eccleſia ſituata eſt, & cœmeterium, atrium, hortum annexum, & his ſimilia, juxta *c. ſecundum canonicam, & c. Sancitum* 23.*quæſt*.8. *& cap*.1. *de cenſib.* tunc firmatur regula contraria pro non expreſſis, ita ut de exterioribus, id eſt de iis, quæ extrinſecus acquirit, ut explicant Gloſſæ, debeat antiqua onera ſolvere. Et dicitur expreſsè in eo *c.Sancitum*, quod etiam eſt *cap*.1. *de cenſib. Si aliquid amplius habuerint, inde majoribus ſuis debitum ſervitium impendant.* Quod ſi velis ex voce *ſervitium* ſermonem eſſe de oneribus perſonalibus, urget magis argumentum. Quia ſi præſcripto Canonum non abrogantur antiqua onera perſonalia, multò minus abrogari realia dicendum erit.

33 Secundò ſuadetur auctoritate legum civilium, præſertim *l. placet, C. de ſacroſ. Eccleſ.* quam, utpotè rationabilem Gratianum inſeruit decreto, *c.Placet* 16. *quæſt*. 1. ubi dicitur, nihil extraordinarium Eccleſiæ prædiis eſſe expetendum, benè tamen canonicam illationem, quæ non aliud ſignificare poteſt, niſi ordinarium, ſeu certa regula determinatum tributum. Et *l. de iis, C.de Epiſc. & Cler.* dicitur, prædia Eccleſiaſticorum cogenda eſſe ad penſitanda fiſcalia, quæ onera prædiis Eccleſiæ conjuncta eſſe poſſe, ſupponitur in *auth. Item prædium* 102. dum dicitur, prædia Eccleſiæ alienari poſſe, ſi ſint inutilia propter onus fiſcale adnexum. Et in *l. fin. C.de exact. tribut.* habetur, poſſeſſiones Eccleſiæ vindicari poſſe, niſi ſolvant impoſitas Reipublicæ functiones quemadmodum prior dominus pendebat. Nomine autem functionum intelligi tributa, docent ibi Gloſſa, & Doctores. Et tandem facit *l. 1. C. de indict. lib.*10. quatenus ſtante, quod Eccleſia, & Fiſcus æquiparentur *ex l.fin. C. de ſacroſ. Eccleſ.* prædia dicuntur etiam ad fiſcum tranſire cum onere.

34 Tertiò probatur, quia hujuſmodi onera ſunt merè realia, ut habetur *ex l.Imperatores, ff. de public. & vectig.* Et ex eo, quod imponuntur ratione ſubjectionis rei, quæ de ſe erat de juriſdictione Principis, etiam ſine reſpectu ad perſonas. Atqui certum eſt, onera merè realia ſequi rem in quocumque ſtatu.

Hinc quartò fit, quod ita ſupponitur oneratam rem 35
tranſire ad Eccleſiam ex voluntate prioris domini, quia nemo plus juris in alium transferre præſumitur, quàm ipſe habeat, *l.nemo plus juris, ff. de reg.jur. l.traditio, ff. de acquir. rer. dom.* cum aliis ſimilibus. Sicut ergo non habebat prior dominus jus liberum rei, ſed cum onere debito Principi, eodem modo rem præſumitur transferre. Vnde militat illud ex parte Eccleſiæ, quod qui in jus ſuccedit alterius, uti debet eodem jure, quo ille utebatur, *l.is, qui in jus, ff.de reg.jur.* Et confirmatur, quia ex expreſſa voluntate, vel pacto poſſet prior dominus cum onere ſolvendi tributum Principi bona in Eccleſiam transferre, ut dictum eſt, ergo idem fieri dicendum eſt ex voluntate præſumpta.

Eo vel maximè, & eſt quintum argumentum, quod 36
ſicut non eſt congruum, ita nemo præſumitur cum jactura alterius bona ſua alienaſſe, & privaſſe Principem ſuo jure ſine ipſius conſenſu, cùm id ſit contra naturalem juſtitiam ex una parte, ſtante adhuc probabiliſſima ſententia, quod bona ſint hypothecata Principi ad ſolvendum pro toto tempore futuro ſtatim ab initio impoſitionis, ut ex *d.l.Imperatores, ff.de public.vectig.* tenet Caſtr. *ibid.* & in *l.apud Iulianum, §. hæres, ff.de leg.*1 facitque *l.*1.*C. quibus cauſis pignoratio tacita contrahatur*, & ſcribunt Hoſt. *in ſum.lib.*5. *tit.de pignor.* Angel. & Sylveſt. *v. pignus*, Neguſant. *de pignor.*2.*p.memb* 4 *numer*.125. Ruin. *conſ.*117.*num*.2.*vol*.4. & Marcabrun. *conſ*.40. *num* 81. *cum binis ſeqq.* Aliaque ex parte nulla ſit Eccleſiæ injuria ex eo, quod minus illi detur ratione oneris annexi. Non enim ipſa gravatur, neque eſt ei indecens accipere emolumentum rei, licèt alicui oneri antecedenter obnoxiæ.

Contra verò non deſunt, qui ſentiant oppoſitum, ſcilicet onus hujus tributi ſeparari à rebus, & ceſſare ſtatim ac ad Eccleſiam, & Clericos res tranſeant, ut Cardin. Alban. *in cit.tr.de immun.qui eſt in tom.*13.*p*.2. & ad Bartol. *in l.hæres abſens n*.2.*& ſeqq ff.de judic.* Suar. *contra errores Ang.d.lib.*4.*cap*.20. Carol. de Graſſ. *d.eff*.3.*n*.162. cum aliis octo Auctoribus, quorum pleroſque ait (quod mirum eſt) teſtari de communi Gutier. *lib*.1.*pr.q*.3. *numer*. 15. alios quatuor Doctores Hiſpanos allegans, & tamquam probabile amplectitur idem Dian. *p*.3.*reſol*,17. *de immun.Eccleſ.* citans Guevaram, & Peſantium, id quod non improbabiliter dici ſentit etiam del Bene *d. cap*.5. *de immun.dub*.6.*nu*.3. ac tradunt Bonac. *in Bull. Cœn.pun*.3. §.1.*num*.4.*&* 16. & Filiuc. *cit.tr*. 16. *num*. 294. ac Ceval. qui etiam teſtatur de magis communi *q*. 142. *in princip.*

Probatur primò ex natura ipſa privilegii exemptio- 37
nis eccleſiaſticæ, quod, ut fundatum in illis verbis Chriſti Matth.17. *Ergo liberi ſunt filii*, quæ latè expendit Suarez *d. cap*. 20. debet eſſe generale, ſaltem pro quanto important illa verba, aliàs reſtrictio omnis gratis aſſumitur, niſi ſufficienter probetur. Sed filiis Regis naturali privilegio gaudent exemptione à tributis non ſolum quoad bona jam ſua, ſed etiam quoad ea, quæ prius tributaria acquirunt: ergo etiam bona Eccleſiæ liberantur à tributis per hoc ipſum, quod ad Eccleſiam tranſeant.

Secundò firmatur ex juribus canonicis, inter quę mi- 38
hi videtur primò optimus textus *in cap. Adverſus. de immun. Eccleſ.* ubi ſupponuntur damnatæ generaliter omnes exactiones, quæ tangunt Eccleſiaſticos. Et licèt *cap. Non minus eod.tit.* ubi eæ damnantur non ſatis clarè loquatur, ita tamen debere intelligi, aut ita extendi mens eſt alterius Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. cujus eſt illud *cap. Adverſus*. Subſequenter facit textus *in c.*1.*de immun.Eccleſ.in* 6. ibi: *Vt Eccleſia in plenitudine juris ſui, & libertatis integritate lætentur.* Non eſſet autem integra hæc libertas, ſi non comprehenderet exemptionem à tributis hiſce antiquis, ſeu ordinariis.

Et infra: *Decernimus non licere tallias, vel collectas ſeu exactiones quaſcumq; Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis imponere, vel exigere ab eiſdem pro domibus, prædiis, vel quibuſcumq; poſſeſſionibus ab iiſdẽ Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis legitimè hactenus acquiſitis, vel, in poſterum acquirendis, etiamſi hujuſmodi ſint intra illorum diſtrictum, vel territorium conſtituta.* Per quæ poſteriora verba ſignificatur, non obſtare ſubjectionem ipſius rei, quæ habet annexum onus, in qua fundat obligationem ſolvendi ſententia contraria. Tertiò idem infertur ex *cap. quamquam, de cenſib. in 6.* ubi generaliter dicitur, Eccleſias, eccleſiaſticaſque perſonas, ac res ipſarum, non ſolum jure humano, quinimmò & divino à ſæcularium perſonarum exactionibus eſſe immunes.

39 In jure autem civili non puto ſatis expreſsè particularem hanc immunitatem à tributis imperatam eſſe, quicquid aliqui velint haberi ex *l. jubemus, C. de ſacroſ. Eccleſ.* & ex *auth. Item nulla, C. de Epiſc. & Cler.* cujus textum dicit expreſſiſſimum Carolus de Graſſis. Sed alii conſiderent. Textus ſic ſe habet: *Item nulla Communitas, vel perſona publica, vel privata collectas, vel exactiones Eccleſiis, vel piis locis imponere præſumat.*

40 Sed ratione efficacius oſtenditur. Quia etiam admiſſo, hujuſmodi tributa præſtari ob ſolam ſubjectionem ipſius rei ſine ordine ad ſubjectionem perſonæ, poſtquam in poteſtatem Eccleſiæ res devenit, ſicuti de ſubjectione, ſeu jure ipſius eſt facta, ita à ſubjectione Principis laici liberata eſt. Quemadmodum enim ſubjectio perſonæ mutari poteſt, ita & ſubjectio rei, ut ſicut de facto perſona per aſſumptionem ſtatus eccleſiaſtici eximitur à juriſdictione Principis laici, ita eximatur res per hoc, quod ad dominium Eccleſiæ tranſeat. Supponimus enim tributa præſtari ob ſubjectionem, hac ergo ſublata, non eſt quo titulo Princeps laicus exigat tributa.

41 Hæc ſunt potiora utriuſque ſententiæ fundamenta. Quid autem à nobis tenendum eſt, diſſeramus. Sunt qui haſce contrarias opiniones conciliare conati ſunt hac diſtinctione. Aut res habebat aliquod onus certum, perpetuum, & invariabile annexum antequam tranſiret in Eccleſiaſticos, verbi gratia cenſum aliquem, ſervitutem Principi debitam, onus reparandi viam publicam, pontem, & id genus alia, & hoc onus etiam in Eccleſiaſticos tranſit. Aut habebat onus incertum, & variabile, ac ſecundum exigentiam Reipublicæ, & hoc onus, non tranſit ad Eccleſiaſticos. Item vel res Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum habebat annexam aliquam gabellam, vel collectam certam, perpetuam, & invariabilem, ut ex ea quotannis ſolvatur certa penſio in perpetuum, & hanc ſolvere tenentur Eccleſia, & Eccleſiaſtici. Vel res illa erat ſolum obnoxia gabellæ, aut collectæ obligatione incerta, & variabili ad tempus nunc in majori ſumma, nunc in minori juxta neceſſitatem rerum contingentium, & hanc neque Eccleſia, neque Eccleſiaſtici ſolvere, tenentur. Ita diſtinxerunt Sylveſt. *d. v. immunitas* 1. *num.* 19. Filiuc. *tom.* 1. *tr.* 16. *p.* 11. *num.* 294. Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 19. *qu.* 8. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 18. *quæſt.* 6. *numer.* 6. Megal. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 17. *qu.* 6. *num* 98. & 103. Alter. *tom.* 1. *diſput.* 19. *lib.* 5. *c.* 6. Proſper. de Auguſt. *in addit. ad ſum. Quærant. v. vectigal.* Souſ. *in Bull. Cœn. cap.* 29. *diſput.* 92. *num.* 5. Molfeſ. *in ſum. tom.* 2. *tr.* 12. *cap.* 22. *nu.* 167. & *ſeqq.* Turrian. *tom.* 2. *in* 2. 2. *diſput.* 44. *dub.* 4. *num.* 13. Molin. *tom.* 3. *tr.* 2. *diſp.* 672. Laym. *lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 6. *num.* 5. Malder. *in* 2. 2. *tr.* 5. *c.* 6. *dub.* 9. Suar. *cit. lib.* 4. *cap.* 20 Barboſ. *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. *c.* 4. *num.* 6. Carol. de Graſſ. *d. eff.* 3. *num.* 22. & *num.* 166 & 172. Marth. *de juriſd. p.* 4. *caſ.* 11, *num.* 38. & alii benè multi.

42 Hæc autem conciliatio, etſi rectè conſtituta videatur, eſt tamen mutila, & ideò non poſſum de plano illi adhærere, ſed tranſeo cum ſenſu Rotæ in dd. *Brunduſina, & Albanen. gabellæ*, atque in *Hydruntina exemptionis*, & in aliis, quæ, ultra qualitates prædictas, quod onera ſint certa, perpetua, & uniformia, ſive invariabilia, amplius exigunt, ut ſint realia, non mixta, videlicet præſtanda ex ipſa re, non autem pro re. Solum igitur Eccleſia, & Eccleſiaſtici ad ea tenentur, cum hæc omnia copulativè concurrerint. Quod onera ſint realia ipſis bonis infixa, & infixa bonis propter bona, & ſint perpetua, certa, invariabilia, non autem ex aliquibus cauſis urgentibus, & illis ceſſantibus, removenda. Ita ex Canoniſtis, atque Theologis, ac Iuriſperitis judicavit Rota in locis allegatis, & decrevit Sac. Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium controverſiis juriſdictionalibus præpoſitorum, ut ex ſequenti decreto. *Sacra. &c. aliàs cenſu, bona per Eccleſiaſticos poſſeſſa gaudere exemptionibus à quibuſvis impoſitionibus, & oneribus quæ non ſunt copulativè, certa, realia, & invariabilia juxta deciſionem in Brunduſina gabellæ coram bon. mem. Pegna & concordantes, necnon ab impoſitionibus Cameralibus, etiam comprehenſivis Eccleſiaſticorum, quando Eccleſiaſtici libertatem eas non ſolvendi præſcripſerint, juxta decretum anno* 1600. *tempore ſan. mem. Clementis VIII. editum. Datum hac die* 21. *Aprilis* 1640 Hoc ipſum pro ſolutionibus debitis tempore, quo jam bona devenerant in Clericos, declaravit eadem S. Congregatio in Marſicana 10. Aprilis 1628. Et licet miniſtri ſæculares 43
prætendant, omnes collectas eſſe onera realia, tamen revera non ſunt ejuſmodi, quia licèt fortaſſe ſint antiqua, non tamen ſunt uniformia, & invariabilia, ſed variantur ſecundum numerum familiarum pro rata bonorum. Et generaliter quæcumque impoſitiones, quæ diſtribuuntur per æs, & libram, non poſſunt dici onera realia, ut cenſuit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis 6. Auguſti, & 3. Septembris in Tricaricenſi 1610. Multòque magis licebit Capitulo exigere gabellam, ſive datium ab immemorabili conſuetum, & ſibi donatum, vel alio modo acquiſitum ſuper fructibus prædiorum, aliarumve rerum etiam Eccleſiaſticorum. Quia hoc eſt onus reale, certum invariabile, ut ſupponitur, eadem S. Congregatio in Caſtellaneten. 29 Novembr. 1653 Et ita etiam propoſita pluries eodem articulo in Sac. Congregatione Immunitatis ad inſtantiam nonnullarum Communitatum Status Eccleſiaſtici, prætendentium Eccleſiaſticos teneri ad onera prius impoſita ſuper bonis denuò per eos acquiſitis, fuit ſemper reſolutum, Eccleſiaſticos, non eſſe moleſtandos, niſi doceatur de obſervantia contraria, & qualitate onerum, ſuppoſitis etiam oneribus Cameralibus, prout in una Lauretana 16. Iulii 1637. contra Communitatem Montis Luponi, in una Feretrana, ſeu Piſaurien. 11. Iunii ejuſdem anni contra Communitatem Sexicorbarii, in una Foroſempronienſi ſub eodem anno contra Communitatem Sorbilongi, in una Spoletana 21. Maii 1628. contra Communitatem dictæ Civitatis, & aliàs ſæpiſſimè, & in Sac. Congregatione ſuper Epiſcop. in una Vxentina bonatenentiæ 13. Auguſti 1618.

Neque obſtat reſolutio Sac. Congregationis Boni re- 44
giminis, quia in illa ſupponitur obſervantia, quod exigantur collectæ ſuper bonis ab Eccleſiaſticis acquiſitis & quod onera habeant qualitates adductas. De hac autẽ obſervantia non tenentur Clerici docere, cùm habeat fundatam intentionem in jure communi, quod non teneantur, niſi onera ſint talia, quæ comprehendantur in allata diſtinctione; unde ſtandum eſt regulæ, donec à laicis probetur limitatio, & exceptio, Surd. *conſ.* 339 *n.* 6. Et in his terminis loquuntur præcitatæ reſolutiones Sac. Congregationis ſuper Epiſcopis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ.

Ratio autem cur Clerici pro hujuſmodi bonis ad ſe 45
devenientibus non teneantur ad onera extraordinaria collectarum, ſeu talliarum, ac generaliter ad incerta & quæ ratione ſupervenientium neceſſitatum impoſita fuerunt, vel imponuntur, augenturve, etiamſi certa facta ſint, ita, ut hæc imponentes, vel exigentes anathemate percutiantur, ea eſt, quia hujuſmodi onera natura ſua perſonalia ſunt, principaliter ſcilicet reſpicientia perſonas, & ſecundario res, ſeu tangentia perſonas

poſſidentes,

poſſidentes, habito licet reſepectu rerum poſſeſſarum, ut infertur ex *l. Reſcripio*, *& l.fin.ff.de numer. & honor.* Nec poſſunt ulla via à ſua hac natura diſtrahi, ut tranſeant in onera realia, quicquid aliqui conentur ſuadere. Quoties ergo poſſidentes ſunt Eccleſiaſtici, ceſſat omne jus,& actio,quæ in perſona ſubjecta fundabatur ut antea dictum eſt.

46 His itaque conditionibus ceſſantibus,non ex eo, quod bona ſint deſcripta in cataſtro umquã facit Eccleſiaſticos teneri ad onera impoſita,ſeu imponenda poſtquã ad ipſos bona tranſierint,niſi intervenerit aſſenſus Summi Pontificis, ut ex Abbate, Natta, & aliis firmatur in conſilio impreſſo in dicta Catena aurea *tom.*1 *p.*574.*n.*21.*& ſeq.*& in alio Conſilio *pag.* 617. *n.*2. *&* 3. Idque etiamſi deſcriptio in cataſtro fuiſſet facta de conſenſu Eccleſiaſticorum cùm non poſſint ſe ſubmittere juriſdictioni laicorum, neque præjudicare immunitati ſibi de jure competenti, ut ſtabilitur in dicto Conſilio Catenæ *tom.*1. *pag.*561.*nu.* 27.*& pag.*574.*n.*22. *& in cit.deciſ.Albanen.in fine* coram Merlino, & in aliis. Præſertim cùm privilegium immunitatis conceſſum Ordini clericali ſit etiam de jure divino, ut habetur *in cap.Quamquam, de cenſib.in.*6.& in Sac. Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 20. Et etiamſi ejuſmodi deſcriptio juſtificaretur, nihil obſtaret, ut firmatur in dicta *Albanen gabellæ col.pen.verſ.Non obſtat*, de quo etiam extat conſilium celebre Everardi impreſſum in dicto *tom.*1.*Catenæ aureæ n.*6.*& nu.*47.*pag.* 271. *&* 279 & aliud conſilium apud eamdem Catenam *p.*574.*n.*22. Non obſtante etiam laudo inter Eccleſiaſticos, & Communitates, cùm ſit invalidum ex defectu juriſdictionis, atq; injuſtum contra immunitatem ipſis Eccleſiaſticis de jure etiam divino competentem, *c Contingit,de arbitr.* cum aliis adductis à Gratian *diſcept.*379.*n.*2. Quod etiam procedit in ſententia per Iudicem laico lata adverſus Eccleſiaſticos,*cap.Nulli Iudicum,& cap.Si diligenti,de for.comp.cap.Quanto de judic.*& in hac materia collectarum Petrus Paulus Buttinon. *in d.Cat.tom.*1. *fol.* 147.*n.*7.ubi de communi, ita, ut neque ex ſolutionibus potuiſſent præjudicare privilegio immunitatis eccleſiaſticæ,quod eſt conceſſum ipſi Ordini eccleſiaſtico,ac ipſis bonis Eccleſiaſticorum, ut ex Paulo de Caſtro *conſil.* 413.*n.*2.*p.*2. Cevallo *com.contra com.qu.*889.*nu.*107. & ex aliis probatur in allegato *conſ.Cat.aur.tom.*1.*pag.*575. *ſub n.*23 Everard.*loc.cit.* & ex eadem *Albanen.gabellæ in fine.*

47 Et licet non comprobarentur prætenſæ aſſignationes factæ per Eccleſiaſticos in vim Statutorum, ſeu obligationum,etiam cum ſolutionibus, nihilominus tamquam indebitæ non poſſunt inferre præjudicium ipſorum immunitati, ut deciſum in eadem *Albanen.col pen. & in fin.* Everard.*cit.conſ.n.*6.*fol.*271. & in alio *conſil.tom.*1. *Cat.p.* 561.*num.*27. *& pag.*574.*nu.*22. Siquidem privilegio conceſſo Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis non poteſt præjudicari ex contraventione particularium perſonarum, ut ex doctrina Innoc.*in cap.accedentibus, de privil.* Andr. de Batul.*in l.*1.*C.de iis,qui ſpontè,lib.*10. Abb. *in cap.cum tempore,not.*5.*de arbitr.& in cap.*1.*col.*4.*de re judic.& ex cap.Si diligenti, de for.compet.* palam eſt. Minuſque obſtante,quod Eccleſiaſtici in eiſdem locis poſſideant etiam multa bona antiquitus acquiſita abſque hujuſmodi oneribus. Quia immunitas eccleſiaſtica univerſaliter, & indiſtinctè procedit tam in acquiſitis, quàm in acquirendis, ut juribus,& auctoritatibus comprobatum fuit à Rota in allegatis deciſionibus.

48 Extat hac in re replicatio S.Congregationis Immunitatis eccleſiaſticæ ad literas reſponſivas Archiepiſcopi Taurinenſis,quæ eſt hujuſmodi: *Se bene doveva baſtare a'Conſiglieri di queſta Altezza Sereniſſima l'autorità della Sac.Congregatione, che per eſſere organum Papæ deeſi riconoſcere per maeſtra, e per regola d'ogni buona dottrina, nondimeno da perſone pratiche, e ben inclinate alla difeſa dell'immunità, e libertà eccleſiaſtica è ſtata data in voce queſta replica, dimoſtrando,che i fondamenti allegati non debbono tenerſi per indubitati, i quali ſi aſſeriſcono. E quanto al primo replica, che non baſta, che i peſi ſiano certi, & invariabili a fine che dicantur bona tranſire cum onere ſuo; ma debbono eſſere anche peſi meramente reali, e perpetui, ſecondo la commune opinione de' Dottori. E poi, come ſi poſſono chiamar certi, & invariabili que' peſi, che ſi accreſcono come è il Taſſo, che qui chiamano peſo invariabile, e certo, il quale queſt'anno è ſtato accreſciuto per metà, e ceſſando l'imminenti neceſſità, ſi dovrà diminuire? Onde ne ſegue, che queſti dicuntur onera mixta impoſita perſonis contemplatione rerum, vel è contra, de quali è vera la regola, che dice mutata conditione perſonæ, mutatur conditio rei. E per conſequenza i beni paſſati alle mani degli Eccleſiaſtici non debbono portare i peſi, che a contemplatione di eſſi ſi pagavano mentre erano in mano de' laici.*

*La medeſima riſpoſta pare, che ſi accommodi al ſecondo* 49
*fondamento delli debiti delle Comunità contratti avanti, che i beni ſi acquiſtaſſero dagli Eccleſiaſtici in caſo, che i debiti procedano da impoſitioni fatte dalle medeſime Communità, ò dal pagamento de' predetti peſi e carichi. Nè per queſto le Communità rimarrebbono intereſſate, ma havrebbono ſempre obligate le perſone laiche, le quali dovevano portare, e pagare i predetti peſi in riguardo de' beni, mentre da eſſi furono poſſeduti.*

*Ma quando i debiti delle Communità naſceſſero de'* 50
*contratti, patti, e hipotheche de' laici poſſeſſori de' beni avanti, che paſſaſſero in mano d'Eccleſiaſtici, ſi riſponde al ſecondo, e terzo fondamento, che trattandoſi di coſe, che conſiſtunt in facto, e contro il terzo poſſeſſore, che è la Chieſa, non ſi poteva, ne doveva venire a ſequeſtratione da' Giudici, e miniſtri laici, e molto meno ad eſecutioni, come in alcuni caſi ſi è fatto, ſe prima non ſi eſibivano i preteſi obliglhi, patti, & hipotheche coram Iudice ſuo competenti, che è l'Eccleſiaſtico. E all'hora ſi ſarebbe eſaminato ſopra l'eſiſtenza delle preteſe obligationi & hipoteche, ſe foſſero fatte libere, e ſpontanee, vel per vim, & metum ſaltem reverentialem, maſſime potendoſi ciò preſumere, ſtante gli eceſſivi carichi, che ſuperano la quota de' frutti della parte dominicale, ſe per i carichi ſolamente impoſti, e per quelli ancora, che in futuro ſi potevano imporre, e non eſſendoſi fatta alcuna delle predette diligenze, non pare ſi poſſa dubitare, che i ſequeſtri fatti da' Giudici laici ne' beni eccleſiaſtici, non cognita cauſa, ſiino nulli, & il decreto, & inſtruttione da abolirſi, & annullarſi, e che quelli, che gli hanno fatto, & ordinato non ſiino incorſi nelle cenſure contenute nella Bolla in Cena Domini, can.*17.*&* 18. *maſſime che queſti Eccleſiaſtici ſono in poſſeſſo di non pagare i carichi ſtraordinarii.*

*Alle neceſſità, e miſerie, delle quali abbonda queſto Sta-* 51
*to in queſti tempi, per le quali non pare, che ſuppetant bona laicorum, la benignità di Sua Beatitudine ſi è inclinata di porgere qualche ſollievo con conceder Brevi, e gratie, le quali non ſi accettano, perche molti con l'utile de' pagamenti da farſi dagli Eccleſiaſtici pretenderebbono d'acquiſtar ſopra di eſſi la giuriſditione, e pure in altri tempi hanno i Sereniſſimi Principi accettato ſimili gratie ſenza ſogettare gli Eccleſiaſtici alla giuriſditione del Senato.*

*Quanto a' preteſi abuſi, frodi, e colluſioni, già la buona* 52
*memoria di Monſignor Nuntio Landi, a nome della S. Congregatione commandò a' Veſcovi, che vi rimediaſſero, e Sua Beatitudine, e la S.Congregatione ſaranno pronte a porgervi per mezo del Nuntio, e de' Veſcovi quei più efficaci rimedii, che ſi ſtimeranno neceſſarii, & opportuni, accioche in queſta parte queſta Altezza Sereniſſima, & i laici rimangano ſoddisfatti dagli Eccleſiaſtici.*

Cæterùm Auctores ſupracitati, ac Rota ipſa admittunt 53
in aliquibus caſibus, Summos Pontifices ſolitos eſſe, cauſa cognita, concedere facultates, ut etiam Eccleſiaſtici contribuant, qualis eſt caſus neceſſitatis, vel communis utilitatis, ubi laicorũ ad id non ſuppetunt facultates, cùm eorumdem Summorum Pontificum interſit communibus utilitatibus providere, juxta textum *in cap. Adverſus* 7.*de immun.Eccleſ.* & in *Extrav.eod.tit.* ac ponderavit Rota

decſ

*dec.42.p.4.nu.3.*pluraque exempla hujuſmodi conceſſionum, ex cauſa belli refert Marth. *de juriſd.p.4. cent.5. caſ. 10 n.20.* Ideò, prævia informatione Nunciorum Apoſtolicorum, atque Epiſcoporum ſuper requiſitis præfatis, auditiſque Eccleſiaſticis, de quorum præjudicio immediatè agitur, conſulendus eſt Summus Pontifex, ut ad aliquod breve tempus indultum hujuſmodi, valdè tamen limitatum, & expreſſis particularibus, & quidem urgentiſſimis circumſtantiis concedat, ne trahi poſſit in exemplum: Vel facultatem tribuat, ut Clerici in bonis ſibi aſſignatis juxta locorum conſuetudinem pro patrimonio ad cujus titulum ſunt promoti, ſint ab oneribus laicalibus immunes, in cæteris verò bonis aliàs, quàm titulo patrimonii prædicti, vel ratione beneficiorum per eos poſſeſſis, contribuunt pro medietate, vel alia minori parte onerum per laicos ſolvi ſolitorum, & ad id adduci poteſt reſolutio Sac. Congregationis ſuper bono Regimine Status Eccleſiaſtici tenoris ſequentis: *Il decreto altre volte fatto ſopra le collette de' beni patrimoniali, a titolo de' quali i Clerici ſono ordinati in ſacris, ſi riſtringa a quella quantità de' beni, la quale regolarmente è ſtata ſolita aſſegnarſi pro titolo de patrimonio, ſecondo la conſuetudine di ciaſcun luogo, e Dioceſi, e per lo reſtante le Comunità non ſiano impedite nell' eſigenza de' ſoliti peſi, e collette.* Adderem etiam hiſce remediis gratiam ex libertate Sedis Apoſtolicæ quibuſdam Principibus concedendam ob graves impenſas ab illorum ærario factas in tuendis ſuis Religionibus adverſus hæreticos, vel infideles, Remque publicam conſilio, auxilio, ac omni ex parte optimè ab eis navatam in Provinciis catholicis, nempè exactionis, quid annuæ ab eccleſiaſticis per aliquod tempus cum ſolitis clauſulis præſervativis, ut generoſi ſpiritus erga res univerſalis Eccleſiæ hac liberali retributione magis in dies vireſcant. Nam præmiis magnorum etiam virorum animi excitantur, & interim ut articulus aſſertæ hypothecæ, & realitatis onerum diſcutiatur decidendus à Sede Apoſtolica, præſervetur laicis facultas deducendi, atque juſtificandi apud Sanctam Sedem id, quod ex diſpoſitione ſacrorum Canonum, vel ex indulto Apoſtolico eis poſſet jure competere ſuper eiſdem bonis reſpectu dictorum onerum.

50 Sive quod ſtantibus præciſis neceſſitatibus Principatus, vel Regni &c. notis Suæ Beatitudini, præcedente conſenſu Eccleſiaſticorum, ac revocatione, & abolitione edictorum forſan publicatorum in hac materia, poterit concedi ex gratia ſpeciali facultas exigendi ad tempus cum miniſterio alicujus perſonæ eccleſiaſticæ à bonis in æſtimo deſcriptis, quæ tranſiverint in Eccleſiaſticos aliqua certa quota impendenda dictis neceſſitatibus, nempè medietas collectarum, quas ſolvunt laici, plus minuſve, ut videbatur ſummæ prudentiæ Suæ Sanctitatis cum declaratione, quod finita dicta exactione, dicta bona gaudeant, ut antea, immunitate, ac exemptione ab omni onere, debita bonis eccleſiaſticis.

51 Vel Sancta Sedes poterit uti tolerantia abſque eo quod faciat aliquem actum poſitivum, remittens negocium arbitrio, ac prudentiæ ſuorum Nunciorum.

52 Quod Eccleſiaſtici conſentiant ad contribuendum aliquam ſummam congruam præſentibus neceſſitatibus, & attento eorum conſenſu, ſupplicetur Suæ Sanctitati pro obtinenda licentia ejuſmodi contributionem, vel ſubſidium faciendi.

53 Ad evitandas verò fraudes poterit deputari Viſitator Apoſtolicus, quemadmodū aliàs deputatus fuit pro Regno Neapolitano, ut de abuſibus Eccleſiaſticorū cognoſceret.

54 Secunda inſpectio principalis eſt circa bona patrimonialia & laica Clericorum, fructuſque ex illis provenientes. Per bona autem patrimonialia intelliguntur quæcumque titulo temporali, nimirum hæreditate, legato, donatione, emptione, arte, manuum labore, vel ſimili alio temporali titulo ab Eccleſiaſticis acquiſita ſunt.

55 Et quidem non ſolum ex jure cōmuni, ſed etiam ex Bulla Cœnæ Domini ejuſmodi bona gaudere immunitate certum omninò eſt. Quoad Bullam, ita tenent Cardinalis Toletus *lib.1.inſtruct. Sacerd.c.30. n.4.* Vgolin. *ad Bull. Cœn.p.2.c.16.§.1.in princ.& §.3.* Sayr. *de cenſur.l.3.c.22.n.9.* Alter. *c.2.col.6.ad d.Bull.* Filiuc. *tom.1.tr.16.c.11.n.298* Reginald. *nu.377. & 379.tom.1. lib.9.c.25* Scortia in Bullas ſelectas *theor.427.col 5.* Duard. *in d.Bull.lib.2.can.18.q.5.* & Diana cum aliis *part.1.reſ.39.tract.2* Quod verò ad jus commune eſt revera communis opinio, quam amplectitur Gloſ. *in cap.fin.verſ.ſuis facultatibus, de vit.& honeſt.Cler. & in cap.Quamquam v.ipſarum, de cenſib.lib.6.* Abb. *in d. cap.fin.& in cap.1.de cenſib. & in cap.Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. nu.22.* ubi ait contrariam ſententiam eſſe communiter damnatam, Felin. *ibid.n.7.* Bartol. *in d.l.reſcripto, ff.de muner.& honor.* Paul. de Caſtr. & Alberic. *in l.1.C.de Epiſc.& Cler.* Sylveſt. *v. Immunitas 1.§.22.& v. Excommunicatio 9.§ 13.* Covar. *pr.9.cap.31.n.9* Bellet *de exempt. Cler.9.* Carol de Graſſ. *eff.13.num.19.* Scortia, & Sayr. ubi ſupra, Navarr. *in man.cap.17.n.203.* Medin. *C.de reſtit.qu.15.* Leſſ. *lib.2.cap.33.dub.3.n.19.* Suar. *d.lib 4.in Reg. Angl. cap.24.& 25.* Homob. *de exam. Eccleſ.p.2.tr.11.c.6. qu.2.* Ricc. *p.2.dec.299.num.3.* Azor. *p.3. lib.5.cap.19.q.8.* Molin. *tom.3.tr.2.diſp 671.n.2.* Molfeſ. *in ſum.tom.2.tr.12. cap.21. nu.116.* Paſqualig. *deciſ.128.n.4* Proſper. de Auguſt. *in addit. ad ſum. Quar. v. Vectigal.* Gregor. Lopez, Rovitus, & Conſtantius, quos citat, & ſequitur, Donat. Ant. de Marin. *in quotid.reſol.cap.37.numer.9.* Io. Ant. de Nigr. Archid. Bald. Afflict. Gemin. & Brun. quos refert, ac ſectatur Marth. *de juriſd.p.4. cent.1.caſ.49.num.9.* Imol. Rimin. iun. & Rip. quibus adhæret Tamburinus *de jur. Abb.tom.1.diſp.15.q.20.n.3.* Baldel. *l.5 diſp.34.n 2.* Giarlin. *contr.cap.31.n 7.* Grilenzon. *conſ.53.* Caſtil. *de tertiis.tom.7.c.9.numer.18.* Caſtropal. *tom.2.tr.12.diſp.un.pun.9.num.2.* Rota Romana *in d. Albanen.gabellæ* coram Merlino, & Diana *de reſol.39.* dicens oppoſitam ſententiam communi calculo Theologorum, tanquam ſacris canonibus contrariam meritò eſſe exploſam. Oppoſitam propugnant Gloſſa marginalis *in d.cap.quamquam de cenſib. v.res ipſarum*, Ioan. Driedo *de libert. chriſt. lib 2. cap.3.* & Bobadil. *in polit. tom.1. lib.2. cap.18. num.260.* qui in *gloſ.lit F.* citat nonnullos Iuriſtas.

Quod autem ejuſmodi bona patrimonialia protegan- 56
tur à *can.18* Bullæ Cœnæ ſuadetur manifeſtè ex illius clauſula, ibi: *Clericis, Prælatis, & aliis perſonis eccleſiaſticis, & eorum, & Eccleſiarum &c. bonis illorumque fructibus &c.* ſub voce enim *eorum*, ne redundet, non alia, quàm bona patrimonialia, & laica intelligi poſſunt, cùm diſtinctè bona Eccleſiarum, & beneficiorum enumerentur. Vnde non valet reſpondere ex Suarez *de cenſur.diſp.21.ſect.2.num.99.* ea particula damnari onera, quæ imponuntur prædictis bonis, ſed habita ratione perſonarum, quomodo evadunt perſonalia, id eſt impoſita perſonis pro rebus. Non valet inquam, quia hujuſmodi onera ſi perſonalia ſunt, ſatis erant prohibita ſub clauſula exprimente perſonas Clericis Prælatis, & aliis perſonis eccleſiaſticis.

Ex quibus patet multò magis protegi bona patrimo- 57
nialia, inſtituta à Clerico in titulum ſuæ ordinationis, Alter *col.7.verſ.Idque maximè* Bonac. *n.13.* Duard. *q.6.n.3.* Bellett. *cit.§.5.* qui omnes alios allegant, & Bellettus etiam eos, qui inficiantur non ſatis probabiliter, Gratian. *diſcept.159. num.27.* & Sperell. *dec.37.num.77.* qui refert plures reſolutiones Sac. Congregationis Immunitatis. Quibus illud adiicio, quod eadem Sac. Congregatio cenſuit in Nazarena 2. Aprilis 1669. nempè quod bona aſſignata pro ſuſcipiendis ſacris Ordinibus non gaudent immunitate à gabellis, donec Clerici non fuerint in ſacris conſtituti. Idem decretum in Tranen. 4. Maii 1669. ubi etiam quod Epiſcopus cognoſcere debeat ſuper fraudulentis donationibus.

Et jure debuit Bulla his quoq; bonis, & fructibus pro- 58
tectionem impendere, ut potè quibus de jure communi exemptio eccleſiaſtica competit, *cap. Non minus, de immunit.Eccleſ.* ibi: *De bonis Eccleſiarum, & Clericorum,*

cap.

*cap.fin.de vit.& honeſt.Cleric.* ubi dum aufertur à Clericis negociantibus privilegium immunitatis quoad ſuas facultates, ſignum eſt, aliunde privilegium quoad eaſdem participari. Quod argumentum eſt Gloſſæ *ibidem v.ſuis facultatibus*, & in *cap. Quamquam, de cenſib.in 6.* habetur: *Perſonas eccleſiaſticas non teneri ad exhibendum pedagia pro rebus ſuis propriis.* Idemque habetur in *Clem. fin. eod. tit.* & in *cap.1.de immun. Eccleſ. in 6.* ſtatuitur, non licere exactiones quaſcumque imponere, vel exigere ab Eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis pro domibus, prædiis, vel quibuſcumque poſſeſſionibus ab Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis acquiſitis, vel acquirendis. Et in *cit. cap. Quamquam*, non eſſe exigendas à Clericis tallias, decimas, quotas, vel aliam quantitatem ſuper proventibus tum ſuorum bonorum, tum eccleſiarum.

59 Oppoſitum, his non obſtantibus, opinatur Navarrus *in man. cap.27.num.128* malè pro contraria ſententia relatus, & Suarez *d.diſput.21.ſect.2.num.99.* licèt videatur loqui de tributis aliàs debitis, puta conſequentibus rem juxta dicta à nobis in tertio caſu. Immò *diſp. 23.ſect.4.num.23.ad cap.Quamquam,de cenſib.in 6.* aliter videtur ſentire, quia putat onera pedagiorum, & guidagiorum, de quibus ibi ſermo eſt, eſſe perſonalia, impoſita ſcilicet perſonis pro rebus. Subſcriberentque huic opinioni, qui negant communicatum iis bonis, & fructibus privilegium eccleſiaſticæ immunitatis, ſicuti revera alia multa privilegia non ſunt participata, puta, quod detur in iis reſtitutio in integrum, quod non præſcribantur, niſi ſpatio quadraginta annorum. Cujus opinionis eſt Felin. *in d. cap.Eccleſia,num.8.de conſtitut.* & duodecim Doctores apud Carolum de Graſſ. *num.21.* inter quos Barbat. *lib.1.conſil.3.* aſſerens eſſe communem, & alii apud Dianam *locat. citat.* Suaderi autem poteſt Navarri, & Suarez ſententia, quia in his bonis, & fructibus ratio cur privilegientur, ceſſat. Non enim ſunt eccleſiaſtica, ex quo oritur privilegium, ſed ſunt inſtar bonorum cæterarum perſonarum laicarum. Nec obſtat, quod poſſideantur ab eccleſiaſtico, quia non poſſidentur ab ipſo formaliter, ſeu tamquam eccleſiaſtico, ſed tamquam à laico. Verba autem diſpoſitionum, præſertim pœnalium, formaliter accipienda ſunt.

60 Sed reſpondetur, quod quando privilegium reperitur expreſsè communicatum, non multum curandum eſt, an inſit ratio communicationis. Ideò enim privilegium dicitur, quia auctoritate privilegiantis ſuppletur id, quod rei privilegiatæ deeſt. Quamvis non deſideretur ratio, cur etiam bona laica Clericorum immunitate gaudeant. Quia nimirum dignitas perſonæ, cui bona ſunt velut acceſſoria, trahit ad ſe dignitatem bonorum, nec cenſetur perfectè exempta perſona, niſi etiam quoad ſua omnia ſit exempta. Quam rationem inter alios proſequitur Reginald. *loc.alleg.* & firmavit Rota in dicta *Allanen. gabellæ* coram Merlino his verbis. *Bona patrimonialia Clericorum; etiam laicalia ſunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem perſonarum, quæ dignitas perſonæ influit immunitatem in ipſa bona. Illa enim adhærent perſonæ Clerici, nec perſona poteſt dici plenè & perfectè exempta, niſi etiam bona illius exempta ſint. Ita Abbas, Decius, Felinus, & alii Canoniſtæ communiter in cap. Eccleſiæ S.Mariæ, de conſtitut. Bald. in l.2.C.de Epiſc. & Cler.& alii, quos refert, ac ſequitur Suarez lib. 4. ad Reg. Angl.cap.24.num.4.& ſeq.* Hactenus Rota, & nos non item.

61 Adjicimus enim S.Congregationis Immunitatis epiſtolam omnibus Epiſcopis Provinciæ Mediolanenſis olim ſcripta, in qua partes Epiſcoporum in hac re accuratè exprimuntur. Ea eſt hujuſmodi. *Havendo rappreſentato à queſta S.Congregatione il Clero ſecolare e Regolare di coteſta, & altre Città dello Stato di Milano le novità promoſſe con editti, e proviſioni laicali totalmente ripugnanti all' immunità, e liberta conceſſa anche per ordinationi divine alle perſone e beni eccleſiaſtici, perciò con participatione della Santità di Noſtro Signore ſi ordina a V.S. con la preſente, che non laſci di rimuovere ſimili pregiudicii, uſando doppo le monitioni paſtorali, i remedii in queſte materie preſcritti da' Sacri Canoni, Concilii, e Conſtitutioni Apoſtoliche, con notificare a tutti i Confeſſori ſecolari, e Regolari, che dalle cenſure, che incorrono per la ſudetta cauſa non può alcuno aſſolvere, ſe non il Sommo Pontefice, al quale detta aſſolutione da' medeſimi Canoni, Concilii, e Conſtitutioni Apoſtoliche è ſpecialmente riſervata. Così adunque eſeguirà V. S. con la dovuta vigilanza & applicatione, per compire all' obligo paſtorale, & eſeguire la ſanta mente di Sua Beatitudine, e del ſeguito ſi attenderà diſtinto ragguaglio per riferirlo alla Santità Sua, mentre le priego dal Signore Dio compiuta felicità. Di Roma a' 23. di Luglio del 1652.*

Item & decreta Sacrarum Congregationum à nobis 62
in ſummarium coacta.

Clerus non poteſt ſolvere collectas abſque incurſu 63
cenſurarum. S.Congreg. Immun. in Volaterrana 18 Septembris 1629.

Eccleſiaſtici ſunt exempti à ſolutione collectarum. 64
Eadem S.Congreg.in Firmana 19 Novembris 1630. & in Cathanen. 11. Septembris 1634.

Moniales non tenentur ad collectas per æs & libram 65
impoſitas pro bonis acquiſitis: Ead.S.Congregat.in Feretrana 22.Decembris 1631.

Clerici in minoribus ſunt exempti à collectis, etiamſi 66
non inſerviant Eccleſiæ. Ead.Sac. Congreg. in Civitate Pennen.21.Martii 1646.

Eccleſiaſtici viventes ſimul cum conjunctis ſunt 67
exempti à collectis pro portione bonorum ad eos ſpectante. Ead S.Congreg.in Aprutina 6. Martii 1635.

Vendens bona Eccleſiaſticis non debet gravari colle- 68
cta. Ead.S.Congreg.in Callien.18 Octob 1628.

Bona, quæ tranſeunt ad Eccleſiaſticos ſunt exempta à 69
collectis laicalibus. Ead. S.Congreg.in Montis regalis 14.Febr. 1645.

Clerici non tenentur ad collectas pro bonis datis. 70
Ead.S.Congreg.in Hieracen.4.Julii 645.

Pro bonis acquiſitis Clerici tenentur ſolvere onera 71
realia Ead.S.Congr.in Marſicen. 26.Junii 1628. in Auximana 22.Jan.1629 in Ferentina, & Firmana 9 Novemb ejuſdem anni & in Taurinen 25.Aprilis 1634.

Pro bonis acquiſitis Clerici, non tenentur ad onera 72
perſonalia. Ead S.Congr.in Albanen.6. Aug.1634.

Pro bonis acquiſitis ſervanda eſt deciſio Rotæ in 73
Brunduſina. Ead.S.Congr.in Taurinen.26. Martii 1629. in Faventina 2.Julii 1647.in Fanen. 20. Januar. 1637. in Montis regalis 11.Auguſti 1638.in Senogallien. 27.Jan. 1634.& in Firmana 11. Auguſti 1631.

Bona Clericorum pro indiviſo cum fratribus ſunt 74
exempta pro virili. Ead.S.Congreg. in Viterbien. 6.Decembris 1627.

Bulla Pii IV. in ſtatu Urbinatenſi non eſt in uſu, & 75
Clerici non tenentur, niſi ad onera realia. Ead.S. Congr. in Piſaurien.29.Januar. 1636.

In Nazarena 2.Aprilis 1669. ad tenorem decretorum, 76
ſcilicet, quod bona aſſignata pro ſuſcipiendis Ordinibus non gaudent immunitate à gabellis, donec Clerici non fuerint in ſacris conſtituti. Idem decretum in Tranen. 4. Maii ejuſdem anni, ubi etiam quod Ordinarius cognoſcere debeat ſuper fraudibus, quæ in hujuſmodi donationibus committuntur. Ead.S.Congreg.

Immunitas bonorum eccleſiaſticorum non ſuffraga- 77
tur bonis ad patrem, matrem, fratres, & ſorores ſpectantibus. Ead.S.Congreg in Albanen.14 Auguſti 1634.& in Auximana 25.Januar.1650.

Si conjuncti Eccleſiaſticorum vivant cum ipſis, & 78
impenſis eorum, ſunt etiam immunes à collectis pro portione bonorum. Ead S.Congr in Aprutina 6. Mart. 1635.& in Hydruntina 14. Junii 16,0 & in Caven. 27. Aprilis 1632.

78 Bona data pro erectione Monaſterii Monialium ſunt immunia Ead.S.Congr.in Tropien. 15. Jan. 1641.

79 Bona aſſignata Capellæ juriſpatronatus immunia ſunt.Ead S.Congr in Aſculana 11.Martii 1642.

80 Bona aſſignata pro dote beneficii erecti ſunt immunia.Ead.S. Congr.in Firmana 20 Jan.1637.

81 Clericus gaudere debet exemptione à bona tenentia, quamvis abſens.Eadem S.Congreg in Fundana 23. Martii 1638.

82 Clerici ſunt immunes à bona tenentia. Ead.S.Congreg in Tricaricen.28.Maii 1626.

83 Clericus gaudet immunitate à bona tenentia pro bonis emptis,& donatis. Ead.S.Congreg.in Caſertana 19. Auguſti 1630.

84 Clericus, quamvis inhabilis ad ſuſcipiendum Ordines ſacros gaudet immunitate à bona tenentia. Ead.S. Congr in Sulmonen 6.Maii 1631.

85 Eccleſiaſtici non poſſunt gravari à prætenſa gabella Communitatis.Eadem S.Congreg in Urbinaten. 16.Julii 1627.

86 Eccleſiaſtici non tenentur ad onera ad favorem Principis.Ead.S.Congr.in Caſalen.18.Auguſti 1637.

87 Nec tenentur ad ſolutionem oneris nuncupati, Il Taſſo.Ead.S Congr.in Caſalen 9.Junii 1637.

88 Clerus non poteſt ſpontè ſolvere gabellas à laicis impoſitas.Ead.S. Congr.in Vicentina 15.Junii 1638. & in Andrien.27.Sept.1632.

89 Non eſt permittendum, ut pro Univerſitatnm oneribus quicquam Eccleſiaſtici contribuant,neque ſub eleemoſynæ nomine.Sac.Congr. Epiſcop.in Squillacen. 21. Maii 1598.

90 Clerici de bonis patrimonialibus non tenentur ad ratam pro impoſitionibus Cameralibus.S.Congr.de Bono regimine 4.Febr.1609.

91 Clerici non tenentur ſolvere onera impoſita per Communitatem ſuper eorum bonis patrimonialibus, & domibus,ubi habitant,etiam quod antea ſolverint. S.Congreg.Immun.7.Decemb.1632.

92 Bona Clericorum non tenentur ſolvere bonam tenentiam.S.Congr.Epiſc in Baren.10. Junii 1616.& in Ugentina 31.Auguſti 1618.& 26.Ianuar.1619. & in Brunduſina 15.Decembris 1623.

93 Bona tenentia neque donatori, ſeu venditori,ſive cedenti imponi poteſt;quia ſic indirectè Eccleſiaſticis imponeretur.Eadem S.Congregatio Epiſc. 8.Decem. 1582. & 1583.

94 Bona Clericorum ſi prætendantur feudalia, & ab eis negentur eſſe talia, cognitio dictæ qualitatis ſpectat ad Judicem eccleſiaſticum.S.Congr.Immun.in Caſſanen.9. Septem.1631.

95 Bona acquiſita à Clericis,& à quibuſvis perſonis eccleſiaſticis ſunt immunia ab oneribus laicis.S.Congregat. Immunitatis ſæpè.

96 Bona patrimonii ordinati reputantur ſicuti bona eccleſiaſtica,pro quo Clericus tenetur experiri coram Judice eccleſiaſtico,ſicut pro bonis beneficialibus.S.Congreg.Concilii in Feretana 6.Auguſti 1616.

97 Bona,ad quorum titulus ordinatus eſt Clericus,gaudent privilegio bonorum eccleſiaſticorum, & ideò ſunt exempta ab omnibus collectis,gabellis, & oneribus laicorum.S.Congr.Epiſc.in Cathacen.3.Auguſti 1591. & in Montiſpeluſii 24.Martii 1599.& in Vulturarien 13. Decembris ejuſdem anni,& in Aquilana 2.Maii 1601.& in Beſignana 9.Maii 1604 ac alibi ſæpiſſimè.

98 Bona hoſpitalium,& confraternitatum potiuntur iiſdem privilegiis, ac bona eccleſiaſtica S.Congr Epiſc. in Baren.30.Jun 1617.

99 Patrimonium Clerici eſt exemptum inſtar bonorum eccleſiaſticorum.Sacr Congr.in Tricaricen.14.Novembris 1603.

100 Patrimonium Clerici, ad cujus titulum fuit ad Sacros Ordines promotus, non poteſt capi in exequutionem ob illata vulnera alicui ad reficiendas curationis expenſas à Judice condemnatus,etiamſi nihil aliud propterea poſſideat,quia ejus alienatio interdicta eſt decreto Concilii *c.2.ſeſſ.21.de reform.* Congr.Concil.ſub die 5. Februar.1604.

Ordinati ad titulum patrimonii gaudent immunitate 101
pro ſufficienti titulo. S.Congr.Immun. in Potentina 19. Julii 1624.

Patrimonium Sacerdotum gaudet exemptione à ga- 102
bellis Ead.S.Congr.Camerinen.24.Mart.1627.

Bona patrimonii Clericorum ſunt etiam exempta 103
ab oneribus Cameralibus. In dicta Camerinen. 7.Octobris 1631.

Bona,ad quorum titulum Clericus eſt ordinatus gau- 104
dent exemptionibus etiam poſt adeptum beneficium,niſi fuerit ſubrogatum in locum patrimonii. Ead.S.Congregatio in Firmana 11.Januar.1633.

Bona patrimonii Clericalis non poſſunt confiſcari. 105
Ead.S.Congr.in Mutinen. 13.Januar.1640.

## CONSULTATIO LV.

*An Judex Eccleſiaſticus compellere poſſit laicos ad delendum à Communitatum æſtimo ſive cataſtro,hoc eſt à libro, quo tributa, & cenſus æſtimari ſolent, bona per Eccleſiaſticos acquiſita?*

ET ſanè videtur non poſſe,ſed opus eſſe,quod Eccle- 1
ſiaſtici inſtent pro ejuſmodi litura apud Judices laicos. Etenim non eſt contentio inter Clericum; & laicum ad hoc,ut in dubio ſit pro foro eccleſiaſtico pronunciandum.ad tradita per Doctores in *c. Et ſi Clericus laicum,de for.comp.* ſed quis debeat in Conſules,& Communitates laicorum circa regeſti mutationem, factum merè laicale concernentem, juriſdictionem exercere. Quo caſu non videtur ambigendum,quin laicis in ſuos ſubditos omnimoda juriſdictio competat per ea, quæ notant in *l.Omnes populi,ff.de juſt. & jur.l.2.ff. de juriſd. omn.jud.*& aliis vulgaribus.Præſertim in caſu,in quo ex Conſtitutionibus Principis pro regula regeſti deputantur Conſules ſive Syndici Communitatum, quia quoad actus, illud concernentes, nullo modo poteſt Clericus declinare forum,Alexand.& alii in *l.teſtamenta*, & in *l. l conſulta divalia,C.de teſt.*Gratian.*diſcept.*182.*num.*15. *& ſeq.*

Præterquam quod inſtantia, quæ coram Judicibus 2
laicis per quemlibet requirentem fieri ſolet, nullam judicii formam præſefert,ſed tantùm ſe habet inſtar cujuſdam voluntariæ indicationis, quam etiam Eccleſiaſtici emittere debent, ut in terminis vectigalium Roland. *conſ.*71.*num.*22.*lib.*4.Barboſ.*de offic.& poteſt.Epiſc.alleg.*13.*num.*16 & poſt plures Choel. *ad Bull.Regim cap* 47. *num.*48.Quinimo etiamſi judicii formam aliquo modo dicta inſtantia præſeferret, nihilominus etiam per Clericos coram laico tribunali fieri deberet, cùm actorum vices ſuſtineant, & Conſules, ſive Syndicos laicos convenire prætendant,ut illos compellat ad factum,in ſimplici, & pura mutatione regeſti conſiſtens, & propterea circa rem omnino temporalem,& ab omni ſpiritualitate ſejunctam,Guidopap.*qu.*79.*num.*2.Theſaur. *qu.for.*15. *num.*9 *lib.*2.Et in terminis, quod,quando bona,tanquam effecta eccleſiaſtica ſunt è cataſtro laicorum delenda, ad Prælati, vel cujus intereſt inſtantiam, deleri debeant, tradunt Oſaſch.*deciſ.*68 *num.*4 & Sperell. *deciſ.*35.*num.*20.ubi refert,ita declaratum à Sac. Congregatione boni Regiminis.

Cujus declarationis id videtur præcipuum fundamen- 3
tum, quia reſpectu bonorum immobilium ſub juriſdictione domini temporalis exiſtentium, juriſdictio quoad reſpicientia ordinationem, etiamſi ſint Clericorum, ſpectat ad dominum temporalem,Oldrad. *conſ.*17.*num.*14.Tuſch.*concl.*386. *num.*7.*lit.C.*Gratian.*d.diſcept.*182. *num.*16 loquens in terminis feudi, quicquid ſit ſi laici ratione onerum moleſtias Clericis inferrent, & poſitivè aliquid præciperent, vel exequerentur, quod directè,

vel

vel indirectè Eccleſiaſticis præjudicio eſſet. Nam tunc Judex eccleſiaſticus deberet contra tales procedere, ut etiam conſuluit idem Roland. *loc. allegat.* Equidem hæc inſtantia deſideratur ad effectum, ut innoteſcat Communitati cauſa, & qualitas acquiſitionis. Multæ enim fiunt in fraudem, quæ non liberant bona ab oneribus, etiamſi ſpectent ad Clericos, ut tradit Sperell. *d. deciſ.* 35. *numer.* 41. *& ſeqq.* Quia tunc per officiales deputatos ex ordine Syndicorum tales contractus reſcindi, ac declarari nullos petere poſſunt, licet coram Judice eccleſiaſtico.

4 Neque in hac re poterit prætendi præſcriptio. Quia in juriſdictionibus abſque titulo, vel immemorabili non currit, ex latè congeſtis per Gratian. *diſcept.* 441. *num.* 2. *& ſeqq.*

5 Nihilominus dicendum eſt non ſolùm poſſe Epiſcopum, ſed etiam debere ad id abolendum laicos compellere, non obſtante quacumque contraria conſuetudine. Quia ipſe ſolus hac ſuper re eſt Judex competens ex rationibus, quas adducunt Barboſ. *de jur. eccleſ. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 42. Dian *tom.* 1. *tr. immunit. Eccleſ. reſol.* 41. Surd. *conſ.* 301. & Ciarlin. *contr.* 103. *num.* 19. quibus addo declarationes S. Congregationis Immunitatis, præſertim in Caſalenſi, in qua dictum fuit, quod laici non poſſunt prætendere, Clericos circa prædicta eſſe ſubjectos juriſdictioni laicali propter allegatam juris regulam, quod actor teneatur ſequi forum rei, neque allegandam eſſe conſuetudinem in contrarium, ſed ſolùm pro executione omnium prædictorum eſſe Epiſcopum Judicem competentem. Unde eadem S. Congregatio ſub die 16. Decembris 1626. decrevit, poſſe Judicem eccleſiaſticum compellere laicos ad delendum bona è regiſtro laicorum ab eccleſiaſticis acquiſita. Et ſub 31. Auguſti ejuſdem anni cenſuit, ſcribendum Epiſcopo, qui mandet per forum eccleſiaſticum fieri cataſtrum ſeparatum à cataſtro laicorum, in quo deſcribantur etiam bona patrimonialia Eccleſiaſticorum, cujus copia tradatur foro laico ad effectum inſerendi in ſuo cataſtro. Atque ita obſervandum. Status equidem Reipublicæ maximè rebus judicatis continetur.

6 Porrò quod præfata bona debeant aboleri à cataſtro laicorum, eaque deſcribi in cataſtro Clericorum firmarunt relati à Barboſ. *loc. cit. num.* 59. & à Sperello *deciſ.* 35. *num.* 12. & 19. & à Carol de Graſſ. *de effect. Cler. effect.* 3. *num.* 38.

## CONSULTATIO LVI.

*An poteſtas naturalis, ſeu civilis, & poteſtas ſupernaturalis, ſeu eccleſiaſtica ex natura rei ſint diſtinctæ, & ab invicem ſeparari poſſint?*

*An aliqua ſit naturalis connexio inter poteſtatem naturalem, & ſupernaturalem? &*

*An in Chriſto fuit poteſtas ſupernaturalis abſque naturali, ſaltem quoad uſum?*

1 HÆ quæſtiones totam abſorbent controverſiam inter utramque poteſtatem, quæ ſi rectè decidantur, non modò illa dirimitur, ſed etiam omnes fibræ litium ſubnaſcentium erunt eliſæ, aut ſtirpitus evulſæ. Quod igitur attinet ad priorem quæſtionem, non eſt revocandum in dubium, utramque poteſtatem & civilem, & eccleſiaſticam eſſe à Deo. De eccleſiaſtica enim nullus quandoque oppoſitum aſſeruit. Civilem verò eſſe à Deo D. Auguſtinus *lib.* 4. *&* 5. *de Civit. Dei* probat per illud, quod *Prov.* 8. legitur: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant,* & per illud Daniel. *cap.* 2. *Deus Cœli regnum, & imperium dedit tibi,* & Daniel. 4. *Cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua, fœnum ut bos comedes, & rore Cœli infunderis; ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Quinnimò hæc politica poteſtas quatenus non eſt limitata ad Monarchiam, Ariſtocratiam, vel Democratiam immediatè eſt à Deo. Neceſſariò enim conſequitur naturam humanam, & proinde ab illo, qui naturam condidit hominis oportet eam eſſe. Amplius hæc poteſtas civilis eſt de jure naturæ. Non enim ex hominum conſenſu pendet. Nam velint, nolint, ab aliquo regi debent, niſi velint totum perire genus humanum, quod contra naturæ propenſionem eſſe, omnes aiunt. Atqui jus naturæ eſt jus divinum. Ergo de jure divino introducta eſt gubernatio. Et hoc crediderim voluiſſe indicare D. Paulum *Rom.* 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

Verùm hæc poteſtas civilis in particulari conſiderata, prout aliquam regiminis ſpeciem exprimit, eſt de jure gentium. Nam inſtituere ſuper ſe Reges, vel Conſules, vel alios Magiſtratus ex conſenſu pendet multitudinis. Quare poteſtas hæc civilis in particulari eſt quidem à Deo, ſed mediante conſenſu vel electione hominum. 2

Hinc primum colligo diſcrimen inter poteſtatem civilem, & eccleſiaſticam. Nam politica ſeu civilis, ut eſt immediatè à Deo, eſt in multitudine, ut in ſubjecto; eccleſiaſtica verò eſt in uno homine tamquam in ſubjecto immediatè. Secundò. Politica, in univerſum conſiderata, eſt de jure divino, ſed in particulari conſiderata, eſt de jure gentium; Eccleſiaſtica verò, utcunque ſit conſiderata, eſt de jure divino, & immediatè eſt à Deo. Diſtinguuntur tertiò. Nam civilis circa corporalia & temporalia; veluti circa proprium negociatur objectum, eccleſiaſtica verò circa ſpiritualia verſatur. Quod ſi à fine mendicare voluerimus diſtinctionem, illam aſſeremus omnia ordinare ad quietem, & tranquillitatem Reipublicæ; hanc autem omnia dirigere in eam felicitatem, quæ in claro Dei intuitu, ac ejuſdem fruitione conſiſtit. Sunt denique ab invicem hæ duæ poteſtates diſcretæ. Nam in Principe laico poteſtatem civilem quidem concedimus, ſed eccleſiaſticam nequaquam. Quare priorem hanc quæſtionem affirmativè reſolvimus. 3

Quod verò attinet ad ſecundam quæſtionem pariter affirmamus, & ita ut opinio, quæ omnem inter has duas poteſtates ſubordinationem tollit, aut erronea cenſebitur, aut contradictionem involvet. Etenim ſi nulla eſt inter eas naturalis connexio, civilis eccleſiaſticæ haud erit ſubordinata, & hoc eſt erroneum. Si verò ſubordinationem inter eas, ut par eſt, admittis, naturalis profectò connexio negari nequit. 4

Sed inſpiciamus naturalem connexionem. In eſſentialiter ordinatis poſterius habere naturalem dependentiam à priore, omnes concedunt Philoſophi, ac Theologi. Poteſtas autem civilis, & ea, quæ eſt eccleſiaſtica ſunt eſſentialiter ordinatæ, ita docente Paulo *Rom.* 13 ubi cùm dixiſſet, *non eſt poteſtas, niſi à Deo* adjecit, *quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.* Et de eo ordine, qui eſt rerum inter ſe Paulum loqui Div. Thomas, explicans verba hæc, planè docet, inquiens, quod quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quia omnia per ſuam ſapientiam fecit. Munus autem ſapientis eſt, omnia ordinare. Unde *Sapient.* 8. *Attingit à fine uſque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter.* Oportet ergo effectus Dei eſſe ordinatos. Duplicem autem ordinem in ſuis Deus inſtituis effectibus. Alter, quo omnia in ſe ipſum ordinavit, de quo *Proverb.* 16. dicitur: *Omnia propter ſeipſum operatus eſt Deus.* Alter verò, quo res omnes ad invicem ordinavit, ſicut dicitur *Deuter.* 4. de Sole, Luna, & Stellis, quod fecit ea in miniſterium cunctis gentibus. Ergo oportet civilem, & eccleſiaſticam poteſtates eſſe ſubordinatas. Sed quis tam à veritate alienus, ut credat poteſtatem eccleſiaſticam, ſeu ſupernaturalem ſubordinari civili, ac temporali? 5

Accedit etiam, quod harum poteſtatum fines valdè ad invicem ſunt ſubordinati. Igitur poteſtates quoque oportet eſſe ſubordinatas. Ego conſequens colligo ex Ariſtotelis primo *Ethic. cap.* 1. & 2. aſſerentis poteſtates limitari à fine. Antecedens autem ſatis perſpicuum eſſe puto. 6

Nam poteſtas civilis,quamvis eā omnia;circa quæ verſatur,ad ſpiritualia dirigere debeat , tamen ex vi ſua non ſe extendit , niſi ad aliquod bonum corporis inducendum,& ad pacem temporalem ex officio procurandam. Atqui temporalia, & corporalia jure naturæ , quod eſt jus divinum ad bonum animi, ſeu ad felicitatem, cujus gratia naturali quadam propenſione creatura operatur, profectò diriguntur,quod *p.2.q.21.art.7.ad* 3.docuit D. Thomas, dicens: homo non ordinatur ad communitatem publicam ſecundum ſe totum , & ſecundum omnia ſua,& ideò non oportet,quod actus ejus ſit meritorius, vel demeritorius per ordinem ad communitatem , ſed totum quod homo eſt,& quod poteſt,& quod habet ordinandum eſt ad Deum.

7 His adde,corpus eſſe animæ gratia. Quælibet enim materia eſt gratia ſuæ formæ. Neceſſe igitur eſt,poteſtatem civilem,& naturalem eſſe gratia poteſtatis ſpiritualis,ac ſupernaturalis,eique ſubordinari. Diſtinctio enim aut à materia propria,aut à fine rei proximo deſumenda eſt.Et hinc Patres rectè diſtinguentes putarunt, Principem laicum circa corpus verſari , eccleſiaſticum autem circa animam , non quod circa corpus etiam non verſetur,non enim animam à corpore regendam ſuſcipit , & ob id omnis poteſtas civilis in Sacerdote eſt locanda. Sed quia ſæcularis per exercitium circa corpus,& externa verſatur; eccleſiaſticus verò circa animam. Poteſtas autem à digniori,& ſupremo gradu ſuam ſortitur denominationem.Unde Clemens Romanus Pontifex primus *lib.2.Conſtit.Apoſtol.cap* 34. conferens Sacerdotes antiquæ ac novæ legis ad Reges, dicebat: ſiquidem ille militaria adminiſtrat bello & pace ad corporis cuſtodiam ſuſcepti, hic verò ſacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat,ut pericula ab animo & corpore propulſet. Quod clarius Chryſoſtomus *lib.3.de Sacerd.* Habent, inquit, terreſtres Principes vinculi poteſtatem , verùm corpus ſolùm , id autem, quod dico Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam pertingit. Quod ſi denique naturas rerum, ut pluries docuit Ariſtoteles, ab operationibus inveſtigamus , neque hanc ſubordinationem ignorabimus. Nulla enim eſt operatio , quæ regulam & dictamen ab aliqua re ſpirituali mendicare non debeat: temporalia , enim ſunt propter ſpiritualia , & ad ipſa veluti ad ultimum ſinem ſunt ordinata.Cùm verò poteſtas ſpiritualis circa ſpiritualia , veluti circa proprium objectum verſetur ; ipſius igitur erit per ſpiritualia civilem poteſtatem movere, dirigere, & ad illa ordinare. Ergo concludendum naturalem eſſe connexionem inter has duas poteſtates.

8 Argues ex Becano in libro,quo refutat Apologiam Regis Angliæ in hunc modum. Status politicus,ſeu civilis ex natura rei diſtinctus eſt ab eccleſiaſtico, ſeu ſpirituali. Ergo ex natura rei habet diſtinctum tribunal , & judicium. Ergo jure naturali neceſſe non eſt, ut qui præeſt uni,præſit etiam alteri.

9 Reſpondeo , rectè ſupponitur ſtatus hoſce eſſe diſtinctos.Sed quæro.,Diſparatè,an ſubordinatè ? Si diſparatè, totum argumentum eſt erroneum.Si ſubordinatè,oppoſitum ſequitur ejus concluſionis,ut jam declaro.Etenim poteſtates , & facultates illæ diſtiuguuntur diſparatè, quarum fines ita ſe habent,ut ex ſui natura neuter alteri inſerviat, neuter ad alterum ſit ordinatus. Tales ſunt militia & muſica, medicina & textoria , agricultura & nautica,& hujuſmodi aliæ. Poteſtates & facultates illæ diſtinguuntur ſubordinatè,quarum fines ita ſe habent,ut alter ad alterum ſit ordinatus , & propter alterum inſtitutus, cui & inſerviat. Hujus generis ſunt pharmaca & medicina,frænifactoria & equeſtris, equeſtris & militaris , militaris & politica, Hujns generis denique ſunt omnes artes humanæ cum politica. Omnes enim earum fines ordinati ſunt ad finem politiæ , eique inſerviunt ex inſtitutione ſua , ut docet Ariſtoteles *in* 1. *moral.ad Nicomac.* Inter hanc diviſionem nullum cadit medium. Eſt enim per contradictoria , & ideò neceſſe eſt, ut omnes facultates cadant ſub alterutro hujus diviſionis membro. Omnis quippè finis vel ordinatur, vel non ordinatur ad alterius poteſtatis & facultatis finem. Et propterea omnis poteſtas ab altera quoque diſtinguitur vel ſubordinatè , vel diſparatè. Inter has autem illud diſcriminis eſt. Qui præeſt ei, quæ ab altera diſparatè diſtinguitur, ex vi illius prælationis in alteram diſparatam non poteſt. Idcircò nec miles muſico , nec nauta agricolæ leges poſſunt præſcribere , ſicut nec iſti illis viciſſim. Qui verò præſidet architectonicæ & ſubordinatæ,is jubere, legeſque dare poteſt ſubordinatæ, ut medicus pharmacopolæ, eques frænifactori, Imperator Equiti,Princeps Imperatori. Qui denique præeſt ſubordinatæ in ſubordinantem , architectonicamque non poteſt, ut in allatis exemplis perſpicuum eſt.

Itaque ſi quis opinatur, iſtas facultates diſtinctas eſſe 10 diſparatè , conſequenter dicendum eſt , finem poteſtatis laicæ non eſſe ordinatum ad finem poteſtatis eccleſiaſticæ , illique non inſervire , temporalia à Deo inſtituta non eſſe propter ſpiritualia , non magis Eccleſiam ſuper Regno,quàm Regnum ſuper Eccleſia poſſe,ut Pontifex à Rege, ita Regem à Pontifice non poſſe deponi, & plurima hujuſmodi , quæ à fide & pietate Catholica ſunt aliena. Si verò arbitratur, ſtatus hoſce diſtinctos ab invicem cum ſubordinatione , non modò conſequentia in argumento illata non ſequitur , ſed omninò oppoſita. Qui præeſt enim architectonicæ ex vi illius prælationis : præſidet etiam ſubordinatæ , eique jura præſcribit. Geminum Eccleſia Catholica hoſtem habet , Anglum nempè, & ſpeudocatholicum Vult Anglus poteſtatem eccleſiaſticam ſubordinatam eſſe poteſtati civili tamquam architectonicæ, pſeudocatholicus diſparatas illas eſſe contendit,nec alteram juriſdictionam ullam habere in alteram ſentit. In hanc poſteriorem ſententiam verbis ire videtur argumentum , dum illas ita diſtinguit ex natura rei, ut ex diſtinctione ſequatur , eum qui præeſt uni, etiam alteri non præeſſe , nec magis forum laicum juriſdictioni Epiſcopi, quam forum ſpiritualem juriſdictioni Principis ſubjicit. Hæc enim eſt illa Helena, pro qua omnes hoſtes recentiores unanimes dimicant. Propterea exiſtimarem , argumentum ita formandum eſſe contra adverſarios:Status politicus,ſeu civilis ex natura rei diſtinctus eſt ab eccleſiaſtico , ſeu ſpirituali , tamquam ſubordinatus ab architectonico. Ergo ex natura rei,qui præſidet ſtatui politico,ex eo præcisè non poteſt præeſſe tribunali eccleſiaſtico , niſi ut ait D. Nazianzenus *orat.*17.æquum ſit ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere.

Objiciens iterùm, quod pax, & tranquillitas Reipu- 11 blicæ eſt finis naturalis poteſtais politicæ; Eccleſiaſticæ verò finis ſupernaturalis eſt , ſcilicet æterna beatitudo. Item,quod media,quibus ad hos fines pervenitur,diverſa eſſe debent,uti finibus proportionata. Hinc infertur, quod duplex eſſe debet poteſtas publica , una temporalis , ſeu politica , quæ præſcribat media neceſſaria ad finem naturalem , altera eccleſiaſtica , ſeu ſpiritualis , quæ præſcribat media neceſſaria ad finem ſupernaturalem.

Fateor, hunc eſſe Adverſariorum Achillem, qui hinc 12 concludunt: De rebus ad politiam & temporalem,terrenamque gubernationem pertinentibus nihil omninò ſpectare ad exteriorem Eccleſiæ juriſdictionem, cùm ſola ſpiritualia, cœleſtia,& ſupernaturalia ſint media, quæ ad ejus finem attinent, & perducunt. Sed reſpondeo,pacem & tranquillitatem publicam eſſe finem naturalem humanæ ſocietatis repugnat philoſophiæ Platonis , & Ariſtotelis, ac univerſæ Theologiæ. Finem naturalem humanæ ſocietatis faciunt non pacem , & tranquillitatem,ſed felicitatem. Hanc verò vel ipſi Philoſophi collocant non in quiete & tranquillitate temporali , ſed in operatione ſecundum virtutem, quam , nulli dubium,

quies & tranquillitas plurimum juvant. Propterea non ſolum de pace, ſed & de moralibus virtutibus Principes leges ferunt. Nec enim ex officio ad ſolam pacem, ſed & ad virtutes homines perducere debent. Hæc uti prima principia, & ſenſibus ipſis ſubjecta omnibus nota eſſe non dubito. Numquid ullum peccatum committi poteſt propter tuendam pacem? Numquid pax contemni non poteſt, aliquando & debet, vel ut puniatur aliquod delictum, vel ut virtus aliqua promoveatur? Ita planè. Quare ſi pax propter virtutem quæritur & contemnitur, virtus verò propter pacem nequaquam, apparet, jam, non pacem eſſe virtutis finem, ſed finem pacis virtutem.

13 Si tamen inſignem aliquem teſtem quis deſiderat, ſufficit, opinor, Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus Theologorum noſtri ſæculi facilè Princeps. Is enim de laicis *lib.3.cap.5.* aſſerit, homines in unum convenire ex naturæ impulſu, non modò propter pacem & quietem ſed ut artes diſcere poſſint, & ne maneant rudes, & expertes ſapientiæ, juſtitiæ, multarumque aliarum virtutum, cùm ad hoc nati ſimus, ut mentem, & voluntatem præcipuè exerceamus. Quare cum is, qui multitudini præficitur, ideò præficiatur, ut illam ad eum finem perducat, propter quem in unum convenit, quis dubitare poteſt, finem politicæ poteſtatis vel ſolam, vel præcipuè pacem, & tranquillitatem eſſe non poſſe? Ideò Ariſtoteles, ut ſilentio involvam confertiſſimum agmen Patrum, & Conciliorum *in 1. polit. libro capite octavo*, aſſerit, Omnes participes eſſe oportere moralium virtutum, ſed non eodem modo, ſed quantum cuique opus eſt, ex quo fit, ut is, qui imperat, perfectam virtutem habere debeat moralem. Nam ejus opus eſt ſimpliciter præcipientis, ac præſidentis Ratio autem præſidet, atque præcipit, aliorum verò unuſquiſque quantum ſibi competit. Et *libro octavo, capite duodecimo.* Non eſt Rex, niſi qui ex ſe ipſi ſufficiat, omnibuſque bonis excellat, & qui hujuſmodi non eſt, ſortitius potius eſt, quàm Rex. Et in 1. *libro capite quinto.* Quod imperium naturale eſt veluti imperium animi in corpus, & tantum diſtare debere Principem à ſubditis, quantum à corpore animus diſtat. Et *capite octavo*, ejuſdem libri eam proportionem ſtatuit inter Principem politicum, & ſubditos, quæ eſt inter parentes, & filios, à quibus iſti omnia addiſcere debent.

14 Platonis verò, in ſecundo de legibus dialogo, Cretenſium leges temerè omnibus Græcis in primis probantur. Rectè enim poſitæ ſunt, cum utentes eis beatos efficiant. Omnia enim bona his porrigunt. Duplicia verò bona ſunt. Alia humana, divina alia, pendentque à divinis humana. Si qua verò Civitas majora ſuſcepit, minora quoque poſſidet, ſin autem illis caret, utriſque privatur. Bona humana vocat bona omnia corporis & fortunæ. Bona divina appellat virtutes animi, quibus ſingillatim recenſitis non philoſophicè, ſed quaſi evangelicè pergit, & ait: *Quæ omnia, divina humanis illis natura præponuntur.* Quare oportet, ut legum quoque lator & ipſe hunc ordinem ſequatur, & mandet omnibus, ut ſemper ad hæc ipſa reſpicientes in ſingulis operentur. Humana enim ad divina, divina verò ad mentem Principem referenda. Habetur ergo & ex experientia, & ex dictamine naturæ poteſtatis politicæ finem, non pacem, non tranquillitatem eſſe, ſed moralem virtutem. Quænam verò virtus, & qualis paucis dicam, ut facilè ex veſtigio hæc Venus cognoſcatur.

15 Poteſtatem politicam non eſſe hominum inventum, ſed Dei ordinationem teſtatur, ut diximus D. Paulus ad Roman. *capite decimo tertio*, illis verbis: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.* Et Catholici omnes conſentiunt, ut præfato *libro tertio*, de laicis Cardinalis Bellarminus latè probat. An verò mediatè, an immediatè à Deo ordinata ſit, jam dictum. Sat eſt, quod utrovis modo à Deo ordinata intelligatur, non potuit ordinari ad virtutem atheam, & abſque relatione ad Deum, tamquam ad ſupremum rerum omnium finem. Impium enim eſt credere vel rationem naturalem aliter dictaſſe, vel Deum ipſum aliter juſſiſſe. Et infidelior eſſet Platone, qui in hunc laberetur errorem. Vidimus enim, quod, ſola duce natura, aſſeruit ille, bona externa ad virtutes morales, virtutes morales ad Deum referendas eſſe.

16 Cùm itaque Deus ſtatuerit finem proximum poteſtatis politicæ virtutem moralem, ad ſeipſum ordinatam, impoſſibile eſt, ut voluerit virtutem illam fictam, falſamve, aut imperfectam eſſe. Eſſet enim contradictio in adjecto, & vel ipſi Philoſophi communi conſenſu finem politiæ, perfectam virtutem eſſe dixerunt, ſolo lumine naturæ illuſtrati. Cæterùm veram, perfectamque virtutem moralem extra Eccleſiam Catholicam reperiri poſſe Pelagianum eſt. Ergo, ſalva pietate, dici non poteſt, quod ex ſua primæva inſtitutione poteſtas civilis ab eccleſiaſtica non dependeat, & ex ſua primæva inſtitutione poteſtas eccleſiaſtica non ſit moderatrix, directrix, architectonica poteſtatis civilis. Ideò Anaſtaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem rectè ſcripſit: *Pectus clementiæ veſtræ ſacrarium eſt publicæ felicitatis, ut per præſtantiam veſtram, quam veluti Vicarium Deus præſidere juſſit in terris, Evangelicis, Apoſtoliciſque præceptis non dura ſuperbia reſiſtat, ſed per obedientiam, quæ ſunt ſalutifera compleantur.*

17 Sed nolo contendere, ſit pax & tranquillitas publica finis ille, quem lumen naturæ præſcribit poteſtati civili, an pax iſta, & tranquillitas athea eſſe poſſit? Non opinor. Propterea erit pax cum virtute conjuncta, & à virtute genita. Ideòque virtutes morales erunt media, per quæ homines tendant ad iſtum finem. Virtutes autem morales, quæ ex mea ſententia ſunt finis proximus poteſtatis civilis, & ſecundùm Adverſarios media, quæ homini inſerviunt ad adipiſcendam felicitatem civilem, an non eædem eidem inſerviunt ad adipiſcendam felicitatem æternam? Nonne qui rectè propter publicum bonum operatur prudenter, temperanter, fortiter, juſtè, magnificè iiſdem quoque operationibus finem ſupernaturalem ſibi comparare poteſt? Nonne iiſdem actionibus, quibus pacem, & tranquillitatem publicam injuſtè quis averſatur iiſdem penitus demeretur vitam æternam? Quis, rogo, id unquam revocabit in dubium?

18 Suppoſito itaque etiam ſecundùm hanc ſententiam, quod pax & tranquillitas ſint fines, virtutes autem morales media poteſtatis civilis, erroneum eſt, aſſerere, quod poteſtas ſpiritualis iiſdem mediis non utatur, quibus politica, & quod eadem media utrique fini minimè inſerviant, & deſerviant; & ad utrumque finem non ſint ordinata. Hæc una, vera, & adæquata cauſa eſt, propter quam Eccleſia judicare poteſt de legibus Principum, nimirum quia Principes tenentur legibus ſuis inducere homines ad virtutem, Eccleſia mediante virtute perducere illos debet ad felicitatem ſupernaturalem. Quare cùm finis politicæ ſit medium eccleſiaſticæ, & de mediis ad finem ſuum pertinentibus unaquæque facultas judicium ferre poſſit, ideò ſecundùm rectum naturæ dictamen poteſtas ſacra de legibus politicæ rectè judicat & decernit.

19 Nec minorem poteſtatem habet, ſi juxta ſententiam Adverſariorum virtutes non ſint finis proximus, & immediatus politicæ, ſed pax & tranquillitas, & virtutes media ad iſtum finem. Nam cum mediante virtute eadem, & eadem actione Princeps ad pacem, Eccleſia ad beatitudinem æternam hominem perducere debeant, ſequetur, eaſdem operationes eſſe media utriuſque poteſtatis, æquè ad utramque pertinere, æquè ab utraque poſſe diſcuti, & judicari, nec oppoſitum aſſerat, niſi qui rationem naturalem omninò exuat.

20 Si verò Eccleſia judicet illas operationes impedire finem ſuum, tenetur Princeps ad abrogandas leges. Talis quippè eſt natura ſubordinatorum. Nec enim ex naturali æquitate deſeri poteſt bonum architectonicæ propter bonum

bonum ſubordinatæ. Huc ſpectat illud Chriſti : *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur,anima verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Et Platonis illud? *Humana ad divina,divina ad mentem Principem referenda.*

21 Hac una ratione ,ſcilicet ex vi & natura ſubordinationis fit, ut Princeps ſecundùm Philoſophum 1.*Eth.c.* 2.& ſecundùm experientiam in temporalibus & humanis, quaſnam eſſe in civitatibus ſcientias oporteat , tum quales quemque diſcere , & quouſque conſtituat , quid item agendum,à quibuſque abſtinendum præſcribat , & ſanciat.Hac una ratione fit etiam,ut ſi quælibet actio,& conſtitutio artium humanarum , quæ poteſtati politicæ ſunt ſubordinatæ , impediat finem ejuſdem poteſtatis, aut illa adverſetur , Princeps imperare debeat, ut abſtineant, illæ verò teneantur parere. Hæc eſt verè illa Reipublicæ forma , quam Deus ordinavit *Num.*27. Juſſit populum ingredi & egredi ad verbum Joſue omnia facere ad nutum Eleazari Pontificis , Eleazares ſolum Deum in omnibus conſulere. Poſtulant hæc exquiſitam magis, magiſque copioſam conſiderationem , & doctis viris innuiſſe ſat eſt.

22 Objicies itidem. Si homo creatus eſſet à Deo in ſtatu puræ naturæ,& ad ſolum finem naturalem( quod fieri potuit) nulla fuiſſet poteſtas ſupernaturalis,ſeu eccleſiaſtica, qualis nunc eſt,ac proinde civilis, ſeu politica fuiſſet reipſa ſeparata ab eccleſiaſtica.

23 Reſpondeo primùm.Demus,potuiſſe hominem creari ad ſolum finem naturalem. Tunc quoque ad conſequendum hunc finem neceſſaria erat poteſtas eccleſiaſtica,diſtincta à ſæculari,& civili.Nam in eo ſtatu opus fuiſſet Deum piè , ac religiosè colere , ut ſupremum omnium rerum conditorem, omnium bonorum largitorem. Et hic cultus futurus erat publicus ſolemni aliquo ritu ab Eccleſia inſtituendus. Honeſtas enim morum in Republica non poſſet conſervari,niſi ratio divini cultus in ea principem locum obtineret , ut conſtat ex B.Auguſtino *lib.*19. contra Fauſtum *cap.*11. Et hoc naturale dictamen de cultu Dei etiam cum oblatione ſacrificii oritur ex ſubjectione & recognitione , quam homo debet Deo propter ſupremum ejus dominium. Hoc enim modo proteſtatur , Deum eſſe omnium Dominum , eique gratias agit,juxta illud *Paralip.* 29.*Tua ſunt omnia,& de his,quæ de manu tua accepimus,reddimus tibi.*Unde D.Thom 2.2.*q.*85.*art.*1. abſolutè inquit, offerre ſacrificium eſſe de lege naturæ.Igitur in ſtatu naturæ admittenda eſt poteſtas eccleſiaſtica , omninò diſtincta à civili.

24 Deinde reſpondeo , & arbitror , inveſtigandam eſſe naturalem rerum omnium connexionem ab ea natura, quam habent,& ab eo ordine, quo illas diſpoſuit, & ordinavit Deus , non ab ea natura,ab eoque ordine, quem non habuere, tametſi habere potuerint. Si enim demus ſemel, valere hanc arguendi formam, quid amplius naturale erit in natura , & in univerſo ordine naturali rerum omnium? Nonne potuit Deus ordinare omnia aliter ac ordinavit? Terram extra centrum mundi, ignem extra ſuam ſphæram locare potuit , motum terræ, quietem Cœlo,terræ lumen, Soli opacitatem, talpæ viſum, aquilæ cæcitatem , rugitum homini , riſum leoni dare potuit.Potuit creare materiam ſine potentia, corpus ſine quantitate,terram ſine gravitate,homines ſine genitoribus , accidentia ſine ſubſtantia , & mille hujuſmodi. Quare ſi conſequentia teneat , quod inter ſe illa non habeant naturalem connexionem,quorum alterum abſque altero à Deo creari potuit,in univerſa natura nullam ferè naturalem connexionem reperies. Cæterùm ſi à vero & reali rerum ſtatu & ordine, non ab hypothetico,& ficto inveſtigemus naturalem , & non naturalem connexionem, in dubium revocari non poteſt, quin ſecundùm rectum naturæ dictamen hæ duæ poteſtates ſint connexæ,ut architectonica, & ſubordinata , & Pelagianiſmus eſt ſecus ſentire,ut jam oſtendi.

Jam ad tertiam quæſtionem accedamus,ad cujus ve- 25
ritatem indagandam,præmittendum eſſe duxi, Chriſtum Dominum noſtrum dominium habuiſſe temporale , & poteſtatem in res omnes creatas Hanc autem catholicam veritatem ex pluribus utriuſque paginæ auctoritatibus demonſtrare non eſt difficile , ſed eas brevitatis gratia omittamus authoritates , quæ in veteri lege planè indicant, Meſſiam habiturum dominium temporale, & ad authoritates novi Teſtamenti confugiamus. Joannes *Apocal.*1. Chriſtum Principem appellat Regum terræ. Sed quomodo Princeps Regum diceretur , niſi dominium habuiſſet temporale? *Apocal.*19. legitur, habet in fœmore, id eſt in humanitate, ut interpretantur Gloſſa, & alii , ſcriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium *Act.*10. Annuncians pacem per Jeſum Chriſtum, hic eſt omnium Dominus. Nec opus eſt dicere, hæc verba non eſſe intelligenda de Chriſto homine. Nam cuicumque Catholico conſpicuum eſt per Chriſtum hominem annunciatam , & factam eſſe pacem. Idipſum oſtendit Paulus *Hebr.* 2. dum Chriſto homini tribuit quod in *Pſalm.*8. promittitur : *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.*Et *in* 1.*ad Corinth. cap.*15. *Omnia ſubjecta ſunt ei propter eum , qui ſubjecit ei omnia.* Matth. *ultim.* de ſe ipſo loquens Chriſtus dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Qui autem omnem accepit poteſtatem,civilem quoque accepiſſe putandum eſt Nam qui dicit omnem,nullam, quæ in homine cadere poteſt, excludere videtur. Athanaſius explicans hæc verba,illam fatetur accepiſſe poteſtatem,ut homo quam habebat, ut Deus , & quam Adam in ſtatu innocentiæ accepit ; ſed Deus habet omnem poteſtatem, & Adam in ſtatu innocentiæ accepit poteſtatem ſuper omnia terreſtria. Igitur hanc quoque accepiſſe Chriſtum fatendum eſt. Gregorius Nyſſen.*in fragm.* quæ extant *tom.*3. Bibliothecæ Sanctorum Patrum poſt multa ſubdit : *Chriſtus enim, ut Deus & Rex eſt, & filius Regis , & ut homo factus eſt Rex,& filius Regis nempè Davidis , ex quo poſtea data, dicit,omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, ad quem Pater, poſtquam ut homo poteſtatem accepit: ſede, inquit,à dextris meis* Primaſius *lib.*3 *in Apol.cap.*12. loquens de hac poteſtate ligandi,& abſolvendi,inquit, *De hac dicit Dominus, data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra, non quam ſemper habuit,ſed quam in Eccleſia ex tempore, quo ipſe voluit tamquam caput in membris habere cœpit.* Sed poteſtas ligandi & ſolvendi in Cœlo & in terra non eſt ſolùm ſpiritualis,ſed etiam civilis,& temporalis. Ergo hanc quoque habuit Chriſtus.

Hoc idem dominium temporale fuiſſe in Chriſto 26
oſtendunt verba illa *Joan.*18.*Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quibus verbis Chriſtus & ſe Regem fatetur , & negat ſe regnum habere inſtar Regum temporalium. Unde Cyrillus *lib.*12. *in Joan. cap.* 10. expenens hæc verba,ait: *Regem ſe eſſe non negat , ſed Regni Cæſaris ſe non eſſe hoſtem, oſtendit; quia ejus regnum terrenum non eſt,ſed Cœli & terræ,cæterarumque rerum omnium.* Idipſum docet *cap.*12. Chryſoſtomus *homil.*82. in Joannem,& Auguſtinus *tract.*14.*in Joan.*inquit: *Erat quidem Rex non talis,qualis ab hominibus fit,ſed talis ut homines Reges faceret,& tract.*115.*in Joann.*ponderat,non dixiſſet Chriſtum, Regnum meum non eſt hic , ſeu in hoc mundo;ſed non eſt hinc,nec de hoc mundo. Quare non negat non habere regnum & dominium temporale, ſed fatetur , non accepiſſe eo modo , quo accipiunt Reges hujus mundi,ſeu non accepiſſe ab hoc mundo, quoniam accepit à Patre.Hæc eadem veritas definita eſt à Joanne XXII.*in extravag.Cum inter nonnullos.*Eſtque tamquam certum aſſerendum,Chriſtum habuiſſe poteſtatem ſuper rebus temporalibus , & potuiſſe illis uti , ſed noluiſſe, quia uſu hujus poteſtatis ſeſe ſponte abdicavit , ut inſigne mortalibus paupertatis & humilitatis exemplum relinqueret. Nam nihil impedivit ſumma Chriſti paupertas voluntariè ſuſcepta,quominus hujuſmodi dominium habue-

habuerit: quoniam ea paupertas, quam generis humani redemptio poſtulabat uſui rerum, non dominio re-ugnabat. Sive dicamus Chriſto dominium hoc competere ratione redemptionis, eaque ratione, qua Chriſtus totius mundi Redemptor, ac Reparator eſt conſtitutus, Mundi quoque factum eſſe Dominum. Sive quod Chriſtus etiam in quantum homo eſt proprius & naturalis Dei filius, ac proinde habuit verum & proprium jus ad omnia bona ſui Patris. Quod ſi filius, ergo & hæres, ut optimè infert D.Paul. *ad Galat*.4. Sive ex quo in Chriſto humanitas ejus unita erat hypoſtaticè perſonæ Verbi divini, & i. ſe Chriſtus conſtitutus erat caput hominum, & Angelorum, dignitas illa, & excellentia ſingularis Chriſti ex natura rei exigebat, & ſuo quaſi jure id ſibi vendicabat, ut polleret jure ſupremo Regis, ac Monarchæ in omnes homines, atque Angelos, aliaſque quaſcumque creaturas, non ſolùm quatenus expediens fuiſſet ad finem ſupernaturalem Eccleſiæ univerſalis, ſed etiam abſolutè, ac ſimpliciter, ut abſque cujuſquam injuria diſponere potuerit de Regnis omnibus mundi, Reges deponere, ac inſtituere.

27 Hanc ſententiam tradunt, & ſequuntur D.Thom. locis infra citandis, S.Anton.3.*part.titul*.5. *cap*.2. Cardin à Turrecr. Hoſt. *in libro ſecundo, ſumm cap*. 116. *in reſp. ad object*.2. Hoſt. in *cap. Quod ſuper his, extract. de vot*. Auguſt. in Triump. in *ſumm. de poteſt. Eccleſ. quæſt*.1. *art*.1. Almain. *eodem tit. tract. cap*.8. Fab. in *leg. cunctos populos, C. de ſumm. Trin*. Molin. *de juſtit. & jur. tom*.1. *tract*.2 *diſput*.28 Nicol Grand. in illud ad Hebr. 1. *Quem conſtituit hæredem univerſorum*, Roffenſ. *artic*.25. contra Lutherum, Granad. *tom*.1. *in* 3. *part. controv*.1. *tract*.16. *diſp*. 3. Lorca *tom*.1. *in* 3. *part. quæſt*.8. *art*.4. *diſput*. 45. *numero decimo quinto*, Jacob. Tyrin *tom*.1. *commun. in ſacr. ſcript. ad cap*.49. *Geneſ. & ad cap*.9. Iſai. Alv. Pelag *libro* 1. *de planct. Eccleſ. cap*.13. Panorm. *in cap. Novit, de judic*. Navar. *ibidem not*.3. *numero ſexto, & ſeq*. Suar. *tom*.1. *in* 3 *par. diſput*.48. *ſect*.2. Nazar *tom*.5. *in* 3. *part. qu*.22. *art*.1. *contr. un*. Joan. de Neapol. *qu*.42 *pun*.5. Chellinſon. *tom*.1. *in* 3. *part. qu*.22. *art*.6. *dub*.2. Burgen. *in addit*.2. *ad* 1. *par. cap. Matth*. Arag. 2.2 *quæſt*.67. *art*.2. Gaudav. *quod l*.6. *qu*.23. Cabrer *in* 3. *par. qu*.22. *artic*.1. *diſput. un*. Cardin. de Lugo *de Incarnat. diſput*.30. *ſect*.1. & 2. Mendoz. *in lib*.1. *Reg. cap*.2. *num*.10. *annot*.15 Azor. *inſtit. mor. part*.2. *ſect*. 4. *cap*. 19. ac inter Patres clariſſimè D.Bernard. *lib*. 2. *de conſid*. & inter recentiores Theologos Reverendiſſimus Raymundus Capiſuccus in opere æternitate digno de Controverſiis Scholaſticis &c. ad mentem D.Thomæ *tot. controv*. 9 contra Roſellum, Duarenum, Molinæum, & Centuriatores Magdeburgenſes, & alios, ne videatur ex Chriſto quid Principatus in Pontificem derivare, quorum omnium argumenta diſſolvit, eoſque convincit. Cùm igitur Chriſtus habuerit Regnum temporale, & hujus oppoſitum aſſerere eſt hæreticum, fatendum eſt, habuiſſe Chriſtum poteſtatem civilem. Non enim aliquis eſt Rex temporalis, niſi habeat poteſtatem civilem, & qui negat Chriſto poteſtatem civilem, ipſi etiam negat Regnum temporale quod hæreticum eſſe cenſeo.

28 Quod verò hanc regiam & civilem poteſtatem quoad uſum Chriſtus habuerit, ex Evangelio expreſsè habetur. Primò in abſolutione adulteræ. Pro quo obſervo, quod in cauſa adulteræ depræhenſæ in adulterio agebatur cauſa ſanguinis & mortis. Nam ſecundum legem Moyſis adultera deprehenſa in adulterio debebat mori. Cauſa autem ſanguinis & mortis ſpectat ad poteſtatem civilem. Chriſtus autem judicavit in cauſa ſanguinis & mortis. Ergo exercuit poteſtatem civilem. Habebant quidem Hebræi ordinarios Judices, apud quos hæc cauſa agenda erat; ſed ut laqueos Chriſto pararent non ad Judices, ſed ad Chriſtum ſe conferunt. Chriſtus autem, qui eorum inſidias callebat, ſcripſit in terra peccata accuſantium & teſtium, & inde illos ſubmovit ab accuſatione, & teſtificatione, & inde fecit cauſam mulieris deſertam, ſublatis verò accuſatoribus, & teſtibus non adſtantibus, eam abſolvit ſecundum legem: lex enim non damnabat, quem nullus accuſabat, etſi probatio legitima non erat contra reum, jubebat abſolvendum, & hoc indicavit illis verbis, mulier ubi ſunt qui te accuſabant? Quare Chriſtus verè abſolvit mulierem ſecundum legem, utens hac induſtria, abigendo ſcilicet accuſatores ac teſtes, etſi teſtium non meminerit Evangelium, ſed præſumendum eſt, etiam teſtes adduxiſſe Judæos, ut poſſent accuſationem probare. Non enim poterat eſſe teſtis, qui accuſator, abjectis autem accuſatoribus, & teſtibus, erigens ſe dixit: *Mulier ubi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnavit; nemo Domine. Nec ego te condemnabo*. Cùm mulier reſpondiſſet, nemo me condemnavit, Dominus confirmat ſententiam abſolutionis, neque ego te condemnabo. Deinde non deſunt, qui dicant hoc jure, & dominio uſum fuiſſe *Matt*.21. quando ficulneam arefecit, quæ erat in patrimonio, & bonis alterius, *Matt c*. 8. permittit dæmones in porcos intrare, qui eos in mare præcipitarunt.

Hanc eandem regiam, & civilem poteſtatem exer- 29
cuit Chriſtus quando de Templo ejecit vendentes, & ementes, ut *Joan*. 2. *Matt*.21. *Marc*.11. & *Luc*.19. Quo facto, quod civilem poteſtatem exercuerit, affirmat Panorm. in *d. cap. novit. de judic*. dicens utramque poteſtatem in hoc ſæculo exercuit quando voluit; unde, flagello facto de funiculis, ejecit vendentes & ementes de Templo, cathedras vendentium evertit, & menſas numulariorum, ut habetur *Matt*.21. Ita explicant Hoſtienſis, Jo. Andreas, Archidiaconus & alii, & Gloſſ. in *d. cap. novit*. idem de Papa affirmat, nimirum aliquam per Sacerdotes cauſarum civilium juriſdictionem exercuiſſe. Hinc D.Thom. *libro primo, de regim. Princip. cap*.12. & *ſeq* Antonin. 3. *part. tit* 3. *cap*.2. Henric. *quodl*.6. *quæſt*. 23. Almain. *de poteſt. Eccleſ. capite octavo*, Turrecrem. *in ſumm. libro ſecundo, cap*.113. & *ſeq*. Navar. *in d. cap. Novit. numero* 10. & 130. *de judic*. aliique recentiores Theologi, & Canoniſtæ, à quibus hæc quæſtio agitata fuit, apertè fatentur, Chriſtum, ut hominem habuiſſe in terris poteſtatem civilem & politicam, ejuſque ratione verè fuiſſe totius mundi Regem, Principem, ac Dominum, & Gloſſa communi conſenſu inter canonici juris interpretes recepta *in d. cap. Novit. v juriſdictionem*, idem teſtatur. Nec opus eſt reſpondere, id tamquam Prophetam feciſſe Chriſtum. Nam cum Dominus ejeciſſet de Templo vendentes & ementes, his, qui vendebant columbas dixit: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negociationis*. Quibus verbis Templum appellat domum Patris ſui, & non noſtri, ut ejus divinitatem patefaceret. Si ergo Chriſtus ejiciendo mercatores de Templo ſuam patefecit divinitatem, ergo non ut Propheta, ſed tamquam Rex poteſtatem habens civilem, mercatores ejecit de Templo. Sed cætera omittamus, quæ planè indicant, Chriſtum exercuiſſe poteſtatem civilem, illud compertum eſt omnibus in lege Moyſis fuiſſe tria genera præceptorum, moralia ſcilicet, cæremonialia, & judicialia, & planum eſt judicialia abrogata eſſe. Nullus autem non habens poteſtatem civilem poteſt abrogare ea, quæ attinent ad poteſtatem civilem. Atqui Chriſtus ea abrogavit præcepta judicialia, ſcilicet quæ ſpectant ad poteſtatem civilem. Ergo aſſerendum eſt habuiſſe uſum poteſtatis civilis. Si igitur Chriſtus abrogavit leges judiciales, quæ pertinebant ad communem politiam, & temporalem gubernationem, quomodo non habuit Primatum in Republica civili, & temporali, etiam quoad uſum? Numquid fieri poteſt, ut ſine ſuprema poteſtate quis in Republica abroget leges patrias ad ejus temporalem gubernationem pertinentes per tot ſæcula uſu receptas? An id facere non eſt uſus ſupremæ illius poteſtatis, quæ ſolius ſummi Reipublicæ Præſidis propria eſt?

Addo, quod ſicut Chriſtus, ut Deus jure creationis 30
eſt totius mundi Dominus, ita ut homo jure redemptionis totius orbis terrarum eſt Dominus, habetque jus

Regni.Ex quo fit,ut hujus juris,& dominii uſum quando voluit, & quomodo voluit abjecerit, ipſum verò jus & dominium numquam amiſerit. Hoc enim ei convenit cauſa redemptionis,& ſalutis humanæ, qua mundum libertati, vitæque reſtituit. Omitto, quod poteſtatum connexio non eſt attendenda penes ſingularis alicujus uſum,vel non uſum, ſed penes ordinem ſuæ naturæ.Poteſtatem verò eccleſiaſticam ita perſtringo. Zacharias ſummus Pontifex Eccleſiæ Dei , Regnum Gallicum à Ludovico in Pipinum tranſtulit, Tholoſ. *de Republ.lib.* 15. *capite primo*, § 11. & Stephanus ſecundus ſummus Pontifex Imperium à Græcis in Germanos,& Carolum Magnum Pipini filium, *cap.alius* 16.*quæſt*.5. *& cap. venerabilem,de elect.* confirmavit,& Germanis majori privilegio eligendi poteſtatem Gregorius V. ſummus Pontifex Saxo circa annum 995. Blond.*lib*.3. *decad*. 2. Platin.*in Gregor.V.* Krant.*libro quarto,cap*.5.Jubet D. Ignatius,ut Presbyteri,atque omnis Clerus ſimul cum omni populo,cum militibus, & Principibus,ſed & Cæſares obediant Epiſcopo,Epiſcopus Chriſto *epiſtol*.9.D. Ambroſium in Theodoſium primum Cæſarem hanc poteſtatem exercuiſſe nemo ambigit, qui Imperatori ſacris interdixit, & è cancellis Eccleſiæ removit, donec pœnituiſſet de crimine,quod in Theſſalia ob ſeditionem motam, occiſumque Tribunum unum ſeptem millia militum occidiſſet,Ambroſ.*lib*.5.*epiſt*.28.Rufin.*lib*.2.*cap*.18. Eutrop.*libro duodecimo.* Idipſum & probavit Innocentius primus in Arcadium Cæſarem , *cap.nos ſi incompetenter*,§.1.2.*quæſt*.7. Reſtitit & Liberius ſummus Pontifex conventiculis à Cæſare indictis contra Athanaſium, Ammian.Marcell.*lib*.15. & Athanaſ.Tertullianus Pontificem Maximum vocat *Regem ſæculi*,Tertullian. *lib.ad uxor.* Duo gladii Petro fuerunt, juriſdictionis utriuſque ſymbolum referentes , quos ſufficere dixit Deus Dominus Jeſus Chriſtus , tamen exercitium ei materialis , & corporalis prohibuit, & in vaginam retineri ab eo juſſit,D.Matth.*cap*.26.Nec voluit Eccleſiam ſuam mortem temporalem inferre,paſſim *cap.in Archiepiſcopatu,de raptor.cap. ſententiam ſanguinis, ne cler.vel monach. & c.occidit,& cap.legitur* 2.*qu.fin.d.cap.Nos ſi incompetenter*,§.*iis* 2.*quæſt*.7. Quamvis in lege antiqua Sacerdotes eo uterentur , qui adumbrabat Eccleſiam noſtram; quemadmodum uſus eo Samuel in Agag Regem, 1.*Reg*. 14.*&* 15.Elias in Prophetas Baal,3.*Reg*.18 & in quinquagenarios Ochoſiæ,4.*Reg*.1. Eliſæus in pueros irriſores, 4.*Reg*.2. Joiadas in Athaliam,4.*Reg*.11.Eliachim in Holofernem,*Judith*. 4. & ipſe D.Petrus in Ananiam & Saphiram,*Act*.5. Itaque jus ſuum manet Eccleſiæ, & quod à Deo accepit, & quod Regum voluntate & fœdere tenuit,quodq; diuturna poſſeſſione ratum & certum fecit.

31 Ex quibus omnibus colligitur non eſſe negandum in Chriſto uſum poteſtatis civilis : tum quia expreſsè repugnat ſacræ Scripturæ: tum quia conſtituit nos adhuc ſub jugo legis Moyſis , à quo Chriſtus nos liberavit. Quare aſſerere , Chriſtum non habuiſſe in Republica Chriſtiana ſupremam poteſtatem civilem & temporalem, præter ſpiritualem & ſupernaturalem, non videtur poſſe admitti abſque cenſura.Præſertim his temporibus, cùm hæretici , cæterique Apoſtolicæ Sedis adverſarii hoc medium aſſumant, quo ſi poſſent, minuere vellent authoritatem Summi Pontificis , ejuſque poteſtati detrahere.Nam ſi Chriſtus Dominus,inquiunt, tamquam homo , nullam habuit poteſtatem in adminiſtratione temporalium,ſed tantùm ſpiritualium, qua Sacramenta inſtituit,Eccleſiam erexit, peccata delevit, gratiam contulit,& legem evangelicam condidit.Ergo Petro,& ejus Succeſſoribus poteſtatem temporalem non reliquit. Nec enim dare potuit, quam non habuit. Quod ſi B. Ambroſius *lib.3.in Luc.c*.3.& alii Sancti Patres Regnum Chriſti ſpirituale appellant, intelligunt uſu,& actu fuiſſe tantùm ſpirituale , ſicut omnes Doctores illos interpretantur.

32 Ex quibus etiam exploditur error Hieronymi Cevallæ *tom*. 4. qui inſcribitur *Speculum aureum opinion. commun.contra commun.in argument.diſcurſ.hiſp. numero* 13 ubi de poteſtate politica loquens, ſic ait : *la qual les fue dada, ſcilicet Principibus , imediatamente por Dios, mediatamente por las gentes.* Id enim eſt manifeſtè falſum. Quia ſi data eſſet immediatè à Deo,non poſſet in ullo caſu à populo tolli, vel minui. Fuitque hæc propoſitio ante plures annos aſſerta à Joanne Marſilio, & paſſim à Catholicis refutata , ut patet experientia in omnibus Regnis,& Rebuſpublicis.Item errores alii *numer* 61.76.*&* 77. dum dicit , quod antequam Chriſtus daret Sancto Petro auctoritatem ſpiritualem,Reges habebant poteſtatem ſpiritualem & temporalem. Et quod ceſſante bono fine , ob quem data fuit Pontifici poteſtas ſpiritualis , revertitur poteſtas ipſa ſpiritualis ad ſuum principium , id eſt, ad Principem temporalem. Hic enim tres videntur contineri hæreſes. Prima eſt, quod antequam Chriſtus daret Petro poteſtatem ſpiritualem , utraque poteſtas ſpiritualis & temporalis erat apud Reges. Hæc eſt prima hæreſis. Nam à tempore Adami uſque ad Moyſem jus ſacrificandi, quod eſt ſpirituale, erat apud primogenitos , ſive eſſent Reges, ſive non eſſent. Sed clarius in lege veteri ſcripta poſteaquam Aaron conſtitutus eſt Summus Sacerdos,& Joſue Princeps temporalis , non fuit amplius poteſtas ſpiritualis apud Reges,ſive Principes temporales, ſed apud Sacerdotes,ſive Pontifices tantùm,ut in *lib. Num.cap*.27.juſſit Deus,ut Joſue Dux temporalis obediret Pontifici. Atque hinc eſt,quod cùm Saul Rex ſacrificare voluit, punitus fuit à Deo amiſſione Regni, ut legimus *lib*. 1.*Reg. cap*.13. Et Ozias Rex,qui voluit fungi officio Sacerdotis , adolendo thura in Templo, mox fuit à Deo percuſſus lepra , & à Sacerdotibus fuit ejectus è Templo, 2.*Paralip*.27. & Joſaphat, Dux piiſſimus docuit, quod eſſet officium Sacerdotis , & non Regis , 2.*Paralip*.19. Nec ſolùm in ſacrificiis , ſed etiam in judiciis ſumma poteſtas erat penes Pontificem,non penes Regem,ut intelligi poteſt ex *Deut.cap*.17. Secunda hæreſis eſt,quod poteſtas eccleſiaſtica amittatur , quando Principes Eccleſiaſtici malè illa utuntur. Quæ fuit hæreſis Joannis Wiclephi , & Joannis Hus, ut patet ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ*.8 *& ſeſſ*.15.Tertia hæreſis eſt,quod poteſtas eccleſiaſtica tranſeat ad Reges temporales,quando Pontifices illa abutuntur. Nam ſecundùm fidem catholicam poteſtas eccleſiaſtica data eſt à Chriſto D.Petro,& Succeſſoribus, & ab illis ad Epiſcopos , & Sacerdotes derivatur. Non ergo poteſt tranſire ad Reges, vel Principes temporales, cùm hoc in nulla ſcriptura habeatur, neque unquam factum ſit.

## CONSULTATIO LVI.

*An, quibus , & quatenus permittenda ſit lectio ſacrorum Bibliorum vulgaris verſionis? Ubi an lingua aliqua potior in ſacris , quàm alia?*

Videtur , permittendum omnibus eſſe quatuor ex rationibus. Primò,quia eſt baſis,in qua fundatur tota noſtra Religio , & ab ea deſumuntur articuli fidei, præcepta legis, & inſtitutio vitæ Chriſtianæ. 1

Secundò, quia D. Hieronymus eam tranſtulit in latinam linguam,quæ tunc temporis erat vulgaris,& communis , non ſolùm Italiæ , ſed etiam Imperio Romano. Et quamvis dici poſſet, quod illam tranſtulerit in linguam communem , ſed quod non omnibus ejus lectio permittebatur, nihilominus compertum eſt librorum prohibitionem non eſſe adeò antiquam.Nam de S. Cypriano ſcribitur, legiſſe quotidie Tertullianum , qui fuit hæreticus pertinax,illumq, compellabat Magiſtrum ſuum. Divus ipſe Hieronymus, & D. Auguſtinus, aliique Patres nedum legebant Tertullianum , ſed in pleriſque etiam locis ejus auctoritate innitebantur. Photius quoque Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua Bibliotheca nedum ſcripta Catholicorum antiquiora 2

curioſè

curioſè ſpectavit, illorum judicium fecit, ſed etiam hæreticorum. Quod ſanè haud feciſſet, ſi libri hæretici fuiſſent proſcripti. Et licet apud Tacitum extet prohibitio cujuſdam libri mordacis in Imperatorem, id tamen eſt ſingularis exempli, & penè per objurgationem, ut nedum quidam in corpora ſævire contenti ſint, ſed in ingenia.

3 Tertiò, quia D.Paulus ſcripſit ſuas epiſtolas populis, ut illas intelligerent. Et quamquam Alphonſus de Caſtro probare conetur, Epiſtolas illas fuiſſe ſcriptas Epiſcopis, & Clero, attamen id ægrè probat, tum propter rerum contextum, quas enarrat; tum quod aliæ leguntur Epiſtolæ Epiſcopis Tito, & Timotheo ſcriptæ.

4 Quartò, quia Chriſtus Dominus noſter loquebatur turbis patrio ſermone, & ea planè dicebat, quæ ab Evangeliſtis ſunt tradita. Si ergo licitum erat, imò & magno uſui ea intelligere, cur ea legere erit noxium?

5 At dicendum non eſſe permittendam lectionem ſacrorum Bibliorum vulgaris verſionis. Primò, quia cùm omnes hæreſes habeant, ut plurimùm, originem à captu ſacræ Scripturæ perdifficili, nullatenus permitti debet idiotis, qui facillimè errant.

6 Secundò, quia uſus nos docuit, docetque in dies quot ordinis perturbationes emergant ex permiſſione arcanorum ſacræ Scripturæ hominibus imperitis, qui aut errore labuntur, aut, ſi rectæ quoque mentis ſint, cùm velint quovis in loco, quoſcumque inter homines de rebus difficillimis diſceptare neſcientes argumenta diſſolvere, captioſa enodare, ambigua diſtinguere, damno ſibi ſunt, ac Religioni Catholicæ. Ex idiotis enim ortum ſuum habuerunt hæretici Valdenſes, Albigenſes, & Turrelupini. Hac enim ex ratione Hebræos olim arcuiſſe juvenes ante annum ætatis trigeſimum à lectione Canticorum Salomonis, & quarundam aliarum Scripturæ partium, quod poſſet ea lectio damnoſior illis eſſe, quàm fructuoſior, ſi cortici nimium inhærentes, ad medullam non pervaderent, refert, & approbat Nazianzen. *Apol.*1. & S. Hieronymus *epiſt ad Euſtoch. virg.* de commentarii in Ezechielem dedicatione. Ad Lætam item de inſtitutione filiæ, haud dubiè veſtigiis Hebræorum inſiſtens, author eſt, ut illa Chriſti tyruncula, ad ultimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum, ne ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis ſpiritualium nuptiarum epithalamium, non intelligens, vulneretur. Jam olim Nicephorum Gregoras ſtomachatus meritiſſimo eſt in eam abſurdiſſimam, & periculi pleniſſimam inſulſitatem ex Scripturæ per quoſcumq; temeraria lectione profectam, qua res ſacræ prophanantur, & myſteriorum tractatio cum viliſſima quæque in Republica capita devolvitur. Locus eſt *lib.*10.*Roman.hiſt.* ad libri finem, ex cujus oratione conficitur, Scripturam nonniſi adhibito delectu eſſe permittendam, nec eſſe quorumcumque eam verſare, ne in libro vitæ mortem inveniant, ut pleriſque improvidis accidiſſe compertum habemus. Narratur de fœmina primaria Calviniana, quæ cùm inter legendum locum illum Sapientis: *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, non poſſet ſe hujus loci ambagib. expedire, exclamavit, hoc non eſſe verbum Dei, ſed Diaboli, & locum defixo cultro transfixit. Conſultius illi fuiſſet, tali lectione abſtinere, ut ſanctè, ac providè edixit Eccleſia quoad vulgus prophanum. Simili ex cauſa olim apud Romanos ſoli Pontifices legebant libros Sibyllinos, quod timerent Romani, ne libri illi fatidici, tametſi boni, attenta lectorum conditione, noxii evaderent. Quis igitur non videat, quantum malorum accideret, ſi paſſim agricolæ, & opifices ſacra volumina verſarent, & lectitarent in materna lingua; cùm in eis multa habeantur, quæ prima fronte, & aſpectu ſibi invicem adverſari videantur? Horum pauca quædam de multis exempla commemoravit Azorius *in inſtit. moral. part.*1.*lib.*8.*c.*26.*qu.*4.

7 Tertiò, quia non ignoratur quanta ſollicitudine Lutherus, Calvinus, Eraſmus, ac cæteri hæretici tenebantur, ut ſacra Biblia vulgò facerent communia. Quod quidem nihil penſi haberent, niſi putarent hunc eſſe facillimum modum aſſequendi ſibi ſectatores. Eſt enim id ſeminarium pruriginis illius tractandi de dogmatibus, quam ex Scripturæ pervolutatione aſſidua puſillo gregi ingenerare ſatagunt lupi, paſtorum nomina mentientes.

8 Quartò ex auctoritate Patrum, Summorum Pontificum, & Congregationum ſacræ Inquiſitionis & Indicis, qui hanc vulgarem Bibliorum lectionem imperitæ multitudini non contulerunt. Inquiunt enim Patres, quod populus debeat intelligentia rerum facilium contentus eſſe, quodque Epiſtolas D.Pauli non omnes animo percipiunt. Divus Hieronymus querimoniam habet de uſu ſui temporis, cùm quiſque de ſacra quidem Scriptura variè in utramque partem diſſerebat. Gregorius Septimus denegavit expreſsè Uratislao Duci Bohemiæ celebrationem officiorum idiomate Illyrico. Innocentius tertius Abbatem Ciſtercienſem acriter reprehendit, quòd in ſermonem Gallicum Biblia converti curaverat. Sacra Indicis librorum Congregatio ſemper id prohibuit. Quod profectò credendum eſt matura deliberatione factum. Quare cùm adhuc eædem, ut cum maximè, concurrant rationes, ſi recederetur ab antiquis decretis, animi levitate illorum conditores inurerentur, atque oſtenderetur, Eccleſiam Catholicam ſententia deceſſiſſe, & cum hæreticis ſentire. Addo, quod licet ejuſmodi lectio pluribus eſſet perutilis, major tamen exinde jactura timeretur.

His rationibus accedit decorum, nempè nobilitatis trium linguarum, communitatis latinæ ob Concilia, & inſcriptionis tituli Crucis Domini noſtri, ac id genus alia, quæ tametſi non convincant, corroborant tamen præcipuas rationes.

9 Ad primam rationem objectam quod attinet, veriſſimum eſt S.Scripturam eſſe fundamentum, ac baſim noſtræ religionis, ſed quemadmodum panis, qui omnium fermè rerũ, quas cibi cauſa capimus maximè alibilis eſt, non omnibus integer datur, ſed infantibus elixus, vel madefactus, cæteris verò juxta eorum vim & facultatem, ita non oportet ſacram Scripturam idiotis communicare, niſi ad ſalutem neceſſaria. Et ad hunc uſum concinnata eſt brevis inſtructio doctrinæ Chriſtianæ, Catechiſmus, aliique libri ſpirituales, ut proinde culpandi ſint ii Concionatores, qui coram populo argutiſſimè diſputant de rebus obſcuriſſimis noſtræ fidei, nempè, de Trinitate, de Prædeſtinatione, de Euchariſtia, & ejuſmodi, quarum diatribis magis populum intricatum ludunt, quàm lectio vulgaris Sacræ Scripturæ Non enim omnium, quæ vel in Evangelio, vel Apoſtolorum ſcriptis producuntur agnitio cuivis Chriſtiano neceſſaria. Communiorum enim articulorum expreſſa cognitio, & aliorum implicita, parvulis in Chriſto ſatis fuerit, niſi ex conditione ſua ſint ii, qui pro ipſa quoque conſuetudine exercitatos debeant ſenſus habere ad diſcretionem boni & mali, cujuſmodi ſunt quibus Paulus *Act.*20. dicebat, *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Epiſcopos vos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam.* Hos nimirum jam pro ipſa conſuetudine exercitatos habere ſenſus, ſaltem exerceri ad diſcretionem boni & mali convenit. Perfectorum enim ut ſolidus eſt cibus, ita eos, qui ad perfectionis ſtatum ſublimati ſunt ducunt ſolidi cibi capaces eſſe. Porrò ſi Ambroſius pſeudoapoſtolos taxat, & arguit, quod omnibus promiſcuè nullius perſonam diſcernentes, uno eodemque genere tradebant, ſeu prædicabant, aut docebant, ut grati fierent, quantum nunc inſimulandi, taxandique pſeudochriſtiani, qui ut populi, mulierumque favorem ſibi concilient, citra diſcrimen ullum quamlibet ſcripturam Sacram, quantumvis difficilem, quantumlibet ardua continentem myſteria, rudiſſimis etiam lanariis, & canicidis, mulierculis, & adhuc fermè lactentibus puerulis tradunt modò

vocali oratione ; modò idiomate vernaculo conſcriptam? Exinde nimirum errandi anſam multi ſumunt. Propter quod Petrus in poſteriori ſua epiſtola *cap.* 3. queritur, notatque neochriſtianos ejuſmodi his verbis: *Sicut & cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Gregorius item Nazianzenus Hieronymi quondam in theologia præceptor, *li.*1.*de theolog.* noſtram ſententiam apertiſſimè confirmat, dicens: Non cujuſvis eſt de Deo diſputare, ſequitur, non id quovis dicere tempore, neque apud omnes, neque de omnibus, ſed eſt quando & apud quos id fieri conveniat. Similia habet Theophylactus *in ep.*1. *ad Cor. cap.*4.

Et ſi aliquando ab Hieronymo litteras ſacras in vulgarem linguam, nempè in Dalmaticam inverſas legamus, non tamen rectè colligitur ita nunc faciendum propter innumeros abuſus, quos majores noſtri experti ſunt, & quotidiè experimur. Nonnihil uno tempore faciendum eſſe dignoſcitur, quod alio ex cauſa prætermittendum deprehenditur. Proinde olim ad Martyrum ſepulchra viri, uxores, pueri, puellæque, monachi, virgineſque ſacræ nocturnis vigiliis vacaturi concurrebant, eaſque Hieronymus adverſus Vigilantium epiſtola, quæ incipit *Multa in orbe*, velis & remis defendit, ac tuetur, at ubi iis multos abuti deprehenſum eſt, & ſub pietatis umbra, horrenda nonnumquam admitti flagitia viſa ſunt, eæ prorſum ſublatæ ſunt. Unde Elibertinum Concilium cap. 35. ſuorum decretorum ait: *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmiterio pervigilent, eo quod ſæpè ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant.* Sic quoque, ut videtur dicere Euſebius Cæſarienſis *libro ſexto, Eccleſiaſt. hiſtor. capite trigeſimo tertio*, ſacrum Chriſti corpus ſub Sacramento dabatur in manus, quod ſecum quiſque domum portabat, ſumpturus cùm luberet, at ubi à multis indignè tractari compertum eſt, eoque nonnullos plerumque abuti, temperatum eſt à ſic dominico corpore tradendo. Ita licet aliquando, ubi non apparebat periculum, ad tempus in Dalmaticam linguam ſacræ litteræ verſæ ſint, poſt non modo periculorum multorum experientiam, verum quoque poſt graviſſima exinde ſuſcepta damna, meritò in vulgarem linguam inverſarum ſcripturarum ſanctarum communis uſus prohibetur. Proinde factum eſt à paucis diebus, ut viliſſimus quidam ganeo, mente, corporeque totus ſcabidus à D. Joannis textu non intellecto ſe, & unumquemque Chriſtianum Deum eſſe, ſuam quoque naturam divinam eſſe, nihilque eam aliud eſſe ab unoquoque Chriſtiano pariter aſſereret. Hi quoque ut cæteris facilius propter ignorantiam labuntur, ita ſemel lapſi longè difficilius cæteris revocantur.

10 Ad ſecundam reſpondetur, quod ætate D. Hieronymi nondum homines typis ad impreſſionem utebantur, ſed libri ab amanuenſibus ſcribebantur, & ideò ſolum erant apud eruditos. Et licèt interdum apud aliquos idiotas divites reperiebantur, non tamen per aliorum manus efferebantur. Atque idcircò D. Hieronymus ſacra volumina in latinam linguam transferenda cenſuit, & fortè etiam in Illyricam, ut viri latinæ linguæ periti, alioquin docti Biblia legerent; & populum neceſſaria docerent. At noſtra ætate cum libri ex typis illicò in ſatis magnum numerum multiplicentur, hoc ſtudium contemptu laboraret, neque eſſet officina, atque taberna, quæ apud ſe Biblia ejuſmodi non haberet.

11 Reſpondeo ad tertiam. Divus Paulus ſcripſit quidem epiſtolas, ut intelligeretur, ſed ſcripſit hominibus probè affectis vel notitia, quam habebant legis antiquæ, ſicuti erant Hebræi, vel præmonitionibus ab ipſo habitis in ſuis concionibus, & propterea non erat illis arduum ejus epiſtolas intelligere. Quod nunc rariſſimè contingit, cùm populi jam deferbuerint, cùmque coram non audiunt D. Paulum prædicantem, ſunt, penè dixerim, incapaces illorum arcanorum, quæ tunc ex facili intelligebantur. Quam rationem efficaciſſimam cenſeo; quia non eſt veriſimile, Div. Paulum ea ſcripſiſſe, quæ ſub intelligentiam non cadunt; nam egiſſet contra ſuum finem. Quod ſanè indignum cenſetur ingenio mediocri, nedum Apoſtoli, ac Doctoris gentium, Vaſiſque electionis.

12 Ad quartam, verum eſt, Dominum noſtrum turbas alloquutum fuiſſe, at nihilominus plura etiam cum Apoſtolis ſuis ſecretò colloquutum, & plura cum Doctoribus illis, ac Phariſæis ad eos coarguendum. Itaque neceſſaria eſt Doctorum explicatio in locis pluribus Evangeliorum. Illud quoque adjicio, Evangeliſtas plura loqui, quæ à Chriſto populis dicta non ſunt, ſed revelata ſupra noſtram intelligentiam, ceu generatio Verbi ab æterno, à D. Joanne initio ſui Evangelii deſcripta.

13 Atque ex his aſſero, non expedire ſacram Scripturam omnibus eſſe communem, rectèque dixiſſe Cardinalem Bellarminum, quod Eccleſia non prohibet Biblia vulgaria, ſed nolit ea paſſim quod à vulgaribus legantur, non librorum vitio, ſed legentium imbecillitate. Ex eorum enim lectione vulgari detrimentum pateretur fidelium concordia, variæ hæreſum, & errorum cauſæ naſcerentur, magna inſcitiæ, & ignorantiæ cauſa in Republica Chriſtiana ſequeretur, ex varietate item, incertitudine, & multitudine verſionum contentiones innumeræ, diſſidia, ac infinita propemodum alia incommoda, & mala provenirent.

14 Quod autem Sacra Scriptura non debeat omnibus communicari, diſceptatur adverſus recentiores hæreticos à Doctoribus, nominatim à Bellarmino, Azorio, Alphonſo de Caſtro, Montoja, Juſtiniano, & egregiè à Cardinali Loſſunenſi, qui etiam ait, Div. Hieronymum id ipſum contra Pelagium aſſeruiſſe, & Univerſitatem Pariſienſem conſtantiſſimè adverſus Eraturum propugnaſſe. Hoc certum, à Clemente VIII. reſtrictam fuiſſe regulam quartam Indicis, auferendo facultatem Epiſcopis, & Inquiſitoribus licentiam concedendi.

15 Decreta verò, quæ ſuper prohibitione, vel conceſſione Bibliorum vulgaris verſionis in quovis idiomate extant, ſunt hujuſmodi. Die 5. Septembris 1571. decretum fuit Biblia omnia vulgari idiomate, ſive Germanico, ſive Gallico, Hiſpanico, Italico, ſive Flandrico &c. conſcripta, nullatenus imprimi, legi, aut teneri poſſe abſque licentia S. Officii Sacr. Romanæ Inquiſitionis. Nec poſſint Epiſcopi, & Inquiſitores concedere, niſi Epiſtolas, & Evangelia vulgaria ſine ullo errore conſcripta, & cum ſcholiis alicujus docti & catholici viri iis, quos putaverint ex eorum lectione in pietate proficere poſſe, non verò ullas alias Scripturæ partes in vulgarem linguam traductas. Idem decretum ſub 7. Auguſti 1606.

16 Sed & tria adferuntur argumenta, ut prærogativa latinæ linguæ ſtabiliatur. Primum eſt, quod Marcianus Imperator in Synodo Chalcedonenſi verba faciens, primò latinè, deinde græcè eſt locutus. Magnam verò rem nobis narrant, Imperatorem Romanum græcè & latine doctum, in cœtu Romanorum & Græcorum, Romanam prius orationem habuiſſe, quàm Græcam. Dederit hoc videlicet dignitati veteris Romæ, cui æquum erat novellam Romam aſſurgere. Dederit Majeſtati Imperii, quod à Romanis inſtitutum, Romanorum ſemper eſt dictum. Dederit & dignitati illorum, qui Concilio intererant. Nam, præter Epiſcopos, fuit ibi tunc procerum Imperii maximus numerus, quorum nomina, & dignitates ibidem accuratè recenſentur. Hoc autem omnes, aut pleroſque omnes, vel Romanos, Italoſve fuiſſe, vel Romanam linguam doctos, nulla ſit religio affirmare. Nam è Græcis illis potiſſimum latinè loqui diſcebant, qui ad aulicam

vitam

vitam aſpirabant. Unde illud Chryſoſtomi in ſermone ad fidelem patrem *tom. 6. Ille linguam Italicam accuratè edoctus in aula vehementer floret, atque in ea pro libitu ſuo cuncta adminiſtrat.* Ut dubitari non debeat, pleroſque procerum aulicorum latinam linguam calluiſſe. Quare ne illud quidem mirum, Imperatorem vel in eorum gratiam latinè fuiſſe tunc locutum. Diſcebant præterea linguam latinam, qui ad vitam militarem præparabantur. Quod ex elegantiſſima apparet hiſtoria, quam in eodem libro narrat Chryſoſtomus. Adde, quod Epiſcoporum, qui ex Italia venerant, pleroſque græcè neſciiſſe ſimillimum veri eſt. Nam, ut ait Gregorius Magnus, qui ſeculo proximo vixit, in tota Italia pauciſſimi erant, qui aliquid omninò græcè ſcirent.

19 Alterum exemplum ſequitur, quod ad rem ſanè plus aliquanto facit. Referunt enim ex Actis Concilii Epheſini, morem olim in Conciliis ſervati ſolitum, ut Romani Pontificis Legati literas Papæ latinè recitarent, & nonniſi rogati à conſeſſu Patrum, eaſdem græcè verſas legerent. Hoc putant eſſe magnum prærogativæ argumentum latinæ linguæ. Sed quid mirum eſt, ſi literæ à Papa latinè ſcriptæ, ex lingua prius exhiberi ſolitæ fuerint, qua compoſitæ? Si recta ratione rem putamus, non magis hoc videri mirum debet, quàm Romanum Pontificem Romana lingua litteras ſcripſiſſe. Jam Traiani temporibus, ut auctor eſt Plutarchus, toto Imperio Romano lingua Romana non ſolùm intelligebatur, ſed etiam à pleriſque uſurpabatur. Sic enim ille in Platonicis quæſtionibus: *Sermone Romanorum univerſi ferè mortales nunc utuntur.* Et Sophiſta Libanius, qui paulò antè Epheſinum illud Concilium vivebat, vereri ſe alicubi ſcribit, ne, quoniam rerum ſumma penes illos ſit, quibus latina lingua erat vernacula, brevi deficiat uſus græcæ. Ejus locus eximius eſt è libro de ſua fortuna. Cur igitur literæ, quas Pontifex Romanus latinè ſcribebat, ejus Legati prius in aliam transferrent linguam, quam experientia didiciſſent, utrum id foret neceſſe? Nam ſi plures, vel præcipui Epiſcoporum latina intelligerent, poterant in totum Pontificis Legati eo labore ſuperſedere. Præterea ſciendum, nullam legem extitiſſe, nullum canonem, qui juberet, ita fieri, ſola conſuetudine id receptum eſt. Contrà, ut latina verterentur à Papæ Legatis in Græcum, non mos, ſed jus, & neceſſitas fuit; alioqui rem ridiculam, & abſurdam facere uſi eſſent, ſi apud non intelligentes latini ſermonis latina tantùm recitaſſent. Idcircò ſic loquitur Philippus Presbyter, Papæ Legatus in illo Concilio: *Satisfactum eſt,* ait, *conſuetudini, ut Sedis Apoſtolicæ literæ primò latinè legerentur.* De facta verſione græca ſic: *Nunc ſimiliter, quoniam beatitudo veſtra exigit, ut græcè eadem literæ recitentur, neceſſe eſt deſiderio Beatitudinis veſtræ ſatisfieri.*

20 Tertium argumentum omnium validiſſimum eſt, quod in ſacris etiam Miſſarum ſolemniis penes Græcos ea ſemper viguit conſuetudo, ut tam lectiones Evangelicæ, quàm Apoſtolicæ primum latinè, inde græcè eadem in Eccleſia publicè recitarentur, ut Nicolaus Papa primus ad Imperatorem ſcribens teſtatur, & religiosè adhuc in vetuſtiſſimæ, ac prænobiliſſimæ Tarentinæ Urbis Metropolitana Eccleſia cuſtoditur. At ſi cogitaſſent seriò, quàm parum probabilem hiſtoriam pro vera & certa lectoribus ſuis obtrudant, numquam commiſiſſent, ut narrationem Nicolai Papæ, aliter referendo, multò etiam minus probabilem redderent. Non enim dicit Pontifex, eam conſuetudinem vigere apud Græcos, de Conſtantinopolitana enim Eccleſia tantùm loquitur, ubi plerique Itali erant, aut ſermonis latini periti. Neque quicquam affirmat Nicolaus, ſed, *fertur,* inquit; eo verbo indicans, non quaſi certam narrationem, ſe id commemorare, ſed ut auditionem, de cujus fide nihil ſibi conſtaret, nihil aſſeverare vellet. Minuſque legitur verbum, *ſemper,* in quo vis, & pondus præcipuum. Verba Nicolai ſunt: *Iſtius enim dictione linguæ, Conſtantinopolitana Eccleſia, lectionem Apoſtolicam, & Evangelicam in ſtationibus fertur primitus recitare; ſicque demum græco ſermone propter Græcos utique ipſas lectiones pronunciare.* Apparet igitur eos, qui hoc de Nicolao dixerunt, de Eccleſiis illis novæ Romæ locutos eſſe, ad quas conveniebant plerique omnes latini, aut latinæ linguæ periti, Græci verò non adeò multi. Meritò igitur partis majoris habita eſt ratio. Sed nec pauci illi Græci ſunt contempti, in quorum gratiam inſtitutum, ut quæ legebantur è ſacris literis, mox græcè iterùm legerentur. Adhuc nimirum vigebat in Eccleſia Dei Pauli Apoſtoli præceptum qui verba non intellecta proferri vetat in Synaxibus. Vigebat adhuc in Eccleſia inſtitutum vetus habendi interpretes, quorum opera fieret, nè parum intellectum populo maneret, quicquid eſſet recitatum lingua non omnibus nota. Epiphanio ſub libri 3. finem inter alia miniſteria Eccleſiæ nominantur interpretes unius linguæ in alteram, qui & lectiones & ſermones verterent. Porrò non fuiſſe rem Conſtantinopoli conſuetam, ut liturgia Romano ſermone celebraretur, etiam eo argumento oſtendi poteſt, quod Romani Pontificis Legatis id legimus aliquando fuiſſe conceſſum poſt rem benè geſtam ceu beneficii loco. Exemplum habes in Synodo ſexta Oecumenica ibi habita, imperante Conſtantino Pogonato. Humbertus Sylvæ candidæ Epiſcopus contra Nicetam: *Tanta gratia Legatos catholicæ pacis comitata eſt, ut Joannes Portuenſis Epiſcopus, qui erat unus ex ipſis, Dominica octavis Paſchæ miſſas publicas in Eccleſia S. Sophiæ coram Principe, & Epiſcopo ipſius Urbis latinè celebraret.*

Quod verò ad præfationes S. Hieronymi appoſitas in principio Bibliorum vulgatæ editionis, hæc habeo, animadverſione digna, præcipuè pro novis Chriſtianis, qui nondum ſunt confirmati in fide Sacr. Romanæ Eccleſiæ.

Primum eſt, quod S. Hieronymus habet pro apocryphis, vel ſaltem excludit à libris canonicis omnes illos, qui non reperiuntur apud Hebræos in eorum Bibliis.

Secundum eſt, quod loquitur cum aliqua dubitatione de auctoritate aliquorum librorum novi Teſtamenti.

Tertium eſt, quod deprimit, ac nimis reprehendit latinos codices, omnemque veritatem hebraicis, græciſque tribuit.

Quod ad primum. In prologo galeato, poſt enumerationem eorum tantùm librorum, qui hodie habentur pro authenticis apud Hebræos, ſubdit: *Ut ſcire valeamus, quidquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, ut Paſtor non ſunt in Canone. Machabæorum primum librum hebraicum reperi. Secundus græcus eſt, quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt.* Quibus in verbis æqualem facit Paſtor, liber omninò apocryphus, cum tot aliis libris ſacris & canonicis.

In epiſtola ad Paulinum iterùm enumerat omnes libros hebraici Canonis, quos ſolum recipit pro Canonicis, cæteros prætermiſſos rejicit.

In præfatione in Nehemiam, & Eſdram ita loquitur: *Nec quemquam moveat, quod unus à nobis liber editus ſit, nec apocryphorum tertii & quarti ſomniis delectetur; quia & apud Hebræos, Eſdræ, Nehemiæque ſermones in unum volumen coarctantur, & quæ non habentur apud illos* (notentur hæc verba) *nec de viginti quatuor ſenibus ſunt, procul abjicienda.*

In præfatione in Heſter vocat declamationes, & exercitia ſcholarium omne id, quod habetur in capite decimo ejuſdem libri. *Librum Heſter,* ait, *conſtat eſſe vitiatum variis translationibus. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum ſinibus trahit, addens ea, quæ ex tempore dici poterant, & audiri, ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis ſumpto themate excogitare quibus verbis

*verbis uti potuit,qui injuriam paſſus eſt,vel qui injuriam fecit.*

In præfatione in Salomonem hæc habet verba: *Fertur & paneretos Jeſu filii Sirach liber, & alius pſeudepigraphus,qui Sapientia Salomonis inſcribitur. Quorum priorem hebraicum reperi, non Eccleſiaſticum, ut apud Latinos,ſed Parabolas prænotatum. Secundus apud Hebræos nuſquam eſt,quin & ipſe ſtylus græcam eloquentiam redolet, & nonnulli ſcriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis affirmant.Sicut ergo Judith,& Tobiæ,& Machabæorum libros legit quidem Eccleſia,ſed eos inter canonicas ſcripturas non recipit, ſic ut hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis,non ad authoritaeim eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.*

In præfatione in Hieremiam excludit à ſacris libris Prophetiam Baruch. *Librum autem Baruch notarii ejus,* inquit, *qui apud Hebræos non legitur,nec habetur, prætermiſimus.*

In præfatione in Danielem ſpernit,atque rejicit quidquid non reperitur in Hebræo,& hiſtorias Belis & Draconis appellat fabulas his verbis *Qui apud Hebræos nec Suſannæ habet hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconiſque fabulas,quas nos,quia in toto orbe diſperſæ ſunt,verum antepoſito, eaſque jugulante ſubjecimus*, refertque rationes cujuſdam Magiſtri Judæorum ad improbandum ſupradictas hiſtorias.

Quod verò ad ſecundum in epiſtola ad Paulinum ita loquitur de epiſtola D. Pauli ad Hebræos: *Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, octava enim ad Hebræos à pleriſque extra numerum ponitur.* Et in præfatione in epiſtolas D.Pauli ſic ait:*Epiſtola autem,quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur propter ſtyli,ſermoniſque diſtantiam.*

In præfatione in epiſtolam S. Jacobi addubitat de auctore,& auctoritate ejus epiſtolæ,inquiens:*Jacobus, qui appellatur frater Domini, unam tantum ſcripſit epiſtolam,quæ de ſeptem catholicis eſt,quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur,licet paulatim, tempore procedente,obtinuerit auctoritatem.*

In præfatione in epiſtolas D.Petri de illarum ſecunda ſic loquitur:*Quarum ſecunda à pleriſque ejus eſſe negatur propter ſtyli cum priore diſſonantiam.*

In præfatione in epiſtolam Judæ ſic quoq;de illa dicit:*Et quia de libro Enoch, qui apocryphus eſt,in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſque rejicitur; tamen auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit.*

Et quod ad tertium. Ex his,quæ hactenus dicta ſunt, apparet,quàm longè D.Hieronymus textus hebræos latinis omnibus anteponit, cùm illud ſolum habeat pro Canonico,quod ab Hebræis approbatur.

Ut autem ad peculiaria veniamus, in præfatione ad Job ita loquitur de textibus latinis: *Ac beatum Job, qui adhuc apud latinos jacebat in ſtercore,ac vermibus ſcatebat errorum,integrum,immaculatumque gaudete.*

In præfatione in quatuor Evangeliſtas totus eſt in reprehendendo textus latinos, & in auctoritatem dando Græcis:*Si enim,*ait, *latinis exemplaribus fides eſt adhibenda,reſpondeant,quibus?Tot enim ſunt exemplaria penè, quot codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus,cur non ad græcam originem revertentes? &c.* & mox poſt pauca loquens de quatuor Evangeliis, inquit: *Unde accidit,ut apud nos mixta ſint omnia,& in Marco plura,Lucæ atque Matthæi; Rurſum in Matthæo plura Joannis & Marci, & in cæteris reliquorum, quæ aliis propria ſunt,inveniantur.*

Verùm eſto,quod de hoc tertio veriſſimè dicat, non tamen expedit hoc exponere extraneis nationibus recenter ad fidem converſis, & ut plurimum averſis à Romana eccleſia, quæ falſa opinione tenent, Sacros libros eſſe à noſtris adulteratos, & corruptos, quod eſt præcipuum fundamentum Mahumetanorum, aliorumque ad ſtabiliendam ſuam ſectam. Et quidem hiſce D. Hieronymi auctoritatibus bellum armis noſtris nobis inferrent. Neque ex eo, quod in noſtris latinis Bibliis hæ præfationes tolerantur, concludendum eſt illas præfigendas etiam eſſe in Arabicis, aut aliis ob graviſſimas rationes,quas facilè vir modicè ſapiens cognoſcere poteſt.

Tertium & quartum librum Eſdræ D. Hieronymus in præfatione ad Eſdram appellat ſomnia Apocryphorum,& S.Concilium Tridentinum eos rejecit à Canone Sacrorum librorum,ſolumque reliquit in latinis Bibliis extra tamen ſeriem Canonicorum librorum, ne prorſus interirent. Ita enim loquitur auctor præfatiunculæ ad eoſdem libros. Quare licet in Bibliis Arabicis non reponantur,non ideò prorſus peribunt.

Additurque alia ratio in eadem præfatiuncula nimirum, quia in aliquibus Bibliis latinis tam manuſcriptis,quàm impreſſis repeiuntur. Quare ob hanc rationem dicit quiſpiam hos libros reponendos eſſe in Bibliis Arabicis.Sed reſpondeo, non eſſe certum,hos duos libros reperiri apud Arabos, ſolumque vidi fragmentum aliquod libri quarti non parum à noſtro differens, variumque. Sed demus, quod illos Arabi habeant, certum eſt inter libros canonicos per inſcitiam illos adnumerare, quod ſaltem probabile eſt. Ideòque rectè fieri putarem illis in his tenebris erroris, & juſtitiæ clariſſimum lumen præferre.

Deinde nulla utilitas ex his duobus libris pervenire poterit,quia cùm non ſint Canonici non habent auctoritatem ad probandum dogmata,neque ullam doctrinam moralem continent, ſed tantùm viſiones obſcuras, & ænigmata.

## CONSULTATIO LVII.

*An remiges ad triremes damnati confugientes ad Eccleſiam gaudeant immunitate?*

*Et quid de remigibus conductitiis, vulgò,le Buonevoglie,qui remigandi miniſterio ſe manciparunt?*

*Quidve de militibus refugis è Triremibus,& ad Eccleſiam confugientibus?*

AD 1.non gaudere autumant Martha *de juriſd. p.* 2.*c.*41.*num.*17.Megal.*in* 3.*part.lib.*4. *c.*2. *quæſt.*1. 1
*num.*33.Sarp.*de jur.aſyl.c.*5.Cutell *de immun.Eccleſ.lib.* 1.*quæſt.*25.*num.*8.& *quæſt.*40.*per tot.* Gam.*deciſ.*362. & Villadieg. *in polit. c.*3.*num.* 215. qui tamen admittunt, quod cogi ſolùm debeant ad remigandum ad tempus ſtatutum,non autem ad ſuſtinendum ob fugam pœnam aliam, cùm hujus remiſſio, antequam Judici ſæculari tradantur,ab Epiſcopo, vel Eccleſiæ Præpoſito obtineri debeat. Moventur ex eo, quod ſunt ſervi pœnæ. Servus enim pœnæ fit, non ſolùm qui metallo, vel operi additur, ſed qui alia pœna damnatur, quæ miniſterium, corporiſque laborem, & ſervitutem irrogat, veluti qui in metallorum miniſterium,ad ludum,ad beſtias & tandem ad triremes in opus publicum damnatur, *lib.*6.§. *irrit.ff.de injuſto rup.l.*6.*ff.de ſtat.libro vigeſimo quinto,* §.*ſi quis planè,ff de acquirend.hæred.*8 §.*in miniſterium,* & § *quicumque,*& §.*vult.leg.*11.17. & 36.*ff.de pœn. l.*7. *ff.de his, qui ſunt ſui,vel al.*§.*pœna,inſtitut quib.mod.jus pat.pot.leg.*1.*in fin.*& *l.*2.*ff.de contr.tab.* Hi enim omnes pœnæ magis,quàm Cæſaris fiſci ſervi ſunt, *l.*3.*ff.de his, quæ pro non ſcript.haben.* Atqui ſi ſervus fugiat ad Eccleſiam,non liberatur à poteſtate ſui domini: igitur neque reus, qui per crimen, maximè accedente ſententia, fit ſervus publicus,& ſervus pœnæ, liberabitur à poteſtate Judicis,& juſtitiæ.

At verò hanc opinionem aliqui rejiciunt. Quia rationes pro illa deductæ intelliguntur de ſervis juxta diſ- 2
poſitionem juris antiqui digeſtorum, ac Codicis,quod eſt correctum per authenticon.*Sed hodie C.de donat.inter vir. & uxor.* & per *authen. de nuptiis,*§.*quod autem,* ut docet Barthol.*in leg.qui ultimo,num.*3.*ff.de pœn.* in libero homine in metallum damnato, in cujus locum ſucceſſit pœna triremium perpetua,Clar.*q.*67. *verſ.item damnatio.*

*damnatio*, Foller.*p. 2. prax. cap. 9. num. 9.* Diaz.*in prax. cap.*146.*num.*3.Salzed.ad Diaz *cap.*140.necnon in deportatis,idem Bartol. *in l.ejus, §.ſi cui, num.* 1. *ad fin.ff.de teſtam.*Natt.*conſ.* 168. *num.*2.*&* 3. in cujus locum ſucceſſit pariter pœna triremium ad tempus,vel perpetua,Clar. *loc.cit.verſ.deportatio*,& Farinac.*qu.*19.*n.*13.*cum ſeq. & q.* 143.*nu.*165. ubi alii. Quæ ad triremes pœna frequentiſſimum his temporibus genus eſt ſupplicii, cujus meminit Valer. *lib. & cap. ult.* ſcribens, quendam juſſu Auguſti, quod ſe Octaviæ ſororis utero genitum ſimularet,remo publicæ triremis affixum. Suidas hujus etiam meminit, & Ioſephus *lib.* 17. Etenim hodie nemo benè natus, hoc eſt liber, & ex legitimo matrimonio procreatus per ſupplicium efficitur ſervus pœnæ, per textum expreſſum *in d.§.quoad autem,auth.de nupt.* ibi: *nullum ab initio benè natorum ex ſupplicio permittimus fieri ſervum.* idem enim eſt benè natus, atque ex legitimo matrimonio procreatus ex Gloſſ. *in l.qui ultimo,v.ad beſtias, ff.de pœn.* & in ſpecie, quod damnatus ad perpetuas triremes hodie non efficiatur ſervus pœnæ pluries firmavit Rota, præcipuè in Romana coram Pamphilio 1613.*dec.*492.*n.*2. *&* 3.*p.*3. *diverſ.*

2 Diſtinguunt alii dicentes,quod ſi reus,è triremibus refuga,confugiat ad Eccleſiam, ſit loco depoſiti ad illas condemnatus,vel certam habeat condemnationem, ſed ſi reclamatum, & pendeat reclamatio, vel compleverit tempus,ſed in illis generalem expectando libertatem detineatur,in his caſibus immunitate gaudeat.Si verò certam habeat condemnationem,de qua non pendeat appellatio, vel pro delictis commiſſis deſervire ibi concordaverit,& tempus deſerviendi nondum compleverit, in his caſibus immunitate non gaudet; quia ſervus pœnæ effectus eſt,& ſic tempus deſerviendi complere debeat. Sed hi quoque reiiciuntur, quia, ut dictum eſt, hodie per condemnationem hujuſmodi, vel ad quodcumque aliud opus publicum, etiam in perpetuum, ſevus pœnæ quis non efficitur.

3 Itaque gaudere, dummodo non fuerint ad triremes damnati ob crimen aliquod in Conſtitutione Gregoriana exceptum,ſive damnati ſint ad tempus, ſive perpetuò, tradunt Pereira *de man.reg.p.*2.*cap.*50.*numer.*17 Ludovic. Corr.*in releꝭ. ad cap inter alia,de immun. Eccleſ part.*3. *quæſt.*4.*numer.*9. Anton. de Marin. *quotid.reſol. cap.*177. *num.*2.Trullench.*in decalog.tom.*1.*lib.*1.*cap.*11.*dub.*3.*num.* 29.Novarr.*in ſum.Bullar.tit.de immun.Eccleſ.numer.*27. Dian.*p.*1.*tr.*1.*reſol.*40. Lezan. *in ſum. v. Immunitas num.* 16.Giurb.*conſ.crim.*30.*num.*21.ac Delben. *de immun.Eccleſ.cap.*16.*dub.*10 *ſect.*9.*num.*1. *& ſeqq.*Ratio potiſſimum ea eſt,quia Gregorius XIV. ſummus Pontifex in ſua Conſtitutione omnes, & ſingulos caſus,tam de jure communi, quàm aliàs quovis modo,etiam ex identitate,ac majoritate rationis reducit ad unicam tantùm formam, & ad caſus, ſive delicta in ea expreſſa. Caſus autem iſte de damnatis ad triremes refugis, & ad Eccleſiam confugientibus in ea non exprimitur: ac proinde gaudent immunitate.

4 Confirmatur id primùm ex Maſtrillo *de indult.cap.*42. *num.*5.tradente, quod fugiens è triremibus gaudet indulto, ſi non fuerit ad illas damnatus pro crimine excepto in ipſo indulto. Ergo multo magis gaudere debet immunitate Eccleſiæ,ſi pariter non fuerit damnatus pro crimine excepto ab ipſa Eccleſia. Deinde à fortiori:Damnatus quippè ad mortem, qui ſtatim atque ſententia dicta eſt, efficitur ſervus pœnæ, *d.l.qui ultimo, ff.de pœn.*ſive fractis carceribus, ſive dũ ad ſuppliciũ ducitur,ſi ad Eccleſiam confugiat, gaudet immunitate pro crimine in dicta Conſtitutione non excepto,Clar.*qu.*30. *verſ.ſetus autem*, Farinac.*quæſt.*28.*per tot.*Decian.*tr.crim.lib.*6.*cap.*28.*num.* 29.Ambroſin.*de immunit.Eccleſ.cap.*10.*num.* 13. Suar.*de relig.lib.*3.*cap.*11.*num.*18.Graff.*p.*1.*lib.*2. *cap.*48.*numer.* 7. Gambacur.*lib.*4.*cap.*18.*num.*7.& Peregr.*de immun. cap.*5. *num.*4.*& ſeqq.*ac declaravit Sac. Congregatio Immunitatis,præſertim in Valliſoletana 19.Maii 1629. Ergo multo magis damnatus ad triremes per regulam, *ſi id*, de quo minus videtur ineſſe ineſt, igitur de quo magis, *auth.multo magis, C. de ſacroſ. Eccleſ.* Primam tamen ſententiam ſequitur Sac. Congregatio Immunit. per text. *cap. Inter alia,de immunit. Eccleſ.* Ita in Anconitana 6.Septembris 1672. & in Senogallieñ 18. Auguſti, & in Savoneñ 15. Octobris ejuſdem anni.

Ad 2. Negat Cutellius loco allegato *num.* 17. quia iis nec pœnæ, nec rei confugientis definitio convenit,quin etiam tales contineri videntur ſub diſpoſitione,*c.metuentes* 17.*qu.*4.*& l.præſenti,§.ſanè, C. de his qui ad Eccleſ. confug.* ubi de famulis cavetur, quod ad præſtanda ſervitia cogi debeant. Affirmat verò Giurb. *d. conſ.* 30. quod planè verum eſt. Solet tamen à Sanctiſſimo dari facultas, illos extrahendi ab Eccleſia, præſtito prius juramento à triremium Præfecto illos ob hanc fugam non puniendi, ut de eadem S. congreg. Immunitatis in Meliten.15. Julii 1668. 5

Idem dicendum eſt de militibus refugis è triremibus, 6
& ad Eccleſiam confugientibus, nimirum gaudere; ſed ſi poſtea petantur, reſtituuntur cum eiſdem cautelis, ut ex eadem S. Congreg. in Anconitana 6. Septembris 1672.

## CONSULTATIO LVIII.

### *An & quatenus Clerici examinari poſſint coram Iudice laico?*

NOn poſſe Clericum cogi tam in cauſa criminali, 1
quàm in civili ad deponendum in judicio ſæculari, niſi in defectum probationum,deſumitur ex *c.teſtimonium* 11.*q.*1 ubi Gloſſa,Archid. & alii,nuncupatim Præpoſitus, & tradit Genuen.*in prax. c.*35.*per tot.* omninò videndus. Ideòque requiritur licentia Epiſcopi,qua permittat,ut ſui Clerici, etiam Preſbyteri in foro ſæculari examinentur, hiſce tamen conditionibus.

In cauſis civilibus tantùm. Vel ſi ſint criminales, non 2
mereantur pœnam corporis afflictivam. S. Congregatio ſuper Epiſcop.10 Auguſti 1592.

Quod ex iis non poſſit aliquo modo exoriri talis 3
criminalitas, quæ mereatur pœnam corporis afflictivam.

Et quod examinandi, non coram Judice laico, ſed 4
in tribunali Epiſcopi præſtent juramentum. Eadem S. Congregatio 13. Februarii 1610. & 14. Aprilis 1615. 26. Novembris 1616. & 12. Maii 1623. & 16. Martii 1634. Adeò, quod ſi Judex ſæcularis præſumat deferre juramentum perſonæ eccleſiaſticæ tam ſæculari, quam regulari, debeat puniri tamquam violator libertatis, & uſurpator juriſdictionis eccleſiaſticæ, & etiam ſic examinati, ſed levius, eadem S Congregatio 19. Decembris 1625. Extatque formula decreti facti à Sac.Congregatione ſuper controverſiis juriſdictionalibus tenoris ſequentis.

*Sacra &c. cenſuit, ſi veritas pro defenſione oratoris* 5
*aliunde haberi non poſſit, dandas eſſe literas directas Epiſcopo diœceſano cum facultate, ut Clerici nominati poſſint in tribunali Iudicis laici examinari in cauſa criminali pro defenſione, ut ſupra, præſtito tamen prius juramento coram eodem Epiſcopo diœceſano, ac ſervatis aliis expreſſis in praxi, Genuenſis cap.25.numer.6. & ſeq. ſcilicet, ut articuli, ſuper quibus deponunt, non contineant criminalitatem,infamiam,negativam,aut repulſam, & cum diſpenſatione hac de cauſa ab incurſu cujuſcumq; irregularitatis, & ad dictum effectum, & non aliàs poteſt dari ſalvus conductus eiſdem Clericis examinandis.*

Unde temerè violabit juriſdictionem eccleſiaſticam 6
laicus ille,qui abſque licentia Epiſcopi vellet,non obſtante notorietate,ac monitione Clericatus, Clericum examinare, deferendo illi prius juramentum, tactis cum ſcripturis; ſic enim incurrerit excommunicationem injunctam tum in S. Concilio Tridentino *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. *de reform.* ut ibi notat Barboſ. *v. Iuriſdictiones*

*num.*3.tum in Bulla Cœnæ Domini *can.*17. ubi Duard.*in com.lib.*2.*qu.*3.*concl.*1.*num.*13. Eòque magis ſi id ſibi arrogaverit authoritativè tamquam ad ſuam juriſdictionem attinens, ut benè conſiderat Duard. *loc.cit.concl.*2.*num.* 15. & ita non applicatur textus in *cap. ſi verò, de ſent. excom.* loquens improbabiliter de ignorante quempiam eſſe Clericum, ibi: *Nec etiam excommunicatione nodari, dummodo ipſum eſſe Clericum ignoraverit*, ex quo Gloſſ. ibi *v. ignoraverit*, dicit, non procedere, ſi tonſuram vidit vel ſi ex alio conſtet, illum Clericum eſſe.

7 Et ita ut non obſtet, quod cauſa, in qua Clericus examinandus foret, eſſet mixti fori, & ſic locum habeat præventio, & quod laicus poſſit in ea examinare Clericum abſque coactione, Sperell. *dec.* 134. Quia admittimus præventionem, ſed impugnamus conſequentiam, quod laicus poſſit exempli gratia Clericum vulneratum ab homine ſæculari examinare cum juramento ſine licentia. Quod quidem non firmat Sperellus, ſed ſolùm, quod uterque Judex poteſt in contumaciam procedere ad diverſas pœnas. Certum namque eſt, quod, quando laicus defert Clerico juramentum in examine, id ipſi non liceat ſine legitima facultate, præſertim in cauſa criminali, ubi maximè agitur de pœna ſanguinis. Nam tunc ne concedere quidem Epiſcopus hanc licentiam poteſt, ut latè Bellet. *diſq. Cler.p.*1. *de Cler. teſt. num.* 1. *& ſeq.* ac Sperell. *deciſ.* 51. *num.* 6. *ac* 15. ubi probat, examen vulnerati eſſe actum contentioſum, quod redditur in invitum, & per interrogationes, quæ fiunt Clerico vulnerato idem examen cenſetur exercitium contentioſæ juriſdictionis, prout etiam talis quoque cenſetur juramenti delatio, & ſub *num.* 18. refert reſolutionem S.Congregationis.

8 Neque officit, quod ad hoc, ut quis examinando Clericum cenſuras incurrat, requiratur, quod illum conſtituat, tanquam reum quoad ſe, vel teſtem quoad alios, ex Sperell.*dec.* 50. Nam id procedit reſpectu excommunicationis contra trahentes Clericum ad Curiam ſæcularem latæ *in can.*15. ejuſdem Bullæ Cœnæ Domini, & ita loquitur Sperellus, ut patet ex *n.*10. *&* 12. ſecus autem eſt reſpectu excommunicationis latæ in dicto *can.* 17. ejuſdem Bullæ contra uſurpantes juriſdictionem eccleſiaſticam, ut eſt actus examinis Clerici vulnerati, & hujuſmodi cum delatione juramenti, de quo loquitur idem Sperell. dicta *dec.* 51. ut liquet ex *n.* 15.

9 Stante itaque hac temeritate, non debet remanere impunis, qui ſic examinat, ſed debet denunciari excommunicatus, à ſolo Papa abſolvendus, ut *in Extravag. Et ſi Dominici* 5. *de pœnit. & remiſſ.*

10 Quinimmò non ſolùm non poſſunt Clerici deponere coram Iudice ſæculari ſine licentia ſui Prælati in ſcriptis data, ut etiam dictat Ritus magnæ Curiæ Vicariæ, loquens tam in Clericis majoribus, quàm in minoribus ordinibus conſtitutis, ſed nec coram Iudice non ſuo, etiam Eccleſiaſtico. Ita Bald. *in cap.* 3. *col.*2. *de juram.calum.* ubi ait: Nota optimum textum, quod ſi Clericus Papienſis fert teſtimonium coram extraneo Epiſcopo ſine licentia proprij Epiſcopi, non valet juramentum, ergo nec teſtimonium. Quod dicit eſſe memoriæ commendandum.

## CONSULTATIO LIX.

*An, & in quas pœnas incurrant, qui tempore interdicti, aut aliàs excommunicatos, vel interdictos, vel uſurarios manifeſtos in loco ſacro ſepeliunt, & quo pacto eccleſiaſticæ ſepulturæ illos tradere poſſint, præcipuè ſi ob violatam immunitatem, ac libertatem eccleſiaſticam excommunicati fuerint, quive eos, ac quomodò abſolvere poſſint? Ubi ſpeciatim de abſolutione à cenſuris etiam inter vivos ob violatam eccleſiaſticam immunitatem non pauca ex decretis SS. Congregationum.*

IN *Clem.*1. *de ſepult.* decernitur ipſo facto excommunicatos eos eſſe, qui propriæ temeritatis audacia de- 1
functorum corpora non ſine comtemptu clavium in cœmeteriis, interdicti tempore in caſibus non conceſſis à jure, vel excommunicatos publicos, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumant, à qua excommunicatione nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium diœceſani Epiſcopi eis, quibus fuerit præmiſſa irrogata injuria, ſatisfactionem exhibuerint competentem.

Ex quibus primò deſumitur, quod abſolutio data con- 2
tra hanc formam ſit nulla propter particulam *nullatenus*, quæ importat nullitatem actus ipſo jure, Gloſſ. *in auth. ſi qua mulier, v. nullatenus*, per eundem textum, *C. ad Velleian.* Rot. *dec.*24.*n.*2.*p.*?.*diu.* & in terminis tradit Tolet. *lib.*1.*inſtr.cap.*39.*col.*1. Navar. *cap.*27. *nu.*137. Suar *de cenſur.diſp.*12.*ſect.*4.*n.*8. & Card. *in d. Clem. q.* 7. Secundò, quod à fortiori procedat contra ſepelientes in Eccleſia, ut Suar. *n.*9. cum Navarro. Tertiò, quod tempus interdicti intelligatur de locali, generali, vel ſpeciali, vel de perſonali generali, Suar. *loc.cit.diſp.*35.*ſect.*1. Quartò, quod contineantur hìc non tantùm propriis manibus ſepelientes, quod voluit Caiet. *in ſum. v. excommunicatio c.* 46. Navarr. *ubi ſupra*, Henriq. *lib.*13.*c.*43.*n.*3. Avil. *de cenſur.p.*2.*c.*6.*diſp.*10.*dub.*6. Tolet. *ibid.* ſed etiam mandantes, ut Suar. *eod.loc.n.*10. & Card. *in d.Clem.n.*28. atque authorizantes, ut Parochus, ſeu alii Clerici, qui funeri præſunt, ut Leſſ. *de juſt. lib.*2.*cap.*20.*n.*188. Pyrrhus Sicul. *in ſpecul. diſp.*15.*q.*130.§.4. & generaliter omnes, ſine quibus talis eccleſiaſtica ſepultura non perficeretur, ut ſunt, portantes feretrum, fodientes, Clerici cantantes, & officium perſolventes, cum Cruce præeuntes, & non impedientes, cùm impedire ex officio tenentur, ut Sayr. *de cenſur. lib.* 3.*cap.*35.*num.*13. cum Ugolino, Alter. *lib.*1. *diſp.* 4. *cap.*3. Reginald. *lib.*32.*n.*19. Angel. *v. excommunicatio* 7 *caſ.*36.*n.*5. Itaque continentur omnes & ſoli, qui talem ſepulturam procurant, vel admittunt ad illam, ut Bonifac. *in ead. Clem.n.*33. *in fin.* non tamen puto, contineri aſſociantes honoris cauſa, Leſſ. Suar. Pyrrh. Cardinal. Bonif. Angel. Sayr. Ugolin. & Alter. *locis allegatis*, eſtque communis ſententia, quamvis etiam aſſociantes continere teneant Gloſſ. Steph. & Anchar. *in d.Clem.* Riginald. *lib.*32. *nu.*19. & alii.

Limitatur autem id primò, quod poſt dictam ſatisfa- 3
ctionem iſta excommunicatio non eſt amplius reſervata, Bonif. *ibid.n.*4. & Cardinal *nu.* 30. Secundò, quod hodie propter *Extravag. Ad evitanda* non procedit hæc Clementina, niſi interdictum, cujus tempore ſepelitur, ſit nominatim denunciatum; nam aliàs non eſt obligatio denegandi ſepulturam, Suar. *diſp.*37.*ſect.*2.*n.*5. Coninch. *diſp.* 17.*dub.*5.*in fin.* Et intelligitur ſimiliter de excommunicato, vel interdicto defuncto, nominatim denunciato, vel notorio Clerici percuſſore, Sayr. *lib.*1. *cap.*35.*n.*9. Navarr. *cap.*27.*n.*137. Filiuc. *tr.*14. *num.*71. & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 39. *in princ.* Item ſecundùm multos Doctores ſimiliter non procedunt pœnæ contra ſepelientes uſurarios manifeſtos, niſi ſint declarati, ut Suar. *diſp.*31.*ſect.*2.*num.*10. Filiuc. *tr.* 17.*num.*100. Leſſ. *c.*20.*num.*188. Laym. *lib.*3.*tr.de contract. c.*16.*num.ult.* Bonac. *eod.tract. diſp.*3.*qu.*3.*pun.ult.numer.* 1. & latè probat Ugolin. *de uſur. cap.* 24. §.8. *num.*3. etſi alii dicant, non requiri declaratoriam, de qua in dicta Extravaganti, id eſt denunciationem publicam, ſed ſententiam ſpecialem, ſeu declaratoriam in judicio de notorietate hujus criminis uſurarum exercitii, & ante hanc ſententiam, non eſſe locum pœnis prædictis, ut Menoch. *de arb.caſ.*335.*n.*12. *&* 13. & inclinat Suar. ac Filliuc. *loc. cit.* Et quod non poſſit dici delictum notorium, nec pro eo procedi ad pœnas, niſi fuerit per ſententiam declaratum, ait communem ſententiam Clar. §.*fin. qu.*9. *in fin.* ubi ait ſic in praxi receptum. Sed hæc doctrina Clari, & aliorum, quos Menochius refert, debet intelligi vera, quando agitur ad pœnas inferendas, quæ de ſui natura requi-

quæ de ſui natura requirunt declaratoriam, vel executoriam, id eſt, quæ requirunt factum hominis poſitivum, ſecus autem in purè privativis, de quibus hìc agimus. Alii diſtinguunt, quod declaratoria non requiritur ad incurrendas pœnas *cap. quia in omnibus, de uſur.* ſed benè ad incurrendas pœnas *cap. quamquam eod. tit.* ut Lup. *in d. cap. quamquam in præf. num.* 32. & 33. Covar. *var. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. ſed rectè refutantur ab Ugolino *loc. cit.* quia non aſſignant rationem differentiæ. Igitur alii dicunt pœnas uſurariorum procedere, & ligare ante omnem declaratoriam, ſeu denunciationem: quia Extravagans, *Ad evitanda* loquitur de iis, qui vitandi eſſent ratione ſententiæ, ſeu cenſuræ, non autem de vitandis ratione criminis notorii. Ita tenent Sylveſt. *v. uſura* 9. *q.* 4. Novarr. *cap* 17. *num.* 280. Armil. *v. uſura num.* 53. Mollin. *to.* 2. *diſp.* 334. Filiuc. *tr.* 14. *num.* 71. Vivald. *de ſuſpenſ. num.* 50. Alter. *nu.* 2. *diſp.* 11. *cap.* 2. *in fin.* Jaſ. *conſ.* 78. *num.* 3. *vol.* 3. Maſcard. *v. uſurarius concluſ.* 1425. *num.* 6. & hæc eſt communior ſententia. Solùm autem requiri cenſeo declaratoriam Judicis, vel ſententiam, quando ratio notorii poſſet eſſe dubia, ut latè diſtinguit, & conciliat Maſcard. *v. notorium concl.* 1106. *n.* 11. ubi ait, notorium facti permanentis facile poſſe excludere omne dubium, ſecus in notorio juris.

4 Clerici autem ſæculares ac regulares quicumque admittentes ad ſepulturam interdictos, vel excommunicatos, vel quoſcumque in loco interdicto, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, *ex cap. Epiſcoporum, de privil. in* 6 ubi cautum eſt, ne ſæculares, aut regulares quantumcumque exempti, vel privilegiati ſcienter celebrent, aut celebrari faciant divina in locis interdictis ab Ordinariis, vel delegatis, vel à jure, niſi quatenus à jure conceditur, & ne interdictos ad divina officia, & eccleſiaſtica Sacramenta, vel eccleſiaſticam ſepulturam admittant. Qui verò contra præſumpſerint, præter alias pœnas à jure ſtatutas, ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, donec de tranſgreſſione hujuſmodi ad arbitrium Ordinarii, cujus ſententiam contempſerunt, ſatisfecerint competenter.

Hæc autem Conſtitutio eſt contra omnes eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quàm regulares exemptas tantùm, non autem contra alias non exemptas, ut de communi teſtatur Navar. *cap.* 27. *n.* 157. Suar. *de cenſur. diſp.* 37. *ſect.* 4. *n. ult.* Jo. Andr. Gemin. Anchar. & Jo. Monach. *ad d. cap. Epiſcoporum* contra Gloſ. *ibi*, ac Barboſam eo loco *n.* 3. ac Sayr. *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 11. & 34. qui dicunt, illam particulam *quantumcumque privilegii, vel exemptionis* &c. eſſe ampliativam, non reſtrictivam ad illos ſolos. Ex quo apparet, quod ratione hujus tranſgreſſionis exempti fiunt de foro Epiſcopi, Jo. Monach. *n.* 3. & Jo. Andr. *n. item* 3. atque ſic poterit Epiſcopus illos punire pro arbitrio. Non poterit tamen eos excommunicare, ſi habent privilegium, ut non poſſint excommunicari, niſi à Papa, Jo. Monach. *d. num.* 3. Item ex hoc textu tolluntur privilegia conceſſa admittendi ad divina interdictos, vel celebrandi tempore interdicti, Jo. Andr. & Jo Monach. *ibid. n.* 2. Excipiuntur tamen, & præſervantur privilegia clauſa in corpore juris, nempè moderatio *cap. Alma mater, de ſent. excom. in* 6. ſed neque derogatur aliis privilegiis, poſteà conceſſis, etiam extra corpus juris. Non autem in hac Conſtitutione continentur Epiſcopi per *cap. Quia periculoſum, de ſent. excomm. in* 6. Franc. *in d. cap. Epiſcoporum.* Et intelligitur de non admittendis interdictis nominatim declaratis, vel in loco interdicto nominatim declarato, ob dictam *Extravag. Ad evitanda*, de qua ſupra. Interdictum autem perſonale generale obligat ad vitandum, ſi fuerit denunciata per nomen talis Univerſitas, etiam ſi non fuerint ſinguli nominati, Bonac. *pun.* 6. *num.* 23. ſecundùm probabiliorem cum Sayr. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 23. Sur. *d. diſp.* 37. *ſect.* 2. *numer.* 3. Alter. *de interd. diſp.* 10. *cap.* 4. Avil. ubi ſupra *dub.* 5. Coninch. *diſp.* 17. *numer.* 62. contra Navarr. & Em. Sà, quos refert Bonacina *ibi*.

Pariter ex *cap.* 3. *de privil.* §. *excommunicatos, juncto* §. *fin.* Si Religioſi, etiam exempti admiſerint ad divina nominatim interdictos ab Epiſcopo, vel ab eo nominatim denunciatos, eorum Eccleſiæ, in quibus admiſerint ex præſumptione, ſubiaceant interdicto. Quod aliqui dicunt eſſe latæ ſententiæ, ſed poſſe ab Epiſcopo denunciari, ſeu declarari contra iſtos Regulares, etiam exemptos, quia verbum *ſubiaceat* eſt latæ ſententiæ, ut *c. ſi quis ſuadente* 17. *q* 4. Gloſ. *in cap.* 1. *de injur. in* 6. ac ita refert alios tenere Hoſt. hic in fine, & multos pro hac ſententia refert Tiraquel. *in l. ſi unquam, v. revertatur, num.* 148. ubi *num.* 150. eam per ſe veriorem ait, niſi ex ſubjecta materia aliud colligatur. Sed contrariam ait communem Abb. *in d. cap.* 3. *num.* 7. Hoſt. *ibid.* & Card. *in fin.* dicentes, verbum *ſubiaceat* intelligi miniſterio Epiſcopi, ſententiam laturi, & ait Cardinalis, hanc expoſitionem, tamquam benignam eſſe amplectendam, & eam communem in eo caſu fatetur Tiraq. *num.* 149. Unde ſequitur, quod ſi tales Religioſi habent privilegium, ne poſſint excommunicari, niſi à Papa, non poterit Epiſcopus talem ſententiam contra eos fulminare, at ſecundùm primam ſententiam poſſet declaratoriam proferre, Henriq. *lib.* 7. *c.* 25. *num.* 7. 5

6 Hæc verò decretalis limitatur hodie per *d. cap. Alma mater, de ſent. excom. in* 6. ubi certis modis moderatio facta eſt interdicti localis generalis, vel perſonalis generalis. Primò, ut omnes admitti poſſint ad pœnitentiæ Sacramentum, ſi non ſint excommunicati, vel culpabiles de tali interdicto, vel ſpecialiter interdicti, & officia divina poſſint januis clauſis celebrari ſubmiſſa voce, laicis excluſis, & ſine ſonitu campanarum. Sed & quater in anno, imò quinquies, id eſt Natali Domini, Paſchate, Pentecoſte, Aſſumptione B. Mariæ, & Corporis Chriſto feſto ianuis apertis, excluſis excommunicatis; interdictis verò, culpabilibus non admiſſis ad communionem euchariſticam, & ad oblationem. Et idem eſt de interdictis nominatim, ſeu ſpecialiter, ut docent Suar. *diſp.* 34. *ſect.* 1. *num* 3. Laym. *lib.* 1. *tract. de interd. cap.* 2. §. *quartam exceptio*, Sayr. *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 12. Jo. Andr. & Henriq. *in d. cap.* 3.

7 Regulares etiam exempti interdictum generale locale non obſervantes, advertentes illud obſervari ab Eccleſia Cathedrali, ſeu matrice, ſeu parochiali, incurrunt excommunicationem latam *in Clem.* 1. *de ſent. excom.* non obſtantibus privilegiis & conſuetudinibus. Quod procedit etiamſi prætenderetur illud interdictum nulliter latum, Sayr. *lib.* 3. *c.* 33. *n.* 45. & 48. cum aliis. Non autem procedit hæc Conſtitutio contra Clericos, ut ſupra citati Doctores dicunt, neque procedit in interdicto ſpeciali locali, neque perſonali, etiam generali, ut Toler. *lib.* 1. *cap.* 36. *undecima*, ubi benè explicat hanc materiam. Sic etiam in prædicto caſu Religioſi Minores S Franciſci, ſi admittunt ſuos Tertiarios in ſuis Eccleſiis ad divina officia, excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam, ſcilicet ante ſatisfactionem, ſed, ſatisfactione præſtita, tunc ſunt abſolvendi ab Epiſcopo authoritate Apoſtolica, à jure delegata, ex *Clem. Cum ex eo, de ſent. excom.* Sed de his alibi.

8 Clerici porrò tradentes uſurarios manifeſtos eccleſiaſticæ ſepulturæ, vel oblationes eorum accipientes, compellendi ſunt reddere, quæ acceperint, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecerint ab officij ſui manent executione ſuſpenſis, *text. in cap. quia in omnibus, de uſur. & cap. quamquam, eod. tit. in* 6. Sepelientes verò in loco interdicto, ſcilicet tempore interdicti localis, exercendo in officio illo actum ordinis ſacri, incurrunt irregularitatem, Sayr. *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 34. At ſepelientes in loco non interdicto excommunicatos, vel indictos, non fiunt irregulares, Sayr. *ibid.* qui multos allegat, & Suar. *diſp.* 12. *ſect.* 4. *num.* 14.

9 Eccleſiæ verò, vel Cœmeteria ſacra, in quibus fuerit ſepultus excommunicatus nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor, polluta remanent eo ipſo,

*cap.conſuluiſti, de conſecr. Eccleſ.* videndi omninò Sayr.
*d.lib.5.cap.16 num.22.* Suar.*d.diſp.*12.*ſect.*4. *num.*4.*C de*
*Sacram.diſp.*81.*ſect.*4.§. *quarto violatur*, Tolet *lib.*5.*cap.*
8.§.*tertia cauſa*, Avil.*p.*5.*diſp.* 7. §. *tertius caſus*, & ca-
daver illud excommunicati eſt exhumandum, & procul
ab Eccleſia proiiciendum ad tenorem *cap. ſacris, de ſe-*
*pult. & cap. ad hæc, de privil.* ibique Butr. Abb. Zaba-
rel. & alii. Itaque, quandiu non fuerit locus reconciliatus,
fideles ibi ſepeliri non poſſunt, per *cap.un. de conſecrat.*
*Eccleſ in 6.* neque ibi interim poſſunt officia celebrari, ut
per Doctores citatos. Si verò ſepultus abſolvatur ab ex-
communicatione ab eo, qui illam dare poteſt pro utroque
foro ob ſigna edita in articulo mortis, tunc non erit cor-
pus exhumandum; Suar.*d.diſp.*12 *ſect.*4.*n.*3. & Sayr.*lib.*2.
*cap.*4.*n.*13.
11 Ratio autem cur excommunicati, &c. tradi nequeant
eccleſiaſticæ ſepulturæ, inſinuatur ex *d. cap. ſacris*, quia
quibus non communicamus vivis, non debemus etiam
communicare defunctis. Quod deſumptum eſt ex Leone
Papa *ep.*90.*vel* 92. ad Ruſticum *c.* 6. vel 7. & habetur *in*
*can.*1.24.*q.*2.& ex Gelaſio *in can. quicunq;* 12.*q.*3. Atque
hinc infertur, quod licèt contingat, excommunicatum mo-
ri cum maximis ſignis contritionis, ſi tamen abſque abſo-
lutione à cenſura decedat, ſepeliri non poſſit in loco ſa-
cro, donec ab Eccleſia abſolutionem obtineat, juxta *cap.*
*A nobis* 2. *de ſent.excom.*
12 Sed Illuſtremus hanc materiam abſolutionis à cenſuris
per Doctores decantatam variis Sacrarum Congregatio-
num decretis.
13 Abſolutio à cenſuris ex cauſa violatæ immunitatis ec-
cleſiaſticæ eſt reſervata Summo Pontifici. S. Congregatio
Immunitatis in Licieñ 13. Julii 1638.
14 Auditor Cameræ non poteſt dare hanc abſolutionem
nec cætera Tribunalia Urbis, eadem in Romana 4. Augu-
ſti 1626.
15 Auditor Cameræ non habet facultatem abſolvendi à
cenſuris in cauſis violatæ immunitatis eccleſiaſticæ, nec
cum reincidentia, neque concedere inhibitiones, eadem
in Gravineñ, & Capritana 27. Januarii, & 10. ejuſdem
1639.& 1. Julii 1642.
16 Auditor Cameræ non habet facultatem abſolvendi à
cenſuris in cauſis violatæ immunitatis eccleſiaſticæ, nec
cum reincidentia defectu juriſdictionis; & ideò Epiſco-
pi non debent attendere ejus inhibitiones, ſed debent
procedere ad ulteriora, ut ſæpiùs reſolutum ab eadem
S. Congregatione, præſertim in Neapolitana 29. Au-
guſti 1671.
17 Abſolvendi facultas, non debet concedi Ordinario in-
feriori, ſed Epiſcopo viciniori, eadem S. Congr. 23. Au-
guſti 1632.
18 Epiſcopus abſque facultate S. Congregationis non de-
bet committere abſolutionem cum reincidentia, ſecus in-
cidit in excommunicationem, ead. S. Congreg. in Caſſa-
neñ 3. Decembris 1652. Neque ratione infirmitatis, niſi ſit
periculoſa, eadem in Licieñ 6. Februarii 1635. Neque
in honorem feſtivitatum, eadem in Averſana 27. Martii
1635.
19 Abſolutio non datur, niſi expreſſis nominibus, eadem
in Copſana prima Octobris 1652.
20 Jubilæum non ſuffragatur excommunicatis in foro fo-
ri, eadem S.Congreg in Aquilana 17. Decembris 1630.&
in Mediolaneñ 27. Januarii, & in Nuſcana 6. Februarii
ejuſdem anni.
21 Breve Pœnitentiariæ non ſuffragatur excommunicatis
in foro exteriori eadem S.Congr in Gravineñ . Octobris
1629 & in Marſicana 7. Septembris 1638. & in Nullius
Terlicii 12. Januarii 1649.
22 Abſolutio aliquando datur cum pœna ſolvendi elee-
moſynam. eadem S. Congr. in Salernitana 29. Octobris
1628.& in Nullius Orbitelli 29. Octobris 1624.
23 Abſolutio non eſt concedenda vigore jubilæi, eadem in
S. Marci 24. Octob. 1630.
24 Abſolutio cum facultate S. Congregationis datur ali-
quando cum reincidentia in honorem feſtivitatum. eadem
in Britinorieñ 3. Aprilis 16 2.& in Caſſaneñ 19. Decem-
bris 1634.& in Cataceñ 24. Martii 1627.
Abſolvendi facultas datur aliquando per ſubſtitutum. 25
ead. in Aſculana 21. Septembris 1633. Aliquando datur fa-
cultas Epiſcopo ſubdelegandi abſolutionem. eadem in
Bareñ 7. Auguſti 1657.
Abſolutio datur aliquando cum cautione de ſolvendo 26
damna. eadem in Aſculana 22. Septembris 1633.& in Hor-
tana 5. Maii 1637.
Abſolutio eſt perſonaliter petenda. eadem in Nucerina 27
8. Aprilis 1636.& in Aprutina 5. Martis 1641.
Elapſo termino abſolutionis cum reincidentia, Ordi- 28
narius debet affigere cedulones contra jam abſolutos ea-
dem in Bareñ 12. Decembris 1634. & in Alexandrina 17.
Januarii 1634.
Excommunicati ob extractionem factam ab Eccleſia, 29
cùm aliquando extracti, ab eis occiſi fuerint, vel à Curia
ſæculari capite puniti, ex quo Eccleſia non poteſt redin-
tegrari; poſſunt abſolvi in foro conſcientiæ; in foro au-
tem exteriori Eminentiſſimi Patres fuerunt varii; ſed ma-
jor pars cenſuit abſolutionem quidem differri, non autem
abſolutè denegari, conſiderando circumſtantias facti in
caſibus particularibus, ac propterea in caſu, de quo age-
batur, conceſſa fuit in Oppideñ 15. Decembris 1635. At ve-
rò eadem S.Congregatio die 15. Martii 1661 hanc rem ad
S. Pœnitentiariam remiſit.
Commiſſarius Nuncii Apoſtolici non poteſt abſolvere 30
à cenſuris. eadem in Melphiteñ 10 Julii 1640. Nec poteſt
abſolvere ob non ſolutionem decimarum Locumtenens
Auditoris Cameræ Apoſtolicæ. eadem in Beneventana
29. Maii 1629.
Solis Epiſcopis, non autem aliis Ordinariis inferiori- 31
bus communicatur facultas abſolvendi à cenſuris incur-
ſis ob violatam immunitatem, libertatem, & juriſdictio-
nem eccleſiaſticam, & ſede Epiſcopali vacante, committi-
tur Epiſcopo viciniori. eadem ſæpiùs.
Locumtenens Auditoris Cameræ non poteſt abſolvere 32
ab excommunicatione reſervata. eadem in Cataceñ 29.
Maii 1629.
Facinoroſus non eſt abſolvendus ab Epiſcopo cum fa- 33
cultate ſummi Pœnitentiarii. eadem in Avellina 27. Maii
1654.
Exactores onerum ab Eccleſiaſticis non ſunt abſolven- 34
di, niſi præcedente reſtitutione omnium exactorum. ea-
dem in Alexandrina 15. Februarii 1635.
Abſolutio multorum concurrentium in unum crimen 35
quomodo conferenda, vide in Bareñ 15. Auguſti 1647.
Abſolutio diverſorum delinquentium datur ſecundùm 36
qualitatem delictorum eadem 10. Novembris 1649.
Petentes abſolvi ab excommunicatione ſunt abſolven- 37
di in forma Eccleſiæ conſueta. eadem in Caietana 9. No-
vemb 1626.
Abſolutio ab excommunicatione non prodeſt, niſi ſe- 38
quuta reſtitutione, & redintegratione Eccleſiæ. eadem in
Laudeñ 9. Octobris 1629.
Excommunicatus mortuus poteſt abſolvi in forma ju- 39
dicii. eadem in Hieraceñ 15. Septembris 1655.
Excommunicatus mortuus, ſi ſigna pœnitentiæ dederit, 40
poteſt abſolvi. eadem in Januen 14. Septembris 1626.
Circa abſolutionem excommunicati demortui ſervan- 41
da eſt diſpoſitio *cap.fin. de ſepult.* eadem in Mediolaneñ
13. Febr. 1637.
Contra excommunicatos notorios, qui non curant 42
abſolvi, procedendum per aggravatorias. eadem in Be-
neventana 20. Januarii 1637.& Nullius Canuſiæ 20. Mar-
tii 1630.
In Aquitaneñ Petrus & Thomas de Jorio, petentes 43
abſolutionem à cenſuris ob cauſam extractionis, & ho-
micidii mulieris, eorum conſanguineæ, reſolutum cum
Sanctiſſimo pro declaratione authoritatis S. Congrega-
tionis, & facta relatione, Sanctiſſimus ſub die 28. Sep-
tembris ſequentis declaravit, Epiſcopum in ſupradicto

caſu poſſe abſolvere authoritate ordinaria, cùm nulla intercesserit authoritas publica: & ideò ſub eadem die 28. expeditæ ſunt literæ. Idem in Cariateñ 1. Octobris 1669. ſcriptum Vicario, qui abſolvat, ſatisfacta parte, juxta ordinarias ſuas facultates, cùm violatio non fuerit commiſſa authoritate publica.

44 In Tarentina 17. Auguſti 1669. conſtito de ſignis pœnitentiæ datis, & de ſatisfacta parte, Vicarius generalis abſolvat in forma ad tenorem *cap. à nobis 2. de ſent. excom.* & concedat ſepulturam eccleſiaſticam. Idem in Aquilana 13. Auguſti ejuſdem anni, & in Bituntina 2. Ianuarii 1672. videlicet Epiſcopo, qui faciat exhumari cadaver, & illud, præſtito per hæredes juramento de parendo mandatis Eccleſiæ, abſolvat in forma ad tenorem *cap. à nobis 2. de ſent. excomp.* & deinde tradat eccleſiaſticæ ſepulturæ ex eo, quod mortem ſigna pœnitentiæ præceſſerint.

45 Abſolutio ab excommunicatione dari debet, ſatisfacta parte, vel quando delinquens fuit ſufficienter punitus, etiam à Iudice ſæculari. S. Cong. Epiſcop. in Triventina 17. Aprilis 1602. & in Beneventana 17. Martii 1653.

46 Abſolutio excommunicationis pro delicto non valde gravi privatim dari debet. Eadem S. Congregatio in Sueſſana 26 Novembris 1655.

47 Abſolutio à cenſuris ob violatam immunitatem eccleſiaſticam juxta Conſtitutionem ſa.me. Gregorii XIV. quæ incipit, *Cum aliàs nonnulli*, eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata Sac. Cong Concilii ſub anno 1617.

48 Abſolutio à cenſuris debet concedi omninò gratis, etiam in foro exteriori, excepto eo, quod debetur Notario pro mercede, & Iudici pro decreto. S Congr. Epiſcop. in Neocaſtreñ 27. Iulii 1618. Et ſi in abſolutione excommunicationis reſervatæ commutentur expenſæ itineris, & incommoda Romam veniendi in aliquam eleemoſynam. S. Congregatio Epiſcop. in Mediolaneñ 22 Aprilis 1603.

49 Licet abſolutio ſacramentalis, data ſub conditione de futuro ſit nulla, abſolutio tamen à cenſuris, data ſub conditione de futuro, non ſolùm eſt valida, ſed etiam licita, maximè exiſtente juſta cauſa, ut puta, quia poſteà non patebit aditus ad Superiorem Item, licèt abſolutio à cenſuris differat à ſacramentali peccatorum abſolutione etiam in hoc, quod ex cauſa dari poſſit etiam invitis; anteà tamen curari debet ut deliquentes errorem ſuum recognoſcant, & abſolutionem humiliter petant. S. Congreg Epiſcop. in Caveñ 6. Septembris 1604. & 18. Martii 1649.

50 Abſolutio cenſurarum, & diſpenſatio irregularitatum ad cautelam dari ſolet, quando reus allegat probabilem cauſam earum nullitatis & ſic quando dubium eſt, an inciderit, & ab eo Iudice, qui à certis abſolvere poſſet, excepto interdicto locali generali, à quo non datur abſolutio ad cautelam. Ante tamen cauſam finitam debet præſtari cautio de ſtando juri Sac. Cong. Epiſcop. in Anagnina 3. Maii 1647. Et datur ſecretò abſque ſolemnitate judiciali. Eadem S. Congr. in Neapolitana 17. Iulii 1577.

51 Multi ſunt caſus, in quibus antequam cauſa plenè cognita fuerit, abſolvi poteſt cum reincidentia, præſtita promiſſione de parendo, & ſtando juri.

52 Primus, quando petitur ab Ordinariis, vel ab alio informatio, maximè cùm præcipitur tranſmiſſio proceſſus S. Congreg. Epiſcop. in Terracineñ 5. Maii 1645. & in Martyraneñ 11. Maii 1646. & in Montis Faliſci 5. Septembris 1648.

53 Secundus, quando adeſt fumus boni juris ejus, qui recurrit. S. Cong Epiſc. in Boianeñ 16. Februarii 1646 & in Monopolitana 3. April. 1649 & iterùm in Boianeñ 30. Septembris 1650.

54 Tertius, quando Ordinarius excommunicavit in cauſa propria, modo non tractetur de decimis. S. Cong. Epiſcop. in Latineñ 21. Septembris 1646.

55 Quartus, quando ſunt excommunicati ob non exhibitionem librorum Confraternitatum, quos aſſerunt non eſſe apud ſe. Eadē S. Congregat. in Scaleñ 27. Martii 1647.

56 Quintus in honorem alicujus magnæ feſtivitatis, præſertim Reſurrectionis, & Nativitatis Domini. Eadem Sac. Cong in Ianueñ 4. Martii 1603. & in Vmbriaticeñ 16. Martii 1621. & in Rimineñ 3. Aprilis 1648.

57 Sextus propter aliam juſtam cauſam eadem S. Cong. in Salernitana, in Tropieñ, & in Novarieñ 1601. & in Ianueñ 2. Iulii 1602. & in Vulturarieñ 23. Decemb. 1603.

58 Licèt excommunicatus propter aliorum offenſam non debeat abſolvi in foro exteriori, neque interiori, niſi prius ſatisfacta, vel concordata parte, & ſi fuit offenſa libertas, vel immunitas eccleſiaſtica, niſi omnibus in priſtinum reſtitutis. Si tamen excommunicatus eſt paratus ſatisfacere, vel ſi tunc non poſſit, vult præſtare cautionem idoneam per pignora, vel ſi hæc non poſſit ſaltem per juramentum, debet abſolvi, licèt pars offenſa nolit acceptare ſatisfactionem. Imputari namque non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Sac. Congreg Epiſcop. in Mileteñ 4. Auguſti 1579. & in Bergomeñ 6. Decebris 1606. & in Sulmoneñ 12. Martii 1619. Maximè ſi quis fuit excommunicatus pro manifeſto exceſſu; tunc enim non debet abſolutio concedi, niſi prius Eccleſiæ ſatisfaciat. eadem S Congreg. in Bareñ 12. Iunii 1577. & in Catateñ 5. Novembris 1602.

59 Excommunicati verò ob carcerationem Clerici non debent abſolvi uſque ad integram ſatisfactionem expenſarum ſi ſunt liquidæ, licèt haberent Breve S. Pœnitentiariæ. Si verò non ſunt liquidæ, debent abſolvi cum idonea cautione alicujus perſonæ eccleſiaſticæ in forma depoſiti. eadem S. Congregatio in Teleſina 20. Februarii 1613.

60 Iudex autem laicus, vel ejus executor, excommunicatus ob carcerationem Clerici, non debet abſolvi donec illum non reſtituerit, licèt aſſerat, ſe illum Regiæ Audientię conſignaſſe, ideòque reſtituere non poſſe. Quia hæc non reputatur excuſatio legitima propter ſuſpicionem colluſionis eadem. S. Congregatio in Laquedoneñ 22. Martii 1614 Nec ſufficit, ſi reſtitutio, vel relaxatio fiat ſub fidejuſſione, ſed debet liberè dimitti, ſeu reſtitui. ead. S. Congreg. in Crotoneñ 3 Auguſti 1618.

61 Quidam tamen Gubernator, qui extractum majori Iudici conſignaverat, fuit abſolutus ad annum cum reincidentia. eadem Sacr. Congregat. in Sulmoneñ 23. Februar. 1612.

62 Non prohibetur Epiſcopus, vel alius ſuperior affigere cedulones, & punire excommunicatum, licèt fuerit in foro conſcientiæ abſolutus, vel cum Brevi S Pœnitentiariæ vel cum Bulla Cruciatæ, aut Iubilæi, vel in vim *cap. liceat ſeſſ. 24 Conc. Trid.* vel alio quocumque modo. Quia iſti duo fori ſunt ſeparati, & actum in uno non affert præjudicium in alio. Poteſt tamen Iudex eccleſiaſticus abſolutionem in foro conſcientiæ datam, etiam pro foro exteriori ratam habere, niſi hoc redundet in præjudicium partis. eadem S Congreg in Compſana 14. Iunii 1619. & in Oppideñ 8. Iunii 1621. & in Mileteñ 30. Septembris 1612.

## CONSVLTATIO LX.

*An & quibus modis pœnæ eccleſiaſticæ latæ ſententiæ ſuſpendantur? Vbi plura ex decretis Sacrarum Congregationum de appellatione à cenſuris ob violatam immunitatem, libertatem, & juriſdictionem eccleſiaſticam.*

1 PRimò per abſolutionem ad reincidentiam, quæ eſt ſuſpenſio impropriè dicta. Propriè enim eſt abſolutio abſoluta de præſenti à pœna eccleſiaſtica ſub conditione poteſtativa, æquivalenter reſolutiva, id eſt, ut ea conditione non impleta, verbi gratia, ſatisfactione aliqua non præſtita, ob novam culpam antea abſolutus reincidat in excommunicationem ſimilem virtualiter, &

æquivalenter eandem, Abb. *in cap. de cætero in fin. de ſent.excom.* Cened.*pract.quæſt.*23.*n.*4. Suar.*de cenſur.diſp.*22.*ſect.*1.*n.*62. Sanch.*in decal.lib.*2.*cap.*13.*n.*28. Coninch. *diſp.*14.*n.*217. Filiuc.*tract.*11.*n.*314. & hoc genus abſolutionis frequens eſt apud Tribunalia Romana in materia cenſurarum eccleſiaſticarum.

2 Hanc autem abſolutionem, ſeu ſuſpenſionem à cenſuris eccleſiaſticis dare poſſunt omnes, qui habent poteſtatem ordinariam illas abſolvendi. Quia ſi poſſunt liberè abſolvere, multò magis limitatè *cap.cui licet* 53.*de regul.jur.in* 6. Delegatam autem poteſtatem ordinariam habentes abſolvendi à cenſuris, ut multi privilegiati Regulares Confeſſarii approbati, ſecundùm communem ſententiam non poſſunt abſolvere ad reincidentiam modo predicto; quia carent juriſdictione ad talem ſententiam, ſeu cenſuram reproducendam, Cened. *loc. cit. n.*4. Henriq *lib.*13.*c.*20.*n.*1. Navar.*cap.*27.*n.*14. Reginald. *n.*54 *cap.*3. Rodriq.*in ſum.tom.*5.*cap.*84.*n.*3. Gutier.*alleg.*9. *per tot.* & alii, quamvis Suarez, & alii multi contrarium teneant *diſp.*7 *ſect.*8.*n.*24.*de cenſur.* Certè in multis caſibus à jure expreſſis Confeſſarii ita poſſunt, ac debent ad reincidentiam abſolvere, ut à reſervatis cenſuris in articulo mortis, ſi promptè, ſeu commodè haberi non poſſit alius, qui poſſit abſolvere à dictis reſervatis extra mortis articulum, ex Trident. *ſeſſ.* 14. *de pœnit. cap.*7. Suar.*de pœnit.diſp.*26.*ſect.*4.*num.*3. Regul.*in decal. lib.*2. *cap.*13.*numer.*1. Barboſ.*alleg.*25.*numer.* 50. Dian. *p.*2. *tr.*4. *reſol.*57. & 71. aliiſque apud eos, apud quos videri poterit plenior hujus rei explicatio.

3 Secundo modo propriè ſuſpenduntur cenſuræ, ſeu pœnæ eccleſiaſticæ, quando abſolvuntur ad certum actum, vel ad certum tempus, ut deinde ſtatim reincidat reus in eandem numero cenſuram, ſeu pœnam, etiam ſine nova culpa, Abb.*in cap. Ad hæc* 37.*de appell. nu.*4. Ciardin.*ibi*, Dec.*conſ.*145.*n.*1. & 3 Genuenſ.*in prax. cap.*22.*n.*5. Suar.*de cenſur.diſp.*7. *ſect.*8. *nu.*19. cum binis *ſeqq.* Quia cùm cenſura, & quælibet pœna latæ ſententiæ non habeat eſſe, niſi morale. poteſt eadem numero reproduci, ſeu reſultare ex eadem cauſa, ſeu canone Suar.*nu.*21. *loc. alleg.* Talis igitur eſt abſolutio quam apponit Papa in ſuis literis ad illarum effectum abſolvens, talis eſt abſolutio, quæ datur nominatim excommunicatis in ſacra Pœnitentiaria per octo dies ad effectum conſequendi Indulgetias Vrbis.

4 Hujuſmodi porrò abſolutionem, ſeu ſuſpenſionem ſecundùm multorum Doctorum ſententiam ſolus Papa vel cui Papa commiſerit, concedere poteſt; quia habet vim diſpenſationis ſuper jure communi, aliquo modo alterando naturam cenſuræ. Ita Franch. *in c.*1.*n.*19. *de reſcript.in* 6. ibique Gemin *n.*14. Io. Andr. *in d.cap.ad hæc*, & ibi Cardin.*col.vult* Abb.*n.iu fin.* Genuenſ.*loc.cit. n.*5. & Suar.*diſp.*6.*ſect.*4.*n.*7. & hæc eſt magis communis; qnamvis contraria ſit probabilis multorum, quod Epiſcopus (non tamen inferior Prælatus) poſſit abſolvere modo prædicto ad certum actum, verbi gratia, conferendo beneficium excommunicato, vel ſuſpenſo, ſi talis ſit cenſura, à qua ipſe poſſit abſolvere ordinaria poteſtate, ut Navar. *in cap. Ita quorumdam n.*11. & 18. *de Iudæis* Cuch.*inſtit.lib.*4.*tit.*1.*n.*189. Vgolin. *tabul.*1.*de cenſur.cap.*4.§.5.*n.*18 Avil.*p.*2.*cap.*6.*diſp.*5.*dub.*2.*concl.*4. & Garz.*de benef.p.*7.*c.*13.*n.*68.

5 Pro quo advertendum primò, quod abſolutio prædicta, quam Papa apponit in ſuis literis, non ſuffragatur quibuſdam inſordeſcentibus in cenſuris, de quibus alibi diximus. Item non ſuffragatur irregularibus, quia non ſuſpendit irregularitatem, Garz. *d.p.*7. *cap.*11. *numer.*11. *num.*56. Item non prodeſt quoad effectum literatum mediatum, ſed immediatum; ſiquidem ſolùm juvat ad validitatem illarum literarum. Vnde, ſi ſint in forma commiſſaria, non poterit cenſura ligatus obtinere expeditionem à Commiſſario, niſi prius obtinuerit abſolutionem liberam à cenſura. Item ſi quis excommunicatus vel ſuſpenſus obtinuit Breve extra tempora, validum eſt, ſed non poterit promoveri ante abſolutionem propriè dictam, ut Garz. *loc.cit.* Et denique clauſula ordinaria, quę in Brevibus apponitur, videlicet: *à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris &c. ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes &c.* non importat abſolutionem ab hæreſi, ut declaravit S. Congregatio S. Officii 25. Novembris 1623.

Tertius modus ſuſpendendi pœnas latæ ſententiæ eſt 6
per prorogationem factam à creditore, ſeu parte, termini à lege, ſeu Iudice aſſignati ad ſatisfaciendum eidem parti læſæ, in cujus favorem pœna lata eſt ipſo facto incurrenda per terminum. Quia in re tres ſunt ſententiæ.

Prima aſſerit per talem prorogationem, à ſola parte 7
factam, etiam ſine authoritate Iudicis ſuſpendi pœnam, verbi gratia, excommunicationem, ut non incurratur in termino illo legali, ſeu judiciali, ſed in termino prorogato, ſeu conventionali, ſi in eo non fuerit ſatisfactum. Quia ſicut poteſt creditor in totum tollere obligationem, & pœnam, ſic poteſt differre. Et quia prorogatio fit cum omnibus circumſtantiis, & acceſſoriis. Et quia ea ſuſpenſio eſt ſecundùm mentem legis, vel Iudicis. Hanc ſententiam tenet Innoc.*in cap.prætereà* 2.*in fin.de appell.* Butr.*ibi*, & Abb.*num.*4. qui ait, eſſe veriſſimam, & Cardin. *in Clem.*1.§.*nos itaque q.*5.*n.*18.*de jurejur.* Dec.*in d.c.prætereà n.*7. ubi ait, eſſe magis communem, Odo de Sencñ *tit.de itin.actuque priv.* Angel. *v.excommunicatio* 2. *nu.*2. Felin.*in cap.*1.*n.*5. *de jurejur.* Suar. *de cenſur. diſp.*3.*ſect.*6. *nu.*8. & 9. Filiuc.*tr.*11.*nu.*81. Bonac.*de cenſur.diſp.*1.*qu.*2. *pag.*4.*n.*1. Coninch.*de cenſur.diſp.*14.*q.*99. Galleſ.*tr.de form.oblig.Camer.*§ *ſecunda conſideratio n.*19. & 21. Capella Tholoſ.*dec.*73. Bartol.*in l.*1.§.& *poſt operis, ff de nov.op.nunc.n.*6. Alex.*ibi n.*14. Imol.*in d.cap.prætereà nu.*8.*in fin.* Bald.*in l.*1.*q.*10.*C.de his, quæ pœn.nom.* ubi exemplum de pœna teſtamentaria.

Secunda ſententia ait prorogationem illam tollere in 8
totum pœnam, ſi ſine conſenſu ferentis fiat prorogatio, ut non incurrat debitor in termino legali, ſeu judiciali. Quia creditor ceſſit juri ſuo. Sed non in termino conventionali, ſeu prorogato: quia non habuit pars juriſdictionem differendi pœnam in illud tempus. Ita Sanch *in decal.lob.*4.*cap.*55.*n.*5. & 6. Anchar.*in cap. quicumque n.*3. *de ſent.excom.in* 6.

Tertia ſenrentia aſſerit, nullius momenti eſſe proro- 9
gationem factam à parte ſola ſine conſenſu judicis, ſeu Superioris, qui talem ſententiam tulit. Quia ea pœna non pendet à voluntate partis, ſed à ſententia ferentis, cujus volunras non eſt retractata: & ſecus eſſet in pœna conventionali, quæ pendet ex partium voluntate. Ideò dicunt, debitorem nihilominus incurrere in pœnam in termino à lege ſeu à Iudice aſſignato. Si autem fiat prorogatio cum conſenſu Superioris prædicti, validam eſſe ad ſuſpendendam & differendam pœnæ commiſſionem in terminum prorogatum. Hujus ſententiæ eſt Hoſt. *in d.cap. prætereà*, ibique Henriq. Boich.*à num.*10. qui ait, hanc tutiorem, Io.Andr. & Io.Monach quos allegat, & ſequitur Rebuf. *in concord. tit.de prorog. dilat.v. ideò ſi præcipiatur*, Vgolin.*de cenſur.tab.*1.*cap.*20.§.*ult. n.*5. Silveſt.*ut excommunicatio* 2.*n.*1.*caſ.*13. Sayr. *lib.*1.*cap.*11.*nu.*20. Cenedo *q.*23.*n.*5. & communem ait Cardinal.*loc. cit.* & tenet Bertach.*v. prorogatio nu.*9. ac Præpoſ.*in d.c. prætereà num.*12.

Prima ergo ſententia eſt magis communis; ſed tertia 10
eſt probabilior, ſi loquamur de pœna latæ ſententiæ à jure, quia neque eam Iudex differre poteſt, nec minuere, etiamſi requirat declaratoriam Iudicis, vel executoriam. Nam ex quo Iudex declaravit crimen commiſſum, pœna illa adſtringit independenter à ſententia Iudicis, neque poteſt ipſe gratiam facere ſuper pœna ipſo jure commiſſa ſed Princeps, ut per Bald *in l.*7.8.*C.de probat.* Molin. *tract.*4. *diſput.*9. *numer.*20. cum Gregor. Lopez, & veriorem, ac praxi receptam ait Suar. *de legib.lib.*5.*cap* 12. *n.*10.

*n.* 10. quamvis contrarium alii teneant, ſcilicet, quod ſi pœna indigeat declaratoria, vel executoria, poſſit Iudex illam minuere indirectè, vel utiliter, hoc eſt, attemperando declarationem, ſeu executionem propter ignorantiam, vel aliam ſimilem cauſam minuentem culpam, & hanc tenent Abb. *in cap. ſacris num.* 10. *de his, quæ vi*, Salas *de legib. diſp.* 5. *ſect.* 9. *num.* 11. & Tiraquel. *in proœm. de mitig. pœn. num.* 24. Illud verum eſt in uno caſu, quia Iudex poteſt ſaltem indirectè remittere pœnam infamiæ juris, quando conſurgit ex condemnatione in cauſa famoſa. Immò neque commutare, ut Bart. *in l. quid ergo, §. pœna gravior, ff. de his, qui not. infam.* Tiraquel. *in l. ſi unqaam, v. revertatur, nu.* 433. multò minus partium voluntate differri, ſed per ſubtractionem materiæ, ſcilicet liberatione totali, ſeu acceptilatione poteſt in totum remitti.

11 Fallit tamen, quando pœna latæ ſententiæ, etiam à jure indiget ad hoc, ut committatur, declaratione partis, ſeu creditoris, ad cujus favorem fertur; quia tunc dilatio ſuſpendit pœnæ commiſſionem, ac differt, & admittitur purgatio moræ, Tiraquel. *loc. cit. num.* 511. Gemin *in c. licet canon, §. is etiam, num.* 3. *in fin. de elect. in* 6. Exemplum habes in penſione, in qua licèt ex vi verborum incurri videatur, ſtatim atque fuerit mora commiſſa, ipſo facto excommunicationis, & privationis pœna, tamen ex ſtylo Curiæ non incurritur, donec penſionarius declaraverit, velle illum incurrere, ut per Garz. *de benef. p.* 1. *cap.* 5. *nu.* 181 Gonzal. *gloſ.* 56. *num.* 54. & Caſtropal. *tom.* 2. *de relig. tr.* 13. *diſt.* 1. *pun.* 7. *num.* 1. & hæc declaratio debet eſſe judicialiter facta, ſolemniter debitori notificata à Iudice procedente. Neque ſufficit, ſi declaretur à procuratore penſionarii, ſi non habeat ſpeciale mandatum, Garz. & Caſtropal. *ibid.* neque fieri poteſt hæc declaratio ab hærede penſionarii, ut iidem docent. Simile eſt de caducitate emphyteuſis canonem non ſolutum, ut Clar. *§. emphyteuſis q.* 9.

12 Quarto modo ſuſpenditur interdum cenſura aliave pœna eccleſiaſtica per appellationem. Et quidem regula eſt in jure, quod cenſuræ, ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum non ſuſpenduntur per appellationem, *cap. paſtoralis, §. verum, cap. is, cui, cap. ad hæc, de appell* de quo latè Genuen. *in prax. cap.* 22. *à num.* 2. Sanch. *opuſc. lib.* 3. *cap. un. dub.* 32. *num.* 240 *&* 286. Felin. *in cap. Rodulphus n.* 43. *de reſer.* A pœna enim latæ ſententiæ ex ipſo jure, in quam dicitur quis incurriſſe, non dicitur appellatio, *l. ſi qua pœna, ff. de verb. ſignific. cap. quia nos, de appell.* Gloſſ. *in cap. cupientes, §. quid ſi, v. privatos, de elect. in* 6. Felin. *loc. cit.* & Canoniſtæ *in d. cap. quia nos*, atque alii. Tamen à declaratoria cenſuræ, & alterius latæ ſententiæ ex ipſo jure commiſſæ admittitur appellatio, dummodò verè non ſit notorium pœnam commiſſam, Gloſ. *in d. cap. capientes*, Felin ubi ſupra cum aliis per eum allegatis, & de communi teſtatur Genuenſ. eo loco *nu.* 1. *&* 2 ac Sanch. *loc. alleg. nu.* 243. Et per talem appellationem ſuſpenditur non ipſa pœna, ſed declaratoria, ut interim habeatur pro non declarato, ut Genuenſ. & Sanch *ibidem* cum allegatis per eos. Vnde ſequitur, quod interim non poterit denunciari, & ſic ſi cedulones affixi ſint, erunt removendi ut Sanch. *loc. cit.* qui plurimos allegat, & Genuenſ. *num.* 1. *&* 2. Item ſequitur, quod poſt talem appellationem, ea pendente, non erit neceſſariò vitandus, ut Felin, *loc. cit.* licèt Navar. & Henriq. quos ſequitur Sanchez *dub.* 33. *in fin.* Avil. *pag.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 11. *concluſ.* 5. Gutier. *pract. quæſt. lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 2. contrarium ſentiant. Item ſequitur, quod ſi reus ſit in mala fide, & ſciat ſe incurriſſe in cenſuram, ſeu pœnam, non relevabitur pro foro conſcientiæ per hanc appellationem, ut Genuenſ. *num.* 2. Si autem probabili ignorantia exiſtimavit ſe non incurriſſe in cenſuram, ſeu pœnam confiſuſque de juſtitia ſuæ appellationis, ſe ingeſſit divinis, & celebravit, non fit irregularis, etiamſi poſteà declaretur malè appellatum, Felin. *ibidem*, & alii communiter, quos ſequitur Sanch. *dub.* 32. *num.* 344. Verùm eſt, quod ſi declaretur malè appellatum, acta contra jus cenſuræ, ſeu pœnæ commiſſæ, pendente appellatione, geſta, ſi proceſſerunt ex privata poteſtate, ſeu ex privato officio, ſunt nulla, & retrotrahitur effectus ſententiæ Iudicis ad quem, verbi gratia, electio, vel acceptatio beneficii erit nulla: geſta autem ex vi publicæ poteſtatis, ſeu juriſdictionis externi, vel interni fori erunt nihilominus valida, Felin. *loc. cit.* cum Innoc. & Abb. & aliis multis Doctoribus, ut collatio beneficii &c.

Et quoniam ad hoc ventum eſt, non abs re fuerit ſub- 13
texere, quæ præcipuè Sac. Congregatione Immunitatis in hanc rem decreta ſunt.

Appellatio regulariter non datur, niſi quando conſtat 14
de injuſtitia. Theatina 31. Auguſti 1626.

Vt evitetur occaſio recurrendi ad Monarchiam, com- 15
mittitur Archiepiſcopis Siciliæ, ut procedant in cauſis appellationum in Panormitana.

Appellatio non recipitur contra verum contumacem, 16
Romana 2. Octobris 1600.

Appellatio non admittitur in cauſa violatæ immuni- 17
tatis eccleſiaſticæ. Roſſaneñ 8 Aprilis 1642.

Appellatio non datur à declaratione Epiſcopi, an quis 18
gaudere debeat immunitate eccleſiaſtica. Niciеñ 12. Ianuarii. & Vercelleñ 13. Auguſti 1649.

Appellatio in Bulla Gregoriana intelligitur indiſtin- 19
ctè prohibita. Cephalædeñ.

Nullum Tribunal Romanę Curię poteſt impedire, aut 20
retardare executionem decretorum, ac reſolutionum S. Congregationis Immunitatis, quæ in materia libertatis, immunitatis, & juriſdictionis eccleſiaſticæ repræſentat immediatè ſuam Sanctitatem, ita ut etiam Auditor Sanctiſſimi juxtà praxim, cauſas vel reſolutas, vel pendentes in eadem S. Congregatione ſimpliciter remittere debeat ad eandem S. Congregat, ut in Maceratеñ 9. Iulii 1670.

Adiicimus reſolutiones aliarum Sacrarum Congrega- 21
tionum ad eandem materiam ſpectantes.

Appellatio interpoſita ſuper condemnatione ad triremes habet effectum ſuſpenſivum. S. Congregatio Epiſcop. in Averſana 22. Ianuarii 1591. non obſtante quod præ timore majorum gravaminum condemnati gratiam petierint à Iudice primæ inſtantiæ, eadem S. Congregatio in Maſſalubreñ 17. Septembris 1655.

Appellatio non eſt admittenda à comminatione Epiſ- 22
copi facta contra incurrentes excommunicationem, & alias cenſuras eccleſiaſticas à jure latas, ad dicendum cauſam, quare non debeant declarari incidiſſe. Secus ſi comminatio fiat contra alios delinquentes ad effectum illos excommunicandi ob aliquod delictum, vel crimen ſub excommunicationis ab homine latæ pœna. S. Congregatio Concilii in Tropieñ 7. Martii 1619.

Appellationis cauſa dum pendet, appellans in eodem, 23
quo reperitur carcere permanebit, quoadùſque Iudex, ad quem appellatum eſt, viſis actis, & cauſa cognita, aliter decreverit: & tunc ſi à Iudicis, ad quem decreto, vim diffinitivæ habente, fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attentare poteſt, donec per Iudicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum. S. Congregatio Concilii 13. Octobris 1600.

Quando Epiſcopus eſt in quaſi poſſeſſione ex alia ra- 24
tione, quàm feudi cognoſcendi cauſas civiles, vel mixtas, vel etiam criminales aliquorum laicorum, vel omnium, ut in locis, ubi tribunalia ſunt communia, appellationes à ſententia Epiſcopi deferantur ad tribunalia ſuperiora eccleſiaſtica, non laica. Sac Congreg. Epiſcop. in Salernitana 23. Novembris 1615. Multò magis ubi adeſt conſuetudo, ut omnes cauſæ tam activæ, quàm paſſivæ Eccleſiaſticorum, Monaſteriorum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum cognoſcantur tantùm in foro eccleſiaſtico. Sac. Congregat. Epiſcop. 13. Februarii 1596.

Appellatio per Conſtitutionem Gregorii XIV. de vio- 25
latione immunitatis eccleſiaſticæ prohibita reo à ſenten-

tia de tradendo illum Curiæ ſæculari, denegata cenſetur etiam Fiſco, vel actori, ſi Epiſcopus pronunciet, reum Eccleſiæ reſtituendum eſſe. Sac Congreg. immunitatis 6. Iunii 1629. & 1643.

26 Appellatio à declaratoria cenſurarum in materia violatæ libertatis, vel immunitatis eccleſiaſticæ non admittitur, niſi prius Eccleſia quoad Epiſcopum fuerit in integrum reſtituta. Sac Congregatio Epiſcoporum in Neapolitana 11. Octobris 1617. & in Liparen̄ 4. Iulii 1620. & in Rhegien̄ 28. Iulii eiuſdem anni, & in Siracuſana 19 Iulii 1622.

27 Licet à comminatione cenſuræ detur appellatio, S. Congreg. Epiſcop. in Campanien̄ 5. Iulii 1619. Non tamen datur à comminatione declaratoriæ in materia Immunitatis S Congreg. Concilii in Salernitana, & in Tropien. 16. Martii 1615. niſi Eccleſia fuerit prius redintegrata, ut ſupra.

28 Die 4. & 11. Auguſti 1626. habita fuit Congregatio à Sanctiſs. D N. ſpeciatim deputata ſuper abuſibus Tribunali Auditoris, Cameræ, & in aliis Tribunalibus Curiæ Romanæ poſſint concedi inhibitiones, ſeu monitoria cum abſolutione, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam excommunicatis per Epiſcopos, vel alios Ordinarios ex cauſa violatæ juriſdictionis, immunitatis, vel libertatis eccleſiaſticæ appellantibus, vel aliàs recurrentibus ad ſupradicta Tribunalia?

Secundò, an in cauſis, quæ agitantur in ſupradictis Tribunalibus Curiæ Romanæ poſſint recurſus haberi ad S. Congregationem ſuper immunitate, & controverſiis juriſdictionalibus ſuper reſolutione, vel declaratione, an ſit vel non ſit commiſſa violatio juriſdictionis, immunitatis, vel libertatis eccleſiaſticæ, & non ſit locus redintegrationi hujuſmodi violationis, & interim debeant dicta Tribunalia ſuperſedere uſque ad reſolutionem, ſeu declarationem ejuſdem S. Congregationis, illamque ſequi, & exequi?

29 Quæ Sac. Congregatio dubiis ſupradictis maturè diſcuſſis, ac rationibus hinc inde deductis diligenter ponderatis, unanimi conſenſu cenſuit quoad primum, Tribunal Auditoris Cameræ, necnon alia Tribunalia ſupradicta, non poſſe hujuſmodi abſolutiones concedere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam.

30 Quod verò ad ſecundum, licere partibus ad dictam Congregationem, ut ſupra recurrere, & interim ſupradicta Tribunalia debere reſolutionem, ſeu declarationem expectare, & illam omninò ſequi, & exequi.

31 Sanctiſſimus approbavit die 5. Septembris 1626. & expreſſo juſſu Sanctitatis ſuæ notificatum fuit omnibus Iudicibus Curiæ Romanæ pro illorum obſervantia.

32 Ac inſuper de hujuſmodi appellationibus, & inhibitionibus dictum fuit in Congregatione habita die 27. Auguſti 1650. Auditorem Cameræ poſſe quidem concedere monitoria, & inhibitiones iis, qui ab Epiſcopis, vel ab aliis Ordinariis declarati fuerunt excommunicati ob violatam juriſdictionem, immunitatem, vel libertatem eccleſiaſticam, & ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, cùm ab hujuſmodi declaratione, niſi exceſſus ſit notorius, detur appellatio ad utrumque effectum, & Auditor Cameræ ſit Iudex ordinarius quarumcumque appellationum, quæ à ſententiis per Ordinarios locorum, etiam extra ſtatum eccleſiaſticum ad eamdem Sedem interponuntur, ſed non poſſe eos abſolvere etiam cum reincidentia, vel ad cautelam, obſtante decreto hac de re edito, & ab Vrbano VIII. confirmato, quod S Congregatio ſervari mandavit.

33 Idem Summus Pontifex Vrbanus menſe Septembris 1626. audita ſententia Sac Congregationis ſuper controverſiis juriſdictionalibus, juſſit, per Gubernatorem Vrbis non procedi ad cognitionem cauſarum, in quibus adſit violatio Immunitatis, & juriſdictionis eccleſiaſticæ, nec ad extractionem à locis immunibus abſque ſpeciali licentia ſuæ Sanctitatis, quæ licentia ſemper in principio proceſſuum inſeratur.

## CONSVLTATIO LXI.

*An Equites Portugalliæ priventur privilegio fori, & immunitatis à vectigalibus, ſi bigamiam contraxerint?*

CEnſeo non privari. Etenim quod iſti Equites con- 1
numerentur inter perſonas eccleſiaſticas, & ſic gaudeant privilegio fori, & immunitatis, quemadmodum gaudent aliæ Militiæ, conſtat ex Conſtitutione 32. Gregorii XIII. & tradit Mandoſ. *ad regul. Cancell.* 16. *q.* 51. *n.* 2. *&* 4. Garz. *de benefic. p.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. *& ſeqq.* ubi quod quamvis ex habitu videantur laici, nihilominus ſunt verè perſonæ eccleſiaſticæ, & *num.* 13. & quod non per extenſionem, ſed quia verè tales ſunt, atque adeò quod gaudeant iiſdem privilegiis, & immunitatibus non ambigitur tum ex Conſtitutionibus Pontificum relatis per collectores Bullarum in *Conſtit.* 1. Adriani IV. *in pag.* 1. *Bullarii*, & ex Diana *p.* 2. *tr.* 1. *reſol.* 61 Tum quia ita reſpondit S. Congregatio Immunitatis tam reſpectu fori, quàm immunitatis eccleſiaſticæ in una Tudertina 12. Novemb. 1647. & cùm iſti Equites militent ſub regula S. Auguſtini, quæ eſt ex Mendicantibus, eximuntur etiam ab omnibus pedagiis, ut latè per Confect. *de privil* & Mandoſ. *in Conſtit.* 2. Pii V.

Non obſtat, quod ſint bigami, in quibus Conſti- 2
tutiones non loquuntur, & ſic neque gaudeant privilegiis. Nam ſatis eſt, quod ex dicta qualitate, ſeu bigamia privilegia non limitentur, neque tollantur: & ſic cùm dicta privilegia concedantur Militi, eo ipſo quod potuit eſſe, atque actu eſt miles, per conſequens gaudebit privilegiis omnibus quibus gaudent alii milites, ſicuti eo ipſo quo quis efficitur Clericus, conſequitur omnia privilegia, quæ competunt Clerico, aliàs ſepararetur qualitas à ſubjecto & accidens à ſubſtantia, ut per Neviz. *conſ.* 87. *num.* 14. & Gratian. *cap.* 418. *n.* 12. *& cap.* 460. *num.* 26.

Præterea omnis exceptio bigamiæ tollitur per ſuſcep- 3
tionem habitus religioſi, per quem recuperantur privilegia eccleſiaſtica ratione privilegii Religionibus conceſſi, ut per Io. à Capeſtr. *de auth. Pap.* 5. *ſecundæ par. princ. num.* 13. *in tract. diverſ. tom* 2. *p.* 1. *num.* 55. Siquidem cùm ſit impedimentum à jure poſitivo inductum, poteſt Pontifex illud mutare, ac tollere. In hujuſmodi autem militibus in locum voti perfectæ caſtitatis conjugalis, ut ex eorum privilegiis, quæ non diſtinguunt magis de uno, quàm de pluribus conjugiis. Vnde iſta commutatio non immutat primævum ordinem, neque illum reponit in ſtatu diverſo, Rot. *dec.* 226. *num.* 6. *p.* 2. *div* atque adeò nihil detractum eſt de eſſentia, & ſic de privilegiis, huic militiæ competentibus.

Comprobatur ex eo, quod cùm ab Eccleſia & Ponti- 4
ficibus nihil aliud in his Equitibus fuerit contemplatum, quàm armorum tractatio, ac defenſio fidei, cumque illis iſta cauſa finalis non impediatur, neque limitetur ex quo miles duxerit viduam potiùs, quàm virginem, non debet utique impediri effectus inde contemplatus; & ideò, cùm non deficiat ipſa cauſa efficiens, quæ dicitur principium potentiſſimum ad ipſius actus productionem, Mantic *de tacit. lib.* 3. *tit.* 12. *nu.* 19. durante cauſa per Pontifices contemplata, & ob contractam bigamiam non immutata, neque reſtricta, debet etiam durare privilegium. Tiraquel. *in tract. ceſſante cauſa nu.* 17. Ita quoque privilegium conceſſum Clerico, vel Monacho non amittitur ne ob contractam quidem bigamiam, præſertim in Regularibus, ut diſtinguit Bertachin. *v. bigamus.* Quod, quicquid ſit in Clerico, de quo aliàs, abſolutè id procedit in Regularibus, quales ſunt iſti Milites, Add. ad Buratt. *deciſ.* 741. *n.* 22. *& ſeqq.*

## CONSULTATIO LXII.

*De pœnis contra capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter*

*hoſtiliter inſequentes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vel Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas &c. ubi quæ ratio potiſſimum ineunda ſit, qua captis, carceratis, ac detentis auxilium feratur?*

1 PRima excommunicatio incurritur per manus injectionem in eorum perſonam, ex *cap.ſi quis ſuadente 17. q.4.* quæ eſt Papæ reſervata.

2 Secunda etiam excommunicatio Papæ reſervata, & pœnæ latæ ſunt in *Clem.1.de pœn.* contra percutientem, capientem, bannientem Epiſcopum conſecratum, & contra cooperantes, & contra filios taliter delinquentium, & interdictum contra loca. Quæ ſimiliter, & à fortiori procedunt, quando tales actiones contra Romanum Epiſcopum, quod abſit, exercerentur.

3 Tertia, in *cap.felicis, de pœnis in 6.* lata eſt primùm excommunicatio contra eum, qui Cardinalem, & à fortiori, ſi Papam fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, vel ceperit, vel ſocius fuerit facientis aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, vel favorem, aut poſteà receptaverit, vel defenſaverit ſcienter eundem, & quamdiu in ſua contumacia perduraverint, ſingulis Dominicis, & feſtis, pulſatis campanis, & candelis accenſis per omnes illius loci Eccleſias, in quo tantùm facinus fuerit attentatum, & Civitatum & Diœceſum vicinarum, ſunt excommunicati publicè denunciandi, & abſolutio Papæ reſervatur. Secundò lata eſt ibidem tamquam contra reos læſæ majeſtatis pœna infamiæ juris, & conſequenter etiam irregularitatis. Tertiò pœna lata eſt perpetuæ diffidationis, & banni. Quartò, ut ſint inteſtabiles, ut nec liberam habeant teſtamenti factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocentur. Quintò, domus diruenda in perpetuum. Sextò, nullus eis debita reddere, nullus reſpondere eis in judicio tenetur, ſed poſt abſolutionem à cenſura poterunt ſuam, & ſuorum injuriam in judiciis proſequi, & repetere credita poſt abſolutionem quæſita. Septimò, bona ipſorum ſunt ipſo jure publicata. Octavò, ſunt ipſo jure privati feudis, locationibus, & beneficiis ſpiritualibus, & temporalibus, quæ ab Eccleſiis obtinent, & ad eaſdem Eccleſias liberè revertuntur. Nonò, ut cùm fuerint abſolvendi ab excommunicatione prædicta, idoneè caveant, quod injunctæ pœnæ, ſeu pœnitentiæ parebunt, & debent eam pœnitentiam facere, ut per omnes Eccleſias principales illius loci, vicinorumque locorum diebus Dominicis, & ſolemnibus incedant nudi coram populo, femoralia tantùm habentes, & ferulas deferentes in manibus, cum quibus per eaſdem Eccleſias publicè fuſtigentur, ituri poſteà ultra mare, acturi pœnitentiam ad minus per tres annos, nec inde receſſuri ſine licentia Papæ ſpeciali. Decimò, filii, & nepotes per lineam rectam ipſius virilem deſcendentes ſunt ipſo jure privati omni beneficio eccleſiaſtico, & infamia juris affecti, & inhabiles ad publica officia, & teſtimonium ferendum in judicio, & ad omnes actus legitimos, & irregulares, ut promoveri ad Ordines nequeant, aut ad beneficia, aut officia eccleſiaſtica, omni ſpe diſpenſationis adempta. Immò ſunt etiam irregulares, ut non poſſint miniſtrare in ſuſceptis, ut per Gig. *de crim.læſ.majeſt.titul.de pœn.fil. quæſt.* 12. Vndecimò, Civitas quælibet, præter Vrbem Romam, quæ prædicta facientibus conſilium, vel auxilium dederit, vel favorem, vel infra menſem taliter delinquentes, prout potuerit, non duxerit puniendos, Pontificali, ſeu Epiſcopali eſt eo ipſo dignitate privata, & nihilominus remanet interdicta. Duodecimò, ſi Princeps, Senator, Conſul, Poteſtas, vel alius Dominus, ſive Rector contra præſumptores prædictos præſentis Conſtitutionis tenorem non fecerit obſervari, tam ipſe, quàm officiales ipſius infra menſem poſtquàm res ad notitiam eorum pervenerit, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrunt; ſed non eſt reſervata.

Circa quam Conſtitutionem notandum primò, quod in conſcientia pœna infamiæ non ligat ante declaratoriam ſententiam, aut confeſſionem judicialem, ut per Farinac. *q.*116.*num.*4 *&* 5.*ac q.*112.*n.*120. Secundò, quòd licèt iſte bannitus, & proſcriptus ipſo jure habeatur, & bannitus ob crimen læſæ Majeſtatis poſſit impunè occidi, ut hoſtis publicus, *l.*3.*§.fin ff.ad leg. Cornel. de ſic.* Farinac. *q.*103.*n.*13.*& q.*116.*num.*17. Id tamen intelligendum eſt, procedere quando eſt in actu, & exercitio rebellionis, vel lata ſententia declaratoria banni ex hoc capite, ut per Clar. *§.læſæ majeſtatis crimen, verſ.pœn.* & Farinac. *conſ.crim.*113. Tertiò, quod aliæ pœnæ privationum jurium, & actionum, ac confiſcationum bonorum ſecundùm probabiliorem requirunt ſententiam declaratoriam, ut per Sanch. *in decal.lib.*2.*cap.*22.*num.*3. Suar. *de fid.diſp.*21.*ſect.*21.*n.*20. & Farinac *q.*116.*§.*1.*n.*15. Similiter pœna, quod ſit inteſtabilis, non ligat ante declaratoriam, unde poterit capere legata, & hæreditates, ut per Leſſ. *lib.* 2. *cap.*19.*n.*25.*de juſt.* Sanch. *loc.cit.cap.*14.*num.*31. Quartò quod pœna irregularitatis tam ipſius rei, quàm filiorum, ligat ipſo facto ante declaratoriam. Quia infertur per ſe, & non pendet ex infamia, ut per Sanch eo loco *cap.*27. *n.* 28. Quod intelligendum eſt, dummodò crimen ſit notorium. Quintò, quod cenſura interdicti non ligat ante denunciationem nominatim factam de tali loco, Suar. *de cenſur.diſp.*37 *ſect.*2. *n.*5. Coninch *eod.tract.diſp.*17.*dub.*5. *in fine.* Sextò, quod pœna privationis Sedis Epiſcopalis non ligat ante declaratoriam cùm ſit dejectio de proprio ſtatu, & jure acquiſito, ac poſſeſſo. Septimò, quod prædictæ pœnæ procedunt, ſi quis Cardinalem percutiat, vel occidat juſtæ defenſionis cauſa per ea, quæ tradit Cherubin. *in compend.ſuper Bul.*93. *Pii V.ſchol.*2. Octavò, quod pœnæ omnes in jure latæ in dicto *cap. fœlicis, de pœn.* contra offendentem Cardinales, procedunt contra offendentem Romanum Pontificem, ut docent Afflict *tit.quæ ſint. regaliæ, v. & bona committentium num.*19. Farin. *in prax.quæſt.*116.*§.*1.*num.*4. *&* 28. Boſſ. *tit.de crim.læſ.majeſt.num.*60. Sanch. *in decal.lib.*2.*cap.*28. *num.*20. ubi alii plures.

Ex Bulla citata Pii V. quæ incipit, *Infelicis*, excommunicatio, & pœnæ latæ in dicto *cap.felicis* cum eadem reſervatione, ſunt extenſæ contra non revelantes quamprimum ſciverint, vel conjecerint factum, vel faciendum aliquid ex prædictis, & debet denunciatio fieri Papæ, ſi in Curia fiat delictum, aliàs fiat Ordinario loci; & mandatur Epiſcopis, ut ſtatim id Papæ denuncient, non tamen ſub eiſdem pœnis. Item ſi Ordinarius ipſe ſit Cardinalis, tunc viciniori Epiſcopo. Quod ſi crimen nondum ſit commiſſum, etiam ipſi Cardinali debet fieri revelatio. Et procedit quantumvis occultum ſit crimen. Circa quod notandum, quoad non revelantes admitti purgationem moræ ex allegata Bulla Pii V. ubi ſi ad ſanitatem reverſi crimen adhuc occultum detexerint, omni noxa penitus liberentur, unde poterunt abſolvi ab excommunicatione incurſa, & ceſſabit reſervatio eo ipſo propter particulam, *penitus*, ut per Tiraquel. in *l.ſi unquam, v. revertatur, n.*105. 5

Quarta excommunicatio eſt latæ ſententiæ *in cap.*11. *Bullæ* in Cœna Domini, Papæ reſervata contra omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter perſequentes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vel Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, aut eos à ſuis Diœceſibus, terris, ſeu dominiis eiicientes, & contra talia mandantes, rata habentes, vel præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem. 6

In hoc quoque notandum primò eſt, quod Princeps ſi bannierit è Regno ſuo Epiſcopum, non habentem in eo Regno diœceſim, neque dominium ullum, neque jus legationis, ſeu nunciaturæ officium, non incurrit in hanc cenſuram, ut per Navarr. *cap.*27. *num.*67. Vgolin. *in d. cap.*11.*Bull.§.*1.*n.*4. & Duard *eod.loc.qu.*7.*n.*6. Occidens verò Nuncios, ſeu Legatos Papæ, vel alterius Principis, incurrit 7

incurrit crimen læſæ majeſtatis. Vnde damnatus eſt infamis & irregularis. Quàm concluſionem declara cum Farinac.*q.*112 *à n.* 160.

8 Secundò notandum eſt, ſub hac Bullæ voce, *Omnes*, comprehendi omnes Chriſtianos, excepto Summo Pontifice, *arg l. Iulianus, ff. de leg.* 3. *& c. ſi Romanorum*, §. *dicendo*, 19. *d.* tam mares ſcilicet, quàm fœminas, tam laicos, quàm Clericos; tam privatas perſonas, quàm in dignitate quamvis ſæculari, vel eccleſiaſtica conſtitutas, ex quibus eæ etiam, quæ privilegio gaudent ne excommunicari poſſint. Habetur ſiquidem in his literis §. *non obſtantibus*, tale privilegium hic non prodeſſe, ibi: *Etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint*, ubi Vgolinus, & cæteri communiter, præſertim Alter. *tom.* 1. *de cenſur. lib.* 5. *diſp.* 12. *c.* 1. *col.* 1. *&* 2. Duard. *com. ad d. Bull. lib.* 2. *can.* 9. *q.* 22. & Bon. *de cenſur. in part. diſp.* 1. *q.* 12. *pun.* 3. *n.* 1.

9 Nec in favorem Imperatoris, Regum, aut Principum ſæcularium, vel inſignium Prælatorum eccleſiaſticorum, quin includantur, militat, quod eos aliquando eadem Bulla ſpeciatim exprimat, dum innodat, ut *can.* 12. ibi: (*Cujuſcumque praeminentiæ, & dignitatis fuerint, & can.* 14. *Etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.* Et in can. 17. *Cujuſcumque ſint praeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgent dignitate, ſeu Principes, Duces &c. fuerunt, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti.* Vnde indicium ſumi videtur, tum quod ſub generalibus vocibus non comprehendantur. Siquidem aliquando ſpecialius exprimuntur. Tum conſequenter non comprehendantur ubi non ſunt ita ſpeciatim recenſiti.

10 Nam præter vim præſentis clauſulæ, quæ regulariter nullum prætermittit, obſtat etiam, quod in dicto §. *non obſtantibus* circa finem Bullæ, qui generaliter ad totam Bullam referri debet, derogatur omnibus prætextibus, quibus quis poſſet ſe à Bulla eximere, quominus in ea includatur. Ex quo apparet, non vigere prætextum dignitatis. Fit autem in prædictis Canonibus de perſonis, dignitate pollentibus expreſſa mentio uberioris proſpicientiæ cauſa, ſive ut inſinuetur, tranſgreſſionem eorum canonum præcipuè damnari, ut auctoritativè commiſſam; ſive quia in illis caſibus viri Principes, & Prælati, ut plurimum aliquid ſe poſſe, temerè præſumunt. Cavenda eſt autem quoad Epiſcopos Gloſſa prima *in cap. quia periculum, de ſent. excom. in* 6. quæ, quod in eo ſtatu diſponitur in favorem eorum, ne ſub generali interdicto, & ſuſpenſione comprehendantur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio, extendit etiam ad excommunicationem. Gratis enim, & ſine fundamento extendit, cùm textus de ſola loquatur ſuſpenſione, & interdicto, ut notavit alia Gloſſa *ibid. v. ſuſpenſionis*, & ad eam Innocentius, Hoſtienſis, Io. Monachus, Archidiaconus, Franchus, & plerique alii.

11 Quare ea de cauſa placuiſſe Alterio, ac aliis ſupra citatis Auctoribus adnotare, quod etiam Reges, & Principes comprehendantur, ne hi ſibi ſuaderent, prætextu juſtitiæ adminiſtrandæ, aut delicti coercendi, poſſe in Prælatos hoc *can.* 11. expreſſos animadvertere. Quippè nonniſi Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiiciuntur, qui exprimuntur, ut adverterunt Vgolinus, Alterius, & alii. Quapropter actiones Canonis prohibentur non ſolùm ut privata vi, ſed etiam ut publica authoritate fiunt nec ſolùm de facto, ſed etiam de jure prætenſo Nam legitimum jus apud nullum eſt, ac proinde eſt dignitati injurioſa quælibet ſimilis attentatio. Ceſſat igitur in his ratio ex capite juſtitiæ deſumpta, quæ aliquando, ſive ſit prætextus violentiæ prohibendæ, ſive ſupplendæ negligentiæ, aut alius ſimilis putatus licitus, dicitur excuſare ab excommunicatione contrahenda ob violenlentiam ſimplicibus Clericis illatam, ſicuti videtur permitti ſæcularibus poteſtatibus captura Clerici accincti crimini, vel cum armis, ut ſuo Superiori præſentetur vel auferantur arma, ex Innocentio *in cap. Si verò* 1. *de ſent. excom.* de quo alibi. Hic autem nullum tale permittitur.

12 Simili modo eæ ſingulares Vniverſitatum, Collegiorum, aut Capitulorum perſonæ, quæ in commiſſione hujus delicti culpabiles ſunt, ſive principaliter, ſive tantùm tanquam mandantes, ratum habentes, auxiliantes, conſulentes, aut faventes, ſive Vniverſitas dicatur agere, quia generali conſpiratione omnes, aut plerique conſenſerint & cooperati fuerint; ſive hujus defectu Univerſitati non adſcribatur delictum, ut explicat Alterius *cit. cap.* 1. *col.* 5. excommunicatione innodantur. Quia licèt, prout Vniverſitatem conſtituunt, excommunicari non poſſint, ſed tantum interdici, aut ſuſpendi, ut ob præſens delictum fit *in cap. Felicis, de pœn. in* 6. *& Clem.* 1. *eod. tit.* tamen non eximuntur, prout ſingulares ſunt.

13 Quod autem ad Cardinales, Epiſcopos, Legatos, aut Nuncios, ſi alios ſimiles lædant, non videntur includi, quia non eſt locus alicui in privilegio, quando reſultat præjudicium tertii æquè in ea re privilegiati, *arg. cap. fin. de ord. cognit. l. non tantum, l. ſed & milites in fin. ff. de excuſ. tut. & auth. ſibi invicem, C. de ſacroſ. Eccleſ.* ac eorum, quæ tradit Bart, *in auth. quas actiones, C. eod.* & Iaſ. *in l. ſi domus*, §. *de evict. nu.* 33. *ff. de legat.* 1. Si ergo Cardinalis, exempli gratia, hoc gaudet privilegio, is, qui ab eo læditur, non gaudet eadem protectione canonis contra illum.

14 Nihilo tamen minus receptum eſt apud Vgolinum, & Duardum locis allegatis, Alterium *col.* 2. & Bonacinam *pun.* 3. *n.* 3 ac alios communiſſimè, prædictos etiam irretiri, ſicut fit obnoxius Canoni *Si quis ſuadente* 17. *qu.* 4. Clericus. Non enim privilegium hac in re offendenti datur, ſed offenſo, juxta ea, quæ tradit Abb. *in cap. Cum pro cauſa, num.* 2. *de ſent. excomm.* Prout igitur Cardinalis, aut alius Prælatus ex expreſſis lædit, non dicitur privilegiatus. Cætera in hanc rem vide apud Expoſitores Bullæ in Cœna Domini dicto *can.* 11.

15 Intereà nobis inquirendum eſt, qua opera in caſu carcerationis, ac detentionis Cardinalium, aliorumque inſignium Prælatorum pro injuria ab illis propulſanda, cavẽdiſq; gravioribus eccleſiaſticæ exemptionis, ac rei catholicæ malis præcipuè uti debeant Summi Pontifices, quos ſæpè hac de cauſa læſæ Pontificiæ auctoritatis, Romanæque Religionis ingens cura, ac mœror inceſſit. Et quidem cùm Cardinales, aliique Prælati eccleſiaſtici, ac etiam Archiepiſcopi Electores Sac. Romani Imperii, ex quo ſunt Archiepiſcopi, eximantur à quacumque juriſdictione laicali, adeò quod nemo cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis ille ſit, poſſit, abſque Summi Pontificis licentia, & cenſurarum incurſu illos in carcere coniicere, ac retinere, aliove modo quocumque in eos authoritatem, vel juriſdictionem aliquam exercere; ideò ſi poſtulentur rei cujuſvis criminis, etiam læſæ majeſtatis, partes Principis laici, qui ob illorum eccleſiaſticum characterem indelebilem in eos animadvertere nequit, erunt, illos tradere Summo Pontifici, qui alicui viro probo, ac partibus fido committet munus recipiendi probationes omnium delictorum, qui iis imponuntur, ut deinde ad cauſæ deciſionem ritè deveniatur.

16 Hic agendi modus olim obſervatus fuit in cauſa Cardinalis Cleſelii. Cùm enim ſub anno 1618. eximium hunc virum plura in Sacri Imperii, atque Auguſtæ Domus Auſtriacæ perniciem moliri pro certo ſumeretur, Rex tunc temporis Bohemiæ, ac Pannoniæ, qui deinde imperavit, necnon Archidux Maximilianus, illius patruus, conſciis aliis primoribus viris, ab Vrbe Viennenſi per vim eductum, in arcem Oenipontis illum incluſerunt. At poſteà Ferdinandus mox creatus Imperator, ac ipſe Maximilianus Paulo V. Summo tunc Pontifici literas dedere, in quibus juſta & idonea uſi ſunt excuſatione cur ad id devenerint, nimirum ad avertendam ab Imperio, ac Religione in iis partibus perniciem. Senſerat id peracerbè Pontifex, &, lecto novem Cardinalium cœtu,

ſtatutum,

ſtatutum, ut Nuncius extra ordinem in Germaniam allegaretur, qui obnoxios cenſuris eccleſiaſticis illos Principes eſſe doceret, Cardinalem ipſum cum rebus ei ſublatis, chirographis, aliiſque ſcriptis ſibi tradi curaret, ac tandem, ſi illum ipſi apud Sedem Apoſtolicam poſtulare voluerint, poſtulationes exciperet, cauſamque cognoſceret.

17 Hæc Nuncii munera exequutus fuit ſub anno 1619. Fabricius Veroſpius, genere prænobilis, ingenii laude vi mentis dexteritate in agendo factus ad ſupremæ Aulæ negotia, uti vitæ ſubinde actus commonſtrarunt, probavitque inſigniter iis Principibus zelum, ardorémque animi Apoſtolico muneri parem, ita ut inſigni ſolertia rem compoſuerit. Is, cùm reperiſſet jam vita functum Archiducem Maximilianum, adiit Ferdinandum, illumque monuit contra ejus Theologorum opinionem tam ipſum, quàm criminis ſocios, atque participes fidelium communione eſſe disjunctos, ut proinde abſque Summi Pontificis, cui reſervata eſt, abſolutione, ſalutem conſequi non poſſe. Igitur Ferdinandus conſilium iniit ad Summum Pontificem ſcribendi, illique pro abſolutione ſupplicandi quam libentiſſimè; quod præſtitit his verbis.

18 *Beatiſſime Pater. Beatitudinis veſtræ Capellanus, & Sacri Palatii Apoſtolici Auditor Reverendiſſim. Fabricius Veroſpius, quem propter negocium Cardinalis Cleſelii in partes iſtas Nuncium ſuum deſtinavit, mihi hiſce diebus Beatitudinis veſtræ Breve 19. Februarii proximè præteriti datum, exhibuit, ejuſdemque mentem & voluntatem aperuit, quem ego cùm propter filialem reverentiam, quam Beatitudini veſtræ debeo, tum ipſius Veroſpii prudentiam, quam in eo ſingularem perſpicio lubens audivi; eidemque in exequendis Beatitudinis veſtræ mandatis auctoritate mea quantum potero, præſtò ero. Quod autem ad abſolutionem attinet, quam ille mihi eandem petenti impertiendam ſignificavit, ego Beatitudini veſtræ per Tiberium Cannevalem debita animi demiſſione jam antea exponi curavi, quibus &, quàm neceſſariis rationibus quondam Sereniſſimus Archidux Maximilianus jam in proximo defunctus, & ego ad dictum Cardinalem ab aula Cæſarea amovendum permoti fuerimus; qua in re cùm nihil à nobis peccatum, ſed Religioni, & Reipublicæ conſultum fuiſſe facta diligenti actionis noſtræ diſcuſſione, reperiam, non video cur abſolutione opus ſit, ubi reatus non præceſſit, neque culpa commiſſa eſt. Sperabam igitur Beatitudinem veſtram ea declaratione, quam idem Cannevalius meo nomine Beatitudini veſtræ teſtificatus eſt, nimirum quod abſolutionem à Beatitudine veſtra ſponte, & ex paterna ſua benignitate, mihi etiam non petenti oblatam, ex filiali mea in ipſam obſervantia libenter accepturus ſim, paternè contentam fore. Verùm cùm dictus Veroſpius pluribus admonitionibus uſus latius mihi expoſuerit Beatitudinis veſtræ petitionem abſolutionis pro me, & iis, quorum opera in amovendo Cardinali uſus ſum ad conſcientiæ meæ quam integram ſervare ſemper ſtudui, cautelam neceſſarium judicare ego, ut mea in hanc Sanctam Sedem obſervantiam ſingularem, & obſequendi ſtudia teſtata faciam, iſtam in Beatitudinem veſtram voluntatem, & arbitrium, cui ut Princeps catholicus, libenter pareo, accipiendam conſtitui, ea tamen ſpe fretus, Beatitudinem veſtram non tantùm exiſtimationis meæ, & dignitatis Regiæ exiſtimationem habituram, ſed curaturam etiam, ne his turbulentis, & afflictis Germaniæ temporibus ac ſtatu, tum apud Catholicos, tum hæreticos eadem exiſtimatio notam aliquam, & detrimentum accipiat. Quod de Beatitudinis veſtræ paterna in me charitate mihi planè perſuadeo, ipſiq; me cum humillimo pedis oſculo quàm diligentiſſimè commendatum cupio. Datum Viennæ Auſtriæ 4. Maii anno Domini 1619.*

19 Poſt hęc idem Ferdinandus Archiduci Leopoldo literas dedit, ut illicò Cardinalem Nuncio traderet, quibus ille reſpondit, ſe mandata, quæ recipit, ad unguem effecturum. Interim Cęſaris Cancellarius Cardinalem apud Nuncium de majeſtate, ac de aliis graviſſimis criminibus poſtulavit, ac inſtitit, ut de iis cauſa diceretur. Quare Nuncius ſuper illis tres ſuper triginta teſtes examinavit, qui ſuo juramento teſtimonium dedere, illudque ſubſcripſerunt.

20 His autem conſtitutis, Nuncius cùm curam Eccleſiarum, & Epiſcopatuum, quos Cardinalis obtinebat, viris idoneis demandaſſet cum obligatione reddendi de illis rationem, Tirolenſem Comitatum petiit, Oeniponti Cardinalem excepit, quem Monaſterio S. Georgii Sbovalenſis in cuſtodiam tradidit, ubi tam Milites, quàm Monachi eum, ſervare juratò promiſerunt. Ipſe verò Cardinalis binas ſcripſit Epiſtolas, alteram Pontifici, quæ eſt hujuſmodi *Beatiſſime Pater. Cùm maxima beneficia à Sanctitate Veſtra ſemper acceperim, non eſt, quod multis detineam, ſufficit quod in præſenti ſumma mea tribulatione per ſuum Nuncium D. Fabricium Veroſpium ita paternè conſolata ſuam ſanctam benedictionem impertita fuerit; ita enim piè, prudenter, ſollicitè officium ſuum præfatus D. Nuncius peregit, ut quaſi à mortuis ad vitam fuerim revocatus. Pro qua paterna & ſancta ſollicitudine, nõ quas debeo, ſed quas poſſum Veſtræ Sanctitati gratias ago. Cùm verò ex iis omnibus cognoſcam erga me pluſquam paternũ effectum, quẽ aliàs ſemper expertus ſum, non deficere volui, & in fluctibus maximis animum deiicere, ſed potius ad Veſtram Sanctitatem magna cum confidentia recurrere, meq; ad pedes Sanctitatis veſtræ pro volvere ſumma cum obedientia, & humilitate orans, ut ab inſtituendo contra me proceſſu Sanctitas Sua benignè abſolvere, & liberare velit. Agitur, Beatiſſime Pater tam de honore Sanctitatis Veſtræ, cujus creatura ſum, quàm Sacri Collegii, cui me adſcribere voluit, quàm etiam meæ perſonæ, quem honorem tamquam propriam vitam conſervare vellem. Ingreſſus jam ſum ſexageſimum ſeptimum annum ita ſenio confectus, & laboribus pro Ecleſia Dei ſuſceptis conſumptus, ut nihil magis, quàm quietem, tam animi, quàm conſcientiæ quramæ, omneſve turbas, & controverſias fugiam. Itaque totum me in Sanctitatis Veſtræ gratiam & voluntatem reſigno & à Sanctitatis Veſtræ mandatis, diſpoſitionibus, & ordinationibus ne latum quidem unguem recedere; ſed ita vivere, & mori volo, ſicut ipſa voluerit cùm ſciam voluntatem Veſtræ ſanctitatis Dei voluntatem eſſe: eam ob cauſam Sanctitatem Veſtram iterum atque iterum obteſtor, ut hanc meam humilem ſubjectionem, ac ſupplicationem ſuis benignis, & paternis oculis reſpicere ac me à facie ſua non abiicere velit. Pro hac tanta gratia Deum, ut longam vitam, ſanitatem, felix, ac quietum regimen elargiri velit quoad vixerit aſſiduèque deprecabor, ac pedibus Sanctitatis Veſtræ me ſubiicio. Ex Monaſterio S. Georgii die 7. Octobris 1619. Sanctitatis Veſtræ humillima, & obſequentiſſima creatura, Cardinalis Cleſelius.*

21 Alteram Cardinali Burgheſio quæ ita ſe habet: *Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine. Etſi in multis ſuam erga me benevolentiam, & dexteritatem veſtra Illuſtriſſima Dominatio oſtenderit, tamen in hoc meo inſperato caſu plurimum teſtata eſt, quod eò negotium hoc meum ſuo conſilio & dexteritate dirigere voluerit, ut D. Nuncius Fabricius Veroſpius ad has partes à Beatiſſimo mitteretur, qui ſua prudentia, modeſtia, pietate, & eloquentia me mirificè conſolatus eſt. Cùm autem in hoc negotio tam de honore Sacri Collegii, meoque etiam, de incremento Catholicæ Religionis, & de evitando ſcandalo agatur ego jam ſenio confectus, laboribuſque pro Eccleſia Dei & Chriſtianitate aſſumptis ex hauſtus, conſcientiam quietam, & animum quæram, omneſque turbas & diſputationes fugiam, hac de cauſa ad Sanctitatem ſuam confugere, literas exarare volui, ut ab ipſo proceſſu contra me inſtituendo liberarer, ſicuti ex literis ad Sanctitatem ſuam ſcriptis copioſius intelliget. His autem meis ad dominationem veſtram Illuſtriſſimam tamquam ad ſacram anchoram recurrere volui, illam gratiam, qua ſemper me proſequuta eſt obteſtans, ut ſuas partes apud Sanctiſſimum*

*ctiſſimum & conſilio, & auxilio interponere vellet, quod beneficium continuis meis ad Deum orationibus pro Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ incolumitate quantum in me erit, recompenſare conabor, & interim manus Dominationis veſtræ Illuſtriſſimæ exoſculor ex Monaſterio S. Georgii 7. Octobris anni 1619. Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ humillimus & obſequentiſſimus ſervus Cardinalis Cleſelius.*

22 Rebus ita compoſitis, Nuncius Romam contendit; Imperator verò, & Archidux Leopoldus per plures literas Pontifici Summo, ac Cardinali Burgheſio meritas gratias, debitaſque gerunt.

23 Verùm cum ſub anno 1622. Idem Nuncius Germaniam repeteret, ut in ſolemnem poſſeſſionem dignitatis Electoralis, ac Palatinatus Maximilianum, Bavariæ Ducem immitteret, fuit illi etiam injunctum, quod ſecum Cardinalem Cleſelium Romam perduceret; qua in re multas, eaſque graviſſimas difficultates expugnare oportuit. Nam Imperator agi in ea re de commodo univerſæ Domus Auſtriacæ aſſerebat, atque adeò votum Archiducis Belgii, Archiducis Leopoldi, Archiducis Caroli, & Oratoris Hiſpaniarum exquirendum. Leopoldus nedum diſſenſit, ſed duabus ad Imperatorem ſcriptis epiſtolis, id fieri non debere manifeſtè denunciavit. Orator verò Hiſpaniarũ Innicus de Guevara, Comes de Ognate, conſiliorum prudentia eximius, reddendum certiorem ſuum Regem ajebat ob præjudicium exinde emerſurum. Conſiliariorum ferebat opinio, Cardinalem adhuc retinendum, tùm propter mala, quæ ex eo timebantur, tum quia retinebatur authoritate Pontificis. At Nuncius officii ſui partes implere viſus eſt Imperatorem allocutus, ſe ipſi non inſtare, ut Cardinalis ſibi tradatur, cùm ſemel ſibi fuerit liberè traditus à ſua Majeſtate, quod idcircò à Monachis, aliiſque cuſtodibus fidelitatis Sacramentum accepit de illo retinendo nomine Summi Pontificis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac ſuo; ſed tantùm inſtabat, ne novum facinus in Cardinalem committeretur.

24 Iam verò, re in longum diſcuſſa, Nuncius muneris ſui conſcius ita ſtrenuè cauſam peroravit, quod tandem imperator manus dederit, ſtatuitque, Cardinalem reſtituendum, ſuumque animum Gregorio Summo Pontifici hiſce literis aperuit. *Beatiſſime Pater. In hoc nobis gloriari liceat, quod ad mentem, immò nutum Sanctitatis veſtræ actiones plerumque noſtræ reſpondent, argumento ſit inter cætera eventus Legationis, qua Sanctitatis veſtræ Nuncius extraordinarius Fabricius Veroſpius, ſingulari prudentia, & dexteritate, quo nomine laudem ſanè meretur, perhonorificè apud nos eſt defunctus. Et quidem de Electorali dignitate dies nunc appropinquat, ut jampridem Sanctitatis veſtræ in complementum deſiderii ſui verbi Cæſareo promiſſa opere ipſo conſummemus. In Cardinali Cleſelio tranſmittendo multa occurrebant ardua, conſideratione non indigna, & ad univerſæ Domus noſtræ ſecuritatem pertinentia, quibus nonnihil moræ & is, qui interceſſit temporis tractus meritò debebatur. Evicit tandem pietas, conſcientiæ ſtudium, debitus Sanctitatis veſtræ reſpectus, ut ejuſdem benignæ voluntati, cujus fidam, diligentemque Veroſpius egit interpretem, reverenter hoc quoque loci deferremus. Sit ergo perpetuum hoc, & efficax teſtimonium Imperatoriæ erga Summos Pontifices obſervantiæ, quàm luculentius vivo ſermone teſtificabitur, atque alia nonnulla noſtro nomine explicabit, qui Sanctitati veſtræ Cardinalem permiſſu noſtro ſiſtet Auditor Veroſpius: eum virum ab ingenio, facundia, & aliis, quibus pollet animi dotibus nobis percarum uti affectu, prout conſuevit, nobis gratificetur amanter petimus, & Sanctitati veſtræ ſecundiſſima regiminis Apoſtolici tempora precati, perquam officioſè nos commendamus. Datum Viennæ 16. Septembris 1622. Ferdinandus Secundus, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.*

25 Itaque Tirolum Nuncius impiger petiit, ut Cardinalem adduceret, at quidem ne abduceret impedimento fuit ſecretius Oeniponti Conſilium. Nam cum abſens apud Alſatiam Archidux Leopoldus detineretur, noluerunt viri Conſiliarii ejus juſſu Cardinalem abduci. Verùm Nuncius Doctori Fabro, qui ex Conſilio miſſus id retulit, reſpondit, non poſſe Conſiliarios in hanc rem, in qua mandatum Summi Pontificis, ac voluntas ſuæ Majeſtatis haud deſideratur, amplius ſe ingerere. Quare non renuendũ, alioquin ipſi facerent, ut Sacra Tirolo interdiceret; ac ſubinde tres tabellarios miſit, primum ad Pontificem, alterum ad Cæſarem, poſteriorem ad Ducem Bavariæ, ut in Comitiis, quæ Ratisbonæ celebrantur, hoc officio erga Imperatorem, qui illic convenerat, fungeretur. Quod actum. Vnde Imperator ſic Nuncios reſcripſit. *Ferdinandus Secundus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c. Reverende, devote, nobis dilecte: Literas veſtras 19. hujus menſis ad nos perſcriptas accepimus, & quod Cardinalis Cleſelii perſona vobis contra voluntatem, ac opinionem noſtram nec dum tradita ſit, haud ſanè libenter intelleximus. Verùm cùm hujus moræ etiam aliquot diebus antea ab ipſiſmet Conſiliariis noſtris intimis Oenipotenti præſentibus certiores facti ſimus, ejuſque cauſam eam fuiſſe nobis ipſi perſcripſerunt, quod ulteriora mandata, quæ ipſis expectanda juſſeramus à Sereniſſimo fratre noſtro Archiduce Leopoldo proculdubio graviſſimo morbo, quo jam longo tempore affectus erat impedito, acceperint, iiſdem jam tum, ut iſta mandata longius non expectarent, ſed viſis literis noſtris, incontinenti vobis dictum Cardinalem tradi facerent ſerio commiſimus, ita ut intereà temporis certo hæc ita ſubſecuta eſſe omnimò confidamus. Verum pro majori efficacia, ac ne ullum minimæ ulterioris moræ ſupereſſet periculum, hæc ipſa mandata noſtra dictis literis veſtris permoti, de novo iteravimus: proindeque ſingula·ia noſtra erga Sanctitatem ſuam filialis obedientiæ ſtudia luculenter ſatis ex his conſtent, Nos ut de iiſdem, atque de conſtanti ſimul hac in parte ſatisfaciendi ipſi promptitudine, ac voluntate noſtra firmum teſtimonium præſcribatis perquam benignè requirimus. Vos interim Cæſareæ benevolentiæ noſtræ affectu ſingulariter proſequentes. Datum in Monaſterio Melchi die 29. Octobris 1622. Regnorum noſtrorum Romani 4. Vngariei 5. Boemici verò 6. Ferdinandus &c.*

26 Reſpondit quoque Nuncio Dux Bavariæ in hæc verba: *Molto Illuſtre, e Reverendiſſimo Signore. Dalla lettera di V.S. Reverendiſſima, e dal Segretario ſuo ſpedito da lei alla Maeſtà dell'Imperatore hò inteſo l'intorbidamento, che da coteſti miniſtri del Sereniſſimo Leopoldo le vien fatto nella ſpeditione del Cardinal Cleſelio, & il deſiderio di eſſa, che con l'occaſione del proſſimo Convento Elettorale io voglia promovere queſto appreſſo la Maeſtà ſua. Riſpondo però à V. S. Reverendiſſ. che ſi come ſono per cercar ſempre in tutte l'occaſioni la ſodisfattione della Santità di Noſtro Signore, & il ſervitio della Sede Apoſtolica, così non mancherò di adoprarmici à ſuo tempo con ogni ſpirito della maniera, che anche in altro dovunque vaglio mi eſibiſco & à V.S. Reverendiſſ. priego dal Cielo felicità. Di Monacoli 14 di Ottobre del 1622. Di V.S. Reverendiſſ. Maſſimiliano, &c.*

27 At Oenipontis Conſiliarii cum ſuis literis, trino ſigno obſignatis Doctorem Fabrum iterùm ad Nuncium miſere, quibus ſe illi vehementer excuſatos eſſe voluerunt, ſi fortè in eam rem peccaverint, ac ſuam fidem comminatæ ſacrorum interdictioni ſubjectam forè perdoluerunt. Eæ verò in hanc fuerunt ſcriptæ ſententiam. *Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Domine, plurimum obſervande. Retulit nobis pro fide ſua ad Illuſtriſſimam, & Reverendiſſimam Dominationem ſuam ablegatus Sac. Cæſ. Majeſtatis, ac Sereniſſimi D. Leopoldi, cæterorumque Archiducum Conſiliarius Cameralis Michael Faber, utriuſque juris Doctor, quæ heſterno veſpere juſſu noſtro, & exigente rei neceſſitate oretenus pertractavit; & quia inter cætera Illuſtriſſimam Dominationem veſtram oſtenſa indignitatis indiciantur, præcipuè ad iniquam relationem ei propoſita pro fundamento intentionis ſuæ velut intentandæ*

excom-

*excommunicationis, ac eccleſiaſticarum cenſurarum firmando puncta, eidem D. Fabro ſæpius repetita, & nobis omninò referenda in medium attulit, quorum primum functionis ſuæ perfectionem abſque ulteriori impedimento promoturos, qualecumq; tandem reſponſum ab ſua Serenitate ſequeretur. Alterum verò nos præſidiarios, ſeu cuſtodes illic milites à libera Illuſtriſſimi Cardinalis Cleſelii abductione dehortatas eſſe; idcircò, ut Illuſtriſſ. D. veſtræ plurimam fidem faceremus, tam prius, quàm poſterius præſuppoſitum falſa niti informatione, adeóq; hoc ipſum re ipſa, & ad oculum demonſtraremus. Eo fine præfatum D. Fabrum, utpotè fidelem, ac ſatis inſtructum rerum omnium delatorem iterato ad Illuſtriſſ. D. Veſtram remittimus, ſeriem petitorum ex fundamento præpoſiturum, cui ut plenam fidem noſtro nomine adhibeat, ac de nobis ipſis, velut Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ hiſce in partibus auctoritatem, & jura repræſentantibus; itemq; S. Romanæ Eccleſiæ, ejuſdemq; Summi Capitis S.D.N. Pontificis Maximi obſequentiſſimis filiis meliorem deinceps, quàm hactenus exiſtimationem concipiat vehementer rogamus. De cætero eidem Dominationi veſtræ quicquid officii, honoris, ac obſervantiæ debitæ deinceps non ſecus, ac de præterito peramanter exhibituris. In reliquis verò omnibus ad ſæpè dicti ablegati relationem oretenus faciendam nos referentibus. Eatum Oeniponti 18 menſis Octobris 1622. Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D.V. ad officia paratiſſimi, Doctores, & Conſiliarii arcani Status Tirolenſis.*

28 Igitur, haud mora, Nuncius Cardinalem Cleſelium abduxit, ſuæ Legationis veluti in triumphum. Quippè is fuit qui ita Romanæ rei auctoritatem cum Cæſaris aulæ gratia mirificè miſcuit, Magiſtratus medios, ac ſummos ita geſſit, ut cohoneſtatus mox fuerit ab Urbano Pontifice Octavo, quam promeruerat, purpura.

29 Ipſum cuſtoditum fuit in Electore Treverenſi, cujus in re conſultum, quod juſſu Summi Pontificis ille traderetur Archiepiſcopo Saliſburgenſi, Principi Eccleſiaſtico: magnæ integritatis, & in Sacro Romano Imperio multæ exiſtimationis viro, ac quodammodò ex Collegio Electorali; nam in Conventibus ſedet immediatè poſt Electores. Additumque in Urbe Salisburgenſi Arcem eſſe munitiſſimam, ac penè inexpugnabilem, ut proindè nec decentius, neque ſecurius ille ſervari poſſet, quod olim obſervatum fuit ab Adriano Pontifice, qui ſuos legatos Rolandum, poſteà Alexandrum 3. & Bernardum Cardinales ad Fridericum miſit pro liberatione Archiepiſcopi Londonenſis, ut habetur ex vita ipſius Alexandri à Joanne Franciſco Lauredano deſcripta.

30 Ac denique inter alias Alexandri VII. Summi Pontificis laudes, illa meritò eſt numeranda, quod Eccleſiaſticam Immunitatem non minori zelo & prudentia, quàm paſtorali ſollicitudine tutatus fuerit. Obverſatur adhuc oculis noſtris recens quidem; ſed luculentiſſimum argumentum in cauſa Cardinalis de Retz, cujus detentio, ut primùm Sanctitati ſuæ innotuit, nihil intentatum reliquit, quo illum in libertatem vindicaret. Ac primùm quidem ſpecialem quorumdam Cardinalium Congregationem indixit, in qua tanti momenti negocium ſeriò tractaretur. Mox Curſorem expedivit ad Nuncium ſuæ Sanctitatis in illis partibus cum Brevi referto ſenſibus verè eccleſiaſticis, adjunctis etiam inſtructionibus, ac monitis peropportunis, quæ non minus gravitati materiæ congruerent, quàm paſtoralis animi vigilantiam & prudentiam propalarent. Quin etiam quo ferventius, & efficacius negocium tanti ponderis urgeret, feliciuſque abſolveret Archiepiſcopum Avenionenſem, Nuncium extraorninarium deſtinavit in Gallias ob præclaras ejus animi dotes, & virtutes, non ſolùm idoneum, verùm etiam ob loci vicinitatem tam arduo molimini opportunum, ut omni mora poſtpoſita, dicti Cardinalis liberatio acceleraretur. Quæ quidem omnia prudenter adminiſtrata, perbenè ceſſerunt. Enimverò in his rebus non agitur, niſi de ſedanda Principum conſcientia. Nam, traditis Cardinalium, aliorumque Prælatorum perſonis, cui juſſerit Summus Pontifex, ac iis in toto ſervatis, donec eorum cauſam per Judicem à Sanctitate Sua deſtinatum, ac utrique parti fidum perficiatur, jus politicum firmum, atque integrum apud ipſos Principes remanebit.

## CONSULTATIO LXIII.

*Ad quæ onera teneantur Tertiarii S. Franciſci, qui non habent conditiones, à Conſtitutione Leonis X. in Concilio Lateranenſi edita, requiſitas?*

II obtinere non poſſunt exemptionem à foro ſæculari, 1
neque immunitatem à vectigalibus, aliiſque publicis oneribus in genere, obſtante eis dicta Conſtitutione, quàm eſſe ſervandam, ubi contraria conſuetudo non extat, ſæpiùs S. Congregatio ſuper Epiſcopis reſpondit, quinimò omnia, ad quæ de jure tenentur, omninò adimplere debent.

Id tamen advertendum, quod ea Conſtitutio intelligi 2
debet, ut ſolummodò diſponat de illis oneribus, quæ ſunt cum Regula Tertiariorum compatibilia, ne aliàs dicta Regula deſtruatur, quàm potiùs ipſamet Conſtitutio expreſsè admittit, & in ſuis terminis præſervat eo modo, quo ab aliis Summis Pontificibus fuit ſæpius approbata, quæ adhuc ſemper etiam ex ſpeciali confirmatione ſa. mem. Urbani VIII. ubique locorum in ſuo robore, ac viridi obſervantia permanſit. Et propterea onera illa, quæ ipſi Regulæ adverſantur, quemadmodum, ut infra demonſtrabimus, eſt officium Magiſtratus, & id genus alia.

Quod autem Magiſtratus officium ſit prorſus incom- 3
patibile cum Regula ipſorum Tertiariorum manifeſtiſſimè conſtat. Nam præterquam quod Officiales ejuſmodi plerumque vivunt ſuis propriis ſumptibus in menſa communi, qua quidem menſa ipſi Tertiarii uti minimè poſſunt diebus vigiliarum ac jejuniorum, quæ ſtatis ſingularum hebdomadarum diebus ex præſcripto Regulæ præfatæ diligentiſſimè ſervant, eſt etiam notiſſimum, quod ipſis non licet aſſumere habitum conſularem, qui preſertim conſiſtit in pallio diverſi coloris ab eo quem ex forma Regulæ tenentur, ſua vita durante, deferre, qui eſt medii coloris inter album & nigrum, à quo diſpenſari minimè poſſunt, niſi ipſis ſupplicantibus, & ex legitima cauſa eiſdem favorabili, non autem ipſis invitis, & ex cauſa, quæ ſit illis oneroſa.

Et ideò in ſpecie, quod hujuſmodi Tertiarii, qui dicun- 4
tur de pœnitentia, non poſſint compelli ad ſuſcipienda onera Regulæ, quàm ipſi profitentur, contraria, expreſsè cautum reperitur in Conſtitutione Gregorii Papæ IX. quam integram dabimus, ubi in ſpecie exemplificantur, tamquam incompatibilia ipſorum inſtituto, exercitium armorum, necnon publica officia, quæ ſi ſuſciperentur, eorum pium propoſitum impediretur, & idcircò ab illis immunes ſervari mandatur. Unde tertiarii prædicti ſupradictam Regulam Tertii Ordinis S Franciſci diligentiſſimè cuſtodiunt, ſi maximè in ea per ſententiam Ordinariorum confirmati fuerint, ac bono exemplo vixerint, multaque opera, etiam mandante Ordinario, exercuerint, omninò à prædictis moleſtiis immunes eſſe debent, ne ab eorum pio inſtituto arceantur contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum, & Summorum Pontificum Conſtitutiones.

Conſtitutio verò Gregorii Noni, quę reperitur impreſ- 5
ſa in libro, cui titulus, *Fundamenta trium Ordinum p. 3. tit. Apoſtolica privilegia fol. 9.* item in libro inſcripto, *Monumenta Ordinum fol. 1.* Et in Regula Tertiariorum S. Franciſci *p. 2 ſub tit. Apoſtolica privilegia fol. 6* à Fr. Antonio de Siliis, Generale dicti Ordinis exarata, ſic habet: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Italiam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Nimis patenter,&c.Sanè ad audientiam bon.me. Honorii prædeceſſoris noſtri noveritis perveniſſe, quod nonnulli de partibus noſtris noviſſima ſua providè memorantes, derelictis ſæculi vanitatibus, pœnitentia in corde contrito & humiliato ſpiritu agere in domibus propriis, vel alibi ſtatuere,& ut retribuentes miſeræ filiæ Babylonis retributionem, quàm retribuit ipſa eis promiſſæ beatitudinis præmium facilius, & fœlicius aſſequantur caſtigare corpus proprium,& in ſervitutem redigere concupiſcunt; ſed Poteſtates & Rectores Civitatum, vel locorum,in quibus tales Domini ſervi degunt,non attendentes,quod nemo militans Deo,implicat ſe negociis ſæcularibus, & ſponſa lotos pedes abnuit inquinare, ab eis ut ipſos ſequantur,& exerceantur in armis juramenta extorquere contendant, & ad recipiendum,& exequendum publica officia compellere moliuntur.Quin etiam illos,qui ad agendum pœnitentiam ſecretos petiere receſſus ad propria revocantes, ipſis plura onera,& exactiones imponunt, aliàs inhonorando ipſos, quos tamquam Dei ſervos deberent modis omnibus honorare.Quia igitur intereſt noſtra Dei viros in Religionis propoſito confovere, ad exemplar præfati prædeceſſoris noſtri, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus,quatenus hujuſmodi pœnitentes, dum tamen onera, in quibus ratione bonorum ſuorum tenentur, agnoſcant,à prænotatis gravaminibus ſervantes immunes, ipſos eorum occaſione non permittatis in eis,vel aliis temerè moleſtari, quibus poſſit eorum pium propoſitum impediri, moleſtatores per cenſuram eccleſiaſticam,appellatione poſtpoſita,compeſcendo.Datum Laterani 7.Kalend.Iunii Pontificatus Noſtri anno primo.*

## CONSULTATIO LXIV.

*An & quatenus ii, qui vulgò Clerici, ſive Diaconi Sylvatici appellantur, gaudeant immunitate à veſtigalibus,& exemptione à foro ſæculari?*

1 Videtur nullo modo gaudere poſſe.Primò *ex l.2 tit. 4.lib.1 nova recopil.*ubi ſtatuitur,quod Clerici minorum Ordinum ſolvant quævis tributa more laicorum, exceptis Clericis,qui actu beneficium eccleſiaſticum obtinent. Ergo multò magis gaudere nequeunt iſti Clerici Sylvatici,cùm non ſint prima tonſura inſigniti.Secundò, quia *cap.non minus,& cap.adverſus de immunit. Eccleſ. cap.quamquam,de cenſ.in 6.c.tributum,& c.ſecundum 3. q.8.*cum aliis, *ac l.ſancimus, C. de ſacroſ. Eccleſ.*ſolùm eximunt à ſolutione tributorum eccleſiaſticas perſonas. Hi autem Clerici non ſunt perſonæ eccleſiaſticæ, ut de Clericis in prima tonſura conſtitutis, quod ne ſint quidem perſonæ eccleſiaſticæ tradunt Angl. *in florib. p.* 2. Olan.*in concord.jur.lit.C.n.*21.& Parlador. *lib.* 1. *de reb. quotid.c.*3.§.1.*n.*16.

2 At nihilominus tenendum eſt hujuſmodi Clericos gaudere utroque privilegio ad præſcriptum decreti S.Congregationis Immunitatis juſſu Gregorii XV.editi in hæc verba.*Sacra Congregatio Cardinalium negotiis juriſdictionalibus Regni Neapolitani præpoſitorum certior reddita in nonnullis ejuſdem Regni diœceſibus, Diaconos, quos vocant Sylvaticos in maximum numerum citra Eccleſiarum neceſſitatem, aut utilitatem excreviſſe, volens eorumdem exemptis cauſam declarare, & fraudibus quibuſcumque occurrere,de Sanctiſſ.D.N.Gregorii XV.mandato vivæ vocis oraculo, de ſuper habito.Diaconos Sylvaticos hujuſmodi pro Eccleſiarum,& Epiſcoporum ſervitio retinere,vel in locum quoquo modo deficientiū aſſumi poſſe in Cathedralibus,ſeu ſuperioribus Eccleſiis ad ſummum quatuor;in Collegitatis,vel Parochialibus duos;in aliis verò Eccleſiis,in quibus divina celebrantur,ſi Epiſcopo videbitur,unum,quos quidem Epiſcopi prorſus gratis,& tales,qui omninò per ſeipſos,nō autem per interpoſitam perſonam ſervitium debitum præſtent,nec ullo modo criminoſos,aut malæ conditionis,& famæ eligere debeant,aliàs & hi nullo gaudeant privilegio, & eligentes judicium Sedis Apoſtolicæ ſeverum experientur,eos verò privilegio Canonis non gaudere;fori autem privilegio in criminalibus omnino,in civilibus quoad corporis diſtrictionem tantùm, & immunitatem ab oneribus perſonalibus,non autem ab aliis, durante ſervitio, frui debere. Sed ſi alicubi majoribus utantur privilegiis,& immunitatibus ex legitima conſuetudine,cujus cognitionem, & declarationem in caſu controvorſiæ eadem S. Congregatio ſibi reſervat,illam debere attendi;cognitionem verò aliorum præmiſſorum ad Ordinarios pertinere hoc præſenti decreto, ſtatuit,præcepit, & declaravit Romæ 10. Kal.Iulii 1623.*

3 Etenim, quod hi gaudere debeant privilegio fori,deſumitur ex *can. Eccleſiarum ſervos* 12.*q.*2.Unde Archid. ſuper Gloſſ.*in can.duo ſunt* 12.*q.*1.expreſsè ait, quod tales,ex quo habitum mutant,perſonæ eccleſiaſticæ habentur,quod etiam tradidit Gloſſ.*in can.ut lex,v.Eccleſiaſticis* 27.*q.*1.*arg. can. duo ſunt.* At, quicquid ſit,an de jure gaudeant privilegiis eccleſiaſticis, ipſe cenſeo ſtandum eſſe conſuetudini, ex cujus virtute præfatum decretum emanavit,cùm illa ſit favorabilis Eccleſiæ,ac proindè latam requirit interpretationem,atque adeò quod nomine perſonarum eccleſiaſticarum venire debeant omnes,quæ ſunt aliquo modo eccleſiaſticæ. Id certò tenendum eſt, eos non eſſe verè perſonas eccleſiaſticas, ſed quaſi eccleſticas. Addidi enim notam temperationis, quia Gloſſa & Doctores accipiendi ſunt,ut locuti in laxiori ſignificatione,quomodò confundunt perſonam eccleſiaſticam, & gaudentem privilegiis eccleſiaſticis, de quo aliàs. Quare in hac materia ſervandum omninò eſt allatum decretum ex mandato Gregorii XV. editum, ſicut ſervandum quoties caſus contigit, eadem S.Congregatio ſemper reſcripſit, cujus decreta in hanc rem ſunt hujuſmodi.

4 Clerici Sylvatici gaudent immunitate à collectis,conſtito de legitima conſuetudine.Uritana 6.Maii 1631.Policaſtrenſ 9.Octobris 1629. & Aprutina 6.Martii 1635.

5 Eximuntur ab onere foculari.In Oppidenſ 17.Novembris 1654.

6 Gaudent eiſdem privilegiis, etiam ſede Epiſcopali vacante.In Oppidenſ 23.Auguſti 1629.

7 Gaudent privilegio capitationis,attenta conſuetudine. In Materana 23.Februaii 1638.

8 Gaudent privilegio fori. In Uritana 17. Decembris 1630.

9 Gaudent immunitate ab oneribus realibus, & mixtis, ſuppoſita conſuetudine. In Bellicaſtrenſ 24. Martii 1637.

10 Gaudent immunitatibus ex conſuetudine. In Laquedonenſ 31.Ianuarii 1628.in Biſignanenſ 9.Junii 1637.

11 Non poſſunt conveniri coram Judice laico. In Hieracenſ 4.Junii 1645.

12 In Diaconos Sylvaticos poſſunt eligi nobiliores Civitatis, illique gaudent privilegio fori,ſed non decet.In Hieracenſ 4.Julii 1645.

13 Non eximuntur ab hoſpitatione militum.In dicta Hieracenſ eodem die,& anno.

14 Tenentur ad taxam pro ſtipendio Medici,pro refectione pontium, viarum, &c. niſi obſtet conſuetudo. In Neritonenſ 16. Septemb. 1630. At de hoc vide tom. 1.

15 Non eximuntur ab oneribus fiſcalibus, niſi adſit conſuetudo.18. Junii 1626.& in Caſanenſ 26.Julii 1644.

16 Quod ad eorum numerum, ſervetur decretum emanatum juſſu Gregorii XV. Rheginenſ 20. Septembris 1667.

17 Quod ad Clericos Sylvaticos, ſervetur decretum editum de mandato Gregor. XV. non obſtantibus allegatis ordinationibus Viſitatoris Apoſtolici. In Neocaſtrenſ 17. Octobris 1371.

18 Die 27. Martii 1627. S. Congregatio, &c. pro majori parte cenſuit, filios Clericorum Sylvaticorum gaudere privilegio fori,durante ſervitio patris.

19 Die 23. Martii 1638. Sac. Congregatio &c. licet pro majori parte inclinaret, ut, durante officio, ſeu ſervitio

Clerici

Clerici Sylvatici, ejus filius vivens cum parte gaudeat privilegio fori, prout idem pater.

20 Ex quo tamen aliqui dubitabant, fuit captum temperamentum, quod ſcriberetur Epiſcopo, ut eos qui in carcerem incluſerunt dictum filium oratorem, abſolveret à cenſuris ad cautelam, prævia caſſatione cautionis ab eo præſtitæ coram Judice laico.

21 Inter alias rationes fuit ponderatum, quod cenſetur eadem perſona cum patre, & pars ipſius patris, ut poſt alios Carol. de Graſſ. *eff.*..*nu.*189.*cum ſeq* Et quod privilegium conceſſum patri extenditur ad filium, ut in his terminis ex mente Io. de Plat. & aliorum firmat idem de Graſſ. ubi ſupra *n.*202. Franc. Marc. *p.*2.185.*num.*1. Decian. *in pr. l.*4. *c.*9. *n.*49. fuitque allegatum ſimile de filio coloni menſæ Epiſcopalis, qui ſi vivat cum patre, gaudet privilegio fori, quo gaudet ejus pater ex ſententia S. Congregationis in Ariminen 13. Iulii 1631. ac alibi.

22 Hinc non obſtat, quod non ſint verè Clerici, atque adeò prima tonſura inſigniti. Tnm quia non gaudent tamquam Clerici, ſed tamquam perſonæ eccleſiaſticæ. Tum quia Converſi Religionis approbatæ non ſunt Clerici, ut optimè docet Menchac alios referens *lib.*3. *controv. illuſt. cap* 105 *n.*51. *& ſeq.* ſed perſonæ eccleſiaſticæ, & tamen gaudent privilegiis eccleſiaſticis. Quod autem jura ſuperius allegata concedant hæc privilegia perſonis eccleſiaſticis, tradunt Sylv. *v. Clericus* 1. *quæſt.*5. Tabien *eod. v.*5. *num.*1. Angel. *eod. etiam v. numer.*29 ſupponentes omnes Clericos eſſe perſonas eccleſiaſticas, licet non è contra. Quare Covar. *quæſt pract. cap.*31. *n.*3. volens probare Clericos primæ tonſuræ gaudere immunitate, ſolùm probat, eos nomine Clericorum comprehendi, quaſi ſupponens, omnes Clericos eſſe eccleſiaſticas perſonas. Tum ita: Omnis Clericus eſt eccleſiaſtica perſona; ſed nomine Clericorum comprehenduntur inſigniti prima tonſura, ut docent Panorm. *de rubr. de vit. & honeſtate Cleric.* Tabien, Sylv. Armil. Angel. *eo verbo*, Turrecrem. *in can. Illud d.*77. Dec. *in capit.*2. *de præb.* & colligitur ex *l. presbyteros*, *C. de Epiſc. & Cler.* ac traditur communiter *in capit. Clerici, in judic.* Ergo gaudent immunitate. Ergo gaudebunt quoque illa Clerici Sylvatici, qui inter perſonas eccleſiaſticas numerantur.

23 Minus obſtat lex novæ recopilationis, ac ſi quæ aliæ. Quia cum hujuſmodi Clericorum exemptio ſit à Romano Pontifice favore Eccleſiarum in vim legitimæ conſuetudinis conceſſa, qui eſt in ſpiritualibus ſuperior omnibus Principibus, nequeunt Principes propriis legibus huic immunitati, propter finem ſpiritualem ejuſmodi Clericis conceſſæ, derogare ut optimè Covar. *l.c.* ac Ledeſm. 2.2.*q.*20. *ar.*4. Vide Medin. *C. de reſtit. q.*15. *poſt pr* Bertachin. *de gabel. pagin.*7. *numer.*12. Felin in *c. Eccleſia S. Mariæ, de conſt. numer.*110. Perez *lib.*4. *ordin. titul.*4. *lib.*23. ac nos alibi.

24 Enimvero fieri poteſt, ut aliquis privilegio, *l.*11. ibi: *præterquam quibus principali beneficio conceſſum eſt, ff. de vocat. & excuſat. mun. l. un. C de iis, qui à Princip. vacat. accep. lib.*10. *l.*17. *§.*3. ibi: *Niſi nominatim eis privilegium id indultum ſit, ff. de excuſ.* Miſinget. *reſp.* 1. *nu.*98. *decad.* 11. Vel præſcriptione ſit immunis. Cujus rei argumentum & exēplum extat inſigne *in l.*1 *in prin. ff. de offic. ejus cui mand. eſt jur.* ibi enim ſi quis præſcriptione temporis immemorabilis, aut quo alio jure immunitatem à collectis adeptus ſit, nec poſtea aliquoties ipſas ſolverit, liber omnino ſit ab hoc onere. Quibus teſtibus adde *l. un. C. de fund. patrim. & argum. l.*4. *C. de præſcript.*30. *vel* 40 Atque hanc ſententiam, quod etiam jure legitimæ conſuetudinis vel præſcriptionis, aliquis immunis eſſe poſſit à collectis & vectigalibus, communi Doctorum voto comprobatam videmus, Bart. *conſ.*59 *num.*7. *lib.*1. Bald. *conſ.*112. *& conſ.* 275. *lib.*2. Panorm. *conſ.*94. *lib.* 1. *& conſil.* 26. *col.* 2. *lib.*2. Paul de Caſtr. *conſil.*313. *lib* 1. Corn. *conſil.*3. *col.* 1. *lib.*2. *conſil.*22. *col.*5. Alex. *conſ.*30 *lib.*5. Rip. *reſp.*4. *num.* 7. *tit. de diverſ. præſcript.* Curt. jun. *conſ.*42. *col. penul. conſ.* 177. *col.*4 Balb. *tr. de præſcript. p.*2. *par.*5. *princ. q.*7. Ruin. *conſ.*217. *lib.*1. Pariſ. *conſ.*69. *num.*7. *lib.*1. Cravet. *conſil.*111. *n.*9. *& ſeqq.* Laur Sylvan. *conſ.*57. *nu.*13. Cæphal. *conſ.*528. *numer.*1. *lib.*51. Natt. *conſil.*446. *numer.*12. *& conſil.*649. *numer.*3. *& ſeq.* Borrel. *conſ.*74. *numer.*53. Covar. *in capit. poſſeſſor malæ fidei tit. de leg. jur. in* 6. *relat.*2. *num.*1. & Myſing. *reſp.* 1. *numer.*54. *decad.*15. Roſenth. *tr. feudal. capit.* 5. *concl.*84. *nu.*2 *&* 3. Bocer. *de jur. collect. capit* 11. *numer.* 61. *cum ſeqq.* A quibus tamen recedunt Natt. *conſil.*226. *numer.*6. Menoch. *conſ.*887 Fab. de Ann. *conſ.*59. *n.*65. Flores de Mena *pract. quæſt.*21. *n.*134. Ac ipſos quoque Principes, Duces, Comites, & Barones præſcriptione legitima acquirere poſſe immunitatem à collectis etiam Imperialibus contra Ægid. Thomat. *de cenſib. patrim. §. exactis eccleſiaſticis perſonis n.*26. *pag.*361. *& ſeqq.* Gaſpar. Rhoeten. *in diſſert. theor. pract. de contrib. concl.*44. *lit. B.* & ſupra adductos tenet Bocer. *d. tr. de jur. collect. n.*80. *& ſeqq.* pro ſe allegans Panorm. *in c. Cum nobis, nu.*11. *extr. de præſcript.* & ibid. Felin Balb. *d. p.*2. 5. *princ. in pr. n.*2. Modeſt. Piſtor. *conſ.*4. *n.*28. *lib.*1.

## CONSULTATIO LXV.

*An cœtus mulierum merè ſæcularium, ſimul in ſeceſſu viventium devotionis, & pietatis cauſa, ſit illicitus, itaut Epiſcopus poſſit eis præcipere vel clauſuram regularem, vel reditum ad proprias domos?*

AFfirmandum omnino videtur. Ut autem diſtinctius & clarius id præſtem juvat obſervare, quod omnes Congregationes mulierum, quæ vivunt in communi, de quibus Sacri Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicæ tractant ad quatuor genera reducuntur. Primùm eſt Religioſarum, profeſſionem emittentium. Hoc tanquam ſtatus perfectionis non ſolum approbatur, ſed conſulitur. Secundum eſt illarum, quæ in ſolemni profeſſione tria vota ſubſtantalia non emittunt, ſed obſervant cum votis, vel ſine votis, quamdam Regulam à Sede Apoſtolica approbatam. Quarum ſicut approbatur Regula, ita etiam & ſtatus. Tertium illarum eſt, quæ ſine Regulæ approbatione ſubjiciuntur obedientiæ alicujus legitimæ juriſdictionis ſpiritualis, quarum exemplum legitur de Canoniſſis *in c. dilecta, de major. & obed.* Hic autem ſtatus toleratur, ſive permittitur, ſed non approbatur, quemadmodum expreſsè declarat textus *in c. Indemnitatibus, §. ſupradicta, de elect. in* 6. *& in Clem. Attendentes, de ſtat. monach.* Quartum vero eſt, de quo nunc agitur, illarum, quæ nedum in profeſſione tria vota ſolemnia non emittunt, neque Regulam habent approbatam, verum neque etiam ſubjectæ ſunt alicui legitimo Prælato, cui promittant obedientiam. Hic autem ſtatus eo periculoſior eſt, quo liberior, ut proinde tanquam ille, qui per omnia ferè tempora graviter Eccleſiam afflixerit, reprobatur, damnaturque, ut videre eſt *in Clem. Cum de quibuſdam, de Religioſis domibus*, in qua regeritur Conſtitutio Clementis V. in Concilio generali Viennenſi emanata, quæ licet loquatur de hujuſmodi mulieribus ſub vulgari Beguinarum nomine, ita denominatis à S. Begga ſorore S. Gelonidis, ſive, ut aliis placet, à Lamberto Bego, Sacerdote Leodienſi, magnæ pietatis viro, nihilominus totum illarum ſtatum his verbis condemnat. *Quæ cum nulli promittant, nec propriis renuncient, neque profiteantur aliquam Regulam approbatam, religioſæ nequaquam exiſtunt, quamquam habitum qui Beguinarum dicitur, deferant, & adhæreant religioſis aliquibus, ad quos ſpecialiter trahitur affectio earundem.* Quod inferius pluries repetit. Etenim quoad errores atque hæreſes condemnatas in eadem Concilio, &, in quas illæ inciderant, habetur ſermo in *Clem. ad noſtram, de hæret.* ac alibi, de quibus etiam agunt Prateol. *v. Beguardi, & Beguinæ*, Sand. *h.* 160. Genebrard. in *Clem. V.* Caſtr. *v. Beatitudo*, & Gualter. in *Tabul. ſecul.* 14. *cap.* 1. Quare hunc verum eſſe præfatæ Conſtitutionis ſenſum non ſolum colligitur à Gloſſa ibi,

v. *Obedientiam*, & ab Extravagante declaratoria Joannis XXII. præſertim ex illis verbis: *Porro mulieres quodcumque nomen habentes, quæ, &c. vere ſub prædicta volumus remanere cenſura*; ſed etiam expreſsè declaratur in Conſtitutione ſa. mem. Urbani VIII. quam inferius adducam.

2 Et quanquam Joannes XXII. declarans Conſtitutionem Clementis, voluerit, quod non comprehendantur, ſed tolerentur illæ, quæ vitam honeſtam, ac laudabilem ducerent, quæque etiam haberent cæteras conditiones in *cap. un. de relig. domib.* expreſſas attamen attenta diſpoſitione Clementis, in qua illarum abolitionem decernit atque etiam Conſtitutione declaratoria ejuſdem Joannis apparet manifeſtè, quod ejuſmodi tolerantia ſuffragari ſolummodò poſſit mulierum Congregationibus, jam erectis, non autem erigendis contra mentem Concilii generalis, quæ fuit, ut omninò ejuſmodi ſtatus aboleretur.

3 Atque hæc planè videtur eſſe antiqua mens Gloſſæ *in capit. ult. 12. q. 5.* & in eadem *Clem. Attendentes*, dum loquitur de Canoniſtis. Quod quidem ignorare non poterat, à ſacris Canonibus permiſſas fuiſſe. Idque ipſum confirmatur ex obſervatione Sedis Apoſtolicæ in cauſa Ieſuiciſſarum, maturè agitata in S. Inquiſitione ſub Urbano VIII. qui in hunc quoque ſenſum eamdem Clementinam in ſua Conſtitutione ſuppreſſionis declaravit his verbis: *Licet autem orthodoxis Lateranenſis, & Lugdunenſis Conciliorum generalium ordinationibus diſtrictè prohibitum eſſet, ne quis nova Religionis inſtituendæ authoritatem ſibi arrogare præſumeret, pariterque fel. rec. Ioannes XXII. virorum, & piæ mem. Clementis V. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſalutaribus Conſtitutionibus mulierum cœtus authoritate privata, & de facto inſtituti, tamquam exitioſi palmites damnati, & ſublati fuiſſent, & nihilominus* &c. Ex quibus verbis, atque ex his aliis: *Eorumque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes* &c. liquet, qua ratione, quove fundamento cauſa illa graviſſima fuerit determinata in Conſtitutione Clementis, cum inter tot, tantaſque Conſtitutiones Conciliares, & Pontificia, dumtaxat Vrbanus quoad hoſce mulierum cœtus in Conſtitutione ſua mentionem fecerit.

4 Idipſum etiam in S. Congregatione Concilii Tridentini moris eſt ac religioſè obſervatur in S. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, ut conſtat ex ejus literis datis Archiepiſcopo Florentino ſub die 21. Auguſti 1636. in quibus ei præcipitur ejuſmodi cœtus diſſolutio, ſuaviter tamen, & paulatim, licet in ea Civitate magnæ exiſtimationis eſſet. Tenor autem literarum eſt hujuſmodi *Queſti eminentiſſimi miei Signori udita la relatione, che V. S. ne ha dato con la ſua delli 2. del preſente intorno alla caſa delle zitelle, che vivono ſotto la cura di Donna Fauſtina Mainardi vedova, mi hà ordinato di replicarle, che rimettono all'arbitrio, e prudenza di V. S. il diſmettere à poco à poco tale adunanza di zitelle per le cauſe da lei avviſate, potendoſi ſimili luoghi pii erigere per eſſer contro la diſpoſitione fatta in tal propoſito dalla felic. memor. di Pio V. onde potrà pigliarne in ciò quella riſolutione &c. e Dio &c.* Ex quibus dignoſcitur, quid hac in re Sacra Congregatio ſentiat, nimirum Conſtitutionem Pii V à majoritate fortè rationis comprehendere etiam hos cœtus, ac ulterius, quiquid ſit de modo procedendi contra jam erectos, prohibere abſolutè novam illorum erectionem, quemadmodum etiam dictam Conſtitutionem accipiunt ex recentioribus plerique graves Auctores, qui ſpeciatim adducunt declarationem S. Congregationis Concilii ſub die 22. Januarii 1596. & in una *Mediolanen.* die 16. Aprilis 1591. ubi remittitur arbitrio Archiepiſcopi prohibitio hujuſmodi veterum, ac puellarum ad proprias domos remiſſio, applicando domum, & alia bona communia alicui pauperi Monaſterio. Et ad Ieſuitiſſas pertinere videtur quod habetur in Sac. Congregatione Epiſcoporum in *Bononien.* 7. Martii 1617. & in *Foroſempronien.* 11. Auguſti ejuſdem anni, nempè quod Jeſuitis mandatum fuit, ut remitterent ad domos ſuas quaſdam mulieres, & virgines eorum opera, & ſub eorum cura in quandam domum ad ſimul vivendum coactas.

Et quidem id anteà veritum fuerat in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. relato *in cap. ult. de relig. domib.* 5
in quo non ſolum prohibetur fundatio novæ Religionis ſed etiam novæ domus religioſæ hunc in modum: *Firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat*, & mox: *Similiter qui voluerit religioſam domum de novo fundare, & Regulam & inſtitutionem accipiat de approbatis*, ubi Gloſſa v. *novam Religionem* ex utroque jure optimas rationes adducit. Quod etiam docet *in cap. un. v. præſumtuoſa, eod. tit. in 6.* referens, idem ſentire Concilium Lugdunenſe in eo textu deductum.

Hujuſmodi autem mulierum cœtus eo magis comprehendi videntur in Conſtitutione Clementis V. quo eis deficiunt qualitates ab Joanne XXII. requiſitæ, inter quas prima eſt, ne ſint ſuſpectæ. Redduntur autem ſuſpectæ vel ex eo ſolum, ſi extra Civitates inhabitent, tamquam pluribus periculis expoſitæ. Vnde S. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regular.* decernit, reductionem Monaſteriorum Monalium intra Civitates, & tamen illa & ob clauſuram, & propter alias rationes minus ſuſpecta ſunt. Secunda vero qualitas eſt, ut ſint ſub aſſidua, ac vigili cuſtodia Ordinarii, ſive alterius, ad quem ſpectat, ac propterea juxta Conſtitutionem Joannis XXII. requiritur, quod præſtent obedientiam eidem Ordinario. 6

Poterit igitur Ordinarius ejuſmodi mulierum cœtus ſupprimere, vel eis perfectam clauſuram præcipere, idque non ſolum ex adductis, verum etiam quia certum eſt, has mulierum Congregationes ſubiici juriſdictioni eccleſiaſticæ, atque adeo ordinariæ ex perſpicua diſpoſitione Sacrorum Canonum, ac nominatim ejuſdem Clement *Attendentes*, & *cap. un. de relig. domib.* ubi curæ, ac vigilantiæ Ordinariorum commendantur, atque ſubjiciuntur. 7

Nihilominus hac in re primo tenendum eſt, non poſſe Ordinarios hoc judicium incipere à præcepto. Eſſet enim notoriè nullum, ac evidenter injuſtum, atque adeò nullatenus officeret, poſſetque impunè ſperni; Jaſ. in *l. Nec quidquam nu 5. & 6. ff. de offic. Proconſul.* Anchar. *conſ. 111. num. 3.* Magon. *deciſ. Lucenſ. 15 n. 1.* Rot. *dec. 30. n. 3. propè fin. p. 4 rec.* Nullitas quippe reſultaret ex eo, quod ejuſmodi præceptum relaxaretur, nulla præcedente citatione, cum non liceat judicare niſi legitimè citatis iis, quos negotium vel cauſa tangit, ut in puncto Bald. *conſ. 434. in princ. lib. 3.* Sylvan. *conſ. 27. num. 9. & 10.* Anchar. *conſ. 297. in fin. num. 12.* Feder. de Sen. *conſ. 251. n. 2.* Rot coram Buratto *dec. 951. n. 2.* Nec poſſet prætendi, quod illud habeat vim citationis, ſi deficiat clauſula, Si quis ſe gravatum ſenſerit, quæ neceſſario requiritur, Jaſ. *in d. l. Nec quicquam num. 6* Saluſt. *in prax. p. 2. cap. 4. n. 48.* Vermigl. *conſ. 111. num. 2.* Rot. coram Buratto *d. dec. 951. nu. 4. in fin.* & coram Gregorio *dec. 105. n. 8. & in recent. dec. 185. nu. 3. p. 2. & dec. 30 n. 3. p. 4.* 8

Secundo tenendum eſt ejuſmodi mulierum cœtus non eſſe illicitos, ac proinde Epiſcopum non poſſe illis præcipere clauſuram regularem, ut reditum ad proprias domos. Nam licet ſint inſimul congregatæ, & honeſtam ac exemplarem vitam ducant, attamen non ſunt Moniales, nec Tertiariæ, nec perſonæ eccleſiaſticæ, dum earum Congregatio non eſt fundata authoritate Ordinarii nec habent Monaſterium, aut Eccleſiam, aut Campanile, non deferunt habitum monachalem, & uniformem, non emittunt aliqua vota, non ſunt addictæ alicui Regulæ Religioſorum, ſed à proprio Parocho ſacramenta recipiunt quemadmodum aliæ perſonæ ſæculares, ideòque & ipſæ ſunt ſæculares, nec Epiſcopi juriſdictioni ſubſunt. 9

ſubſunt. Ita firmant Menoch. *conſ.* 984. Tondut. *pag.* 1. *qu.beneſ.cap.*112.*num.*15.Cyriac.*contr.*504.*num.*9.*& ſeqq.* Sanfelic.*deciſ.*219.*numer.*10.& Donat.Anton. de Marin. *reſol.*219.*n.*2.*& ſeqq.* loquens de hujuſmodi Conſervatoriis, ac Domibus puellarum, non fundatis authoritate Ordinarii, ſed ſub immediata protectione Regia exiſtentibus. Niſi enim de dictis requiſitis evidenter apparet, tales Congregationes in dubio præſumuntur ſæculares, erectæ ſine Pontificis, vel Epiſcopi authoritate, Ricc.*in collect. dec.pag.*5. *dec.*1886.*in princ.* Barboſ.*in collect.jur. canon.in cap. Ad hæc,in fin.de rel.dom* Ratio autem generalis eſt,quia, ut quis eximatur à juriſdictione laicorum, debet ſe ſubiicere ordini clericali, vel Regulis Religionis approbatæ, Abb.*in cap.*2.*num.*10. *de for.compet.* Sperell. *dec.*2.*nuas.*105. *&* 112. Etenim tunc quis efficitur, & appellatur religioſus, quando ſolemniter in aliqua approbata Regula emittit ſubſtantialia vota Religionis, *cap. Porrectum. de Regular.*Felin. *in cap.Eccleſia S.Mariæ num.*1.*&* 2.*de conſtit.* Abb.*in cap.cum dd Monaſterium n* 7.*de ſtat. Monach.*Navat.*conſ.*9.*nu* 10.*de ſtat. Monach.lib.*3 Menoch.*ubi ſupra num.*6.*&* 8. Sunt igitur perſonæ merè laicæ & ſæculares, atque adeò ſubſunt juriſdictioni Principis, & Judicis ſæcularis, ut latè Menochius, Cyriacus,& Sanfelicius locis adductis,ac Redoan. *de reb.Eccleſ.non alienan.q.*49.*num.*6.*& ſeqq.&* faciunt tradita per Ricciul.*Incubr.Eccleſ.lib.* 4. *capit.* 11. *numero* 4.*&* 5.

10 Nec hujuſmodi Mulierum Collegium, in quo convivunt, eſt locus eccleſiaſticus, aut pius. Nam fuit erectum aut inſtitutum abſque auctoritate Ordinarii,ex qua ſola Collegium & locus redditur eccleſiaſticus,aut pius. Neque ſatis eſt ad hunc effectum, quod in eo exerceantur opera pietatis, & celebretur Sacrificium Miſſæ. Hæc enim non faciunt, ut hæ mulieres cenſeantur Religioſæ, neque ex his ſequitur, quod ab illis inſtitutus ſit Ordo religioſus, aut eccleſiaſticus, ſed tantùm honeſtus modus vivendi, cùm earum domus deputata non ſit cultui divino perpetuo, ſitque merè prophana, quam poſſunt deſerere,ac vendere ad ſui libitum, ac proindè Epiſcopus in ea non habet inſtitutionem, neque deſtitutionem, nec ullam penitus juriſdictionem,ut præter allegatos tradunt Abb. in *cap.Ad hæc. num.*2. *de relig. domib.* Cardinal.*conſ.*11.*num.*2. *in fin. & num.*3. *& ſeqq. & conſ.*13.*n.*2.*&* 3.Bald.*in auth. Hoc jus porrectum n.*11.*C.de ſacroſ.Eccleſ.& conſ.*134.*lib.*2.*& conſ.*162.*numer.*4. *lib.*5. Burſat. *conſ.*55.*n.*14.*lib.*1.Capr.*conſ.*54. *num.*10. Io.Franc. à Ponte *conſ.*18.*num.*1.*& per tot.lib.*1.Ricciul. *loco citat. lib.*4.*cap.*11.*nu.*4.*&* 5. ac fusè Redoan.*d.q.*49.*à n.*6 Rot. *diverſ.dec.*574. *num.* 6. *p.*1. aliique congeſti in Mediolanen. bonorum 18. Martii 1648. §. *Tandem coram Bichio*, & 31.Maii §.*ſiquidem* coram Card. Cortano, & ſignanter Sanfelic. *d.deciſ.*219. *num.*10. Donat. Anton. de Marin.*ea reſ.l.*179.*num.*1.*& ſeq.lib.*1.Thom. del Bene *de Immun.Eccleſ.p.*2.*c.*16. *dub.*9.*ſect.*13. Qui omnes ex hoc inferunt, quod hujuſmodi Conſervatoria mulierum non gaudent immunitate eccleſiaſtica,nec privilegio fori,nec ſubſunt Ordinariis,quibus neque juriſdictio viſitandi, & exigendi procurationem competit, *cap.fin. de cenſib.* & ibi Abbas.

11 Sola enim cohabitatio, & convictus ſæcularium,dum non eſt ad malum finem, nec aliqua mala inde ſequuntur, de jure non prohibetur, alioquin tolleretur humana ſocietas. Et licet Congregationes de jure videantur prohibitæ in *l.*1.*& toto tit.ff.de Colleg. illic.* Tamen, ultra quod ejuſmodi prohibitiones non comprehendunt cœtus, qui fiunt cauſa pietatis, ut in eadem *l.*1. ibi: *ſed religionis cauſa*, ibique Bartol. *in* §.*ſodales nu.*6. Gloſſ. *in lib.*1.*ſub princ. verb. aliorum*, *ff. quod cujuſque Univerſitatis*, id non pertinet ad Judicem eccleſiaſticum, niſi tales Congregationes committerent peccata ſpectantia ad forum pœnitentialem, & eccleſiaſticum,Io.Andr. *cap.*1.*in princ.* & ibi Gemin. *numer.*7. *de cenſib. in* 6. & docent Menoch. Cyriac. & Sanfelic. *locis adductis*; ſed ſpectat ad Principem, ac Judicem laicum, cui ſimiles perſonæ ſubjectæ ſunt, cùm propter hos cœtus,& Collegia perſonæ ſic cohabitantes, & conviventes non deſinant eſſe laicæ. Quod etiam locum habet, quando ejuſmodi perſonæ eligunt ſibi aliquem in Superiorem, eique obedientiam promittunt. Quoniam hinc non reſultat, quod ipſæ efficiantur religioſæ, aut eccleſiaſticæ, nec quod dicatur ab iis conſtitutus aliquis Ordo religioſus. Nam quando plures in unum corpus, & communitatem coeunt, unique conferunt poteſtatem ad illam regendam etiam in ſpiritualibus, ii quidem tenentur illi obedire quandiu ſunt pars talis Communitatis. At hæc poteſtas non eſt ſpiritualis, ſed politica, prout eſt poteſtas omnium Principum ſæcularium. Ideòque non poteſt per eam talis Superior propriè repræſentare Chriſtum, nec ejus vices gerere, ut ſcitè Leſſ.*de juſt.& jur.lib.*2.*cap.*41.*num.*11. quem ſequitur Pelliz.*in man. Regular.to.*1.*tr.*1.*cap.*1.*num.*10.*in fin.* & latè Navar. *conſ.*6. *n.*20. *de ſtat. Monach.lib.*3.

Hæc igitur Collegia, tamquam ordinata ad laudabiliter, ac piè vivendum, atque ſe exercendum in operibus pietatis, & religionis licita ſunt. Quod de jure dubitari non poteſt ex deductis in *d.l.*1.*ff. de Colleg. illic.* Innoc. *in cap.dilecta, nu.*1.*& ſeqq.de exceſ. Prælat.*Bald. *in auth.habita nu.*80.*& ſeqq.C.ne filius pro patre,collat.* 18.& in ſpecie de Collegio mulierum Bart.*in d. l. ſodales, n.*16.Soccin.ſen.*in d.cap.dilecta num.*39.& Cyriac.*d. controv.*504.*nu.*36.Menoch. *d.conſ.* 948. *num.* 36. Comprobaturque tum ex jure Canonico in ea *Clem.un.de relig.domib.* §.*Sanè*, ibi: *Sanè per prædicta prohibere nequaquam intendimus, quin ſi fuerint fideles aliquæ mulieres, quæ promiſſa continentia, vel etiam non promiſſa, honeſtè in ſuis converſantes hoſpitiis pœnitentiam agere voluerint,& virtutum Domino in humilitatis ſpiritu deſervire, hoc eiſdem liceat, prout Dominus ipſis inſpirabit*; tum etiam à praxi; cùm in pluribus Civitatibus adſint ſimilia mulierum Collegia, quæ numquam fuerunt habitæ pro religioſis, ſed pro ſæcularibus, ac vixerunt, & vivunt ſub juriſdictione Principum ac Judicum ſæcularium, non autem eccleſiaſticorum. Ea dinumerat Menoch. *d.conſ.*984.*n.*17.*&* 18. Cyriac. *ſua controv.*504.*n.*8. De Marin.*ead.reſol.*179.& Sanfelic.*d.dec.*219. *nu.*10. Siquidem nemini ſua bonitas nocere debet, & collegialiter viventes melius faciunt, quàm aliæ habentes majorem libertatem. 12

Neque his adverſatur eadem Clementina *Cum de quibuſdam, de relig. domib.* Etenim in prima ſua parte reprobat ſolas Beguinas, & proinde ex hac ſpecialiſſima diſpoſitione in caſu particulari non rectè deducitur univerſalis prohibitio cujuſvis ſtatus pœnitentialis contra mentem expreſſam ejuſdem Pontificis Clementis V. qui *ſubſequenti* §.*Sane* apertè declaravit ſuperiorem prohibitionem reſtringi ad ſolas Beguinas,dum cæteroqui mulieribus licitum eſſe voluit pœnitentiam agere, & Deo ſervire honeſtè in propriis hoſpitiis convivendo. Quinimmò condemnatio,de qua *in d.Clementina* fit ſermo, reſpicit ſolas Beguinas, quæ Inſtitutricem habuerunt Margaritam Porretam, non autem aliàs à S. Begga, vel à Lamberto Bego denominatas, quæ piis moribus, ac inſtitutis floruere. Nec comprehendi ſub dicta ſententia Clementis, & Concilii Viennenſis teſtatur Joannes XXII. in Extravag.quæ incipit *Ratio recta,de relig.dom.* ut benè, ac latè proſequitur Giballin. *de clauſur.Sanctimon. diſquiſ.*1.*cap.*3.§.2.*conſect.*6. ubi quod ſtatus harum Beguinarum perſeveraverit, & adhuc floret in Belgio, & quod cæteræ Beguinæ honeſtè viventes etiam collegialiter non comprehendantur *in d. Clement.* 1. nec ſint moleſtandæ per Ordinarios tradit Barboſ. *in extr. un.de relig. domib.* Filiuc. *tom.*2. *tr.*14. *numer.*74. & anteà dixerat Butr. *in cap.*2.*numero* 3.*de for. comp.* Felin. *in cap.Ad audientiam nu.*2.*in fin.de præſcrip.* Abb. *conſ.* 55. *lib.*1.*num.*4. & declaravit Benedictus XXII.in d. Extr.his verbis: *Nec ſuſpectas ſub prohibitione & abolitione* 13

*præmiſſis, quia de ipſis Prædeceſſor noſter præfatus nullatenus intellexiſſe dignoſcitur, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus, & volumus non includi.* Etſi enim in dicta Extravaganti dicat Summus Pontifex, quod præfatum approbare non intendit, attamen hoc intelligitur, quod cum non approbat tamquam religioſum, ſed benè approbat tamquam licitum, pium, & laudabilem, ut hunc locum explicat Giballin. *de clauſur. diſq.* 1. *capit.*3. §. 2. *conſect.*4. *numero* 9. & Menoch. *d.conſ.*984 *num.* 7.

14 Vlterius dictæ Beguinæ in ea Clementina damnantur, non ratione ſtatus, ſed morum. Eò quòd ſub ſpecie religionis, & velamine ſanctitatis multa illicita committebant. Adhærebant enim quibuſdam Religioſis, ad quos ſpecialis illarum trahebatur affectus, & diſputando fidei introducebant opiniones catholicæ veritati contrarias, multos etiam inducendo in proprios errores, ut patet ex textu, & ibi notat Ancharanus, & Sayrus *de cenſur. lib.* 3.*cap.*33.*num* 33. Et ſic abolitio ibi ſtatuta fundatur in illicitis operibus, quæ diſſolutionem, ac deſtructionem cujuſcumque Collegii valent operari, cum per ea quodcumque Collegium, etiam ab initio licitum, reddatur illicitum, ut firmat Innoc. *in d.c.dilecta*, *n.*2.*de exceſſ.Prælat.* Bart. *in d.l.ſodales n.*1.*ff.de Colleg.illicit.*

15 Ac præterea dicta Clementina de illis Beguinis, quæ in habitu regulari incedebant, & viventes collegialiter in Religione ordinem religioſum profitebantur. Quo caſu veriſſimum eſt, quod intrat authoritas Summi Pontificis, & ordinarii ad effectum prohibendi, ac diſſolvendi hujuſmodi ordines religioſos, à Sede Apoſtolica non approbatos. At quando mulieres non aſſumunt habitum religioſum, nec aliquam Religionem profitentur, aut vota emittunt, ſed laicaliter vivunt in ſuis domibus privatis, non ſolùm dicta Conſtitutio non obſtat, verùm etiam id permittit, ut in ea legitur §.*Sanè.* Quod etiam de jure novo conceſſum videmus mulieribus Tertiariis, & Oblatis, quæ ſi non emittunt vota, nec habent alia requiſita à Conſtitutionibus Apoſtolicis, non dicuntur perſonæ eccleſiaſticæ, nec ſubſunt Epiſcopo, ſed ſunt ſubjectæ Iudici ſæculari, juxta decretum Sac. Congregationis relatum è Barboſ. *de jur.Eccleſ.p.*1.*cap.*39. §. 2.*ſub num.*44. ubi enumerat ſeptem requiſita dicens, quod eorum concurſus copulativè requiritur, adeout ſi unum dumtaxat ex illis deficiat, non ſit ſatis alia concurrere. Quod tradunt etiam Lezan. *in qq.regular.pag.*2.*capit.*8. Novar. *in Lucern.Regul.v.Oblati num.*1. *ac nos in* 1.*tom. conſult.*

16 Ita etiam Conſtitutio Clementis V. in *Clem. ult.*§. *Illas quoque, de ſtat. Monach.* loquitur de quibuſdam mulieribus, quæ olim Canoniſſæ appellabantur, & ſeſe juriſdictioni, ac poteſtati Iudicis Eccleſiaſtici ſubjecerant, ordinemque religioſum profitebantur. Noſtræ verò mulieres ſunt merè ſæculares, & laicæ, nullumque ordinem, ac ſtatum religioſum profitentur; ideòque caſus dicitur toto cœlo diverſus. Quod etiam obſervat Menoch. *d.conſ.*948.*n.*15.

17 Hinc Doctores, qui in contrarium adduci poſſunt, loquuntur de præſumentibus inſtituere novas Religiones, non autem quando mulieres honeſtè, ac laudabiliter vivunt in ſtatu laico, nec ullum novum ordinem regularem inſtituere, aut domos religioſas fundare intendunt. Nam nulla adeſt prohibitio, nec juriſdictio Iudicis eccleſiaſtici.

Minus adverſatur *cap. Ne nimia, de religioſ.domib.* in quo prohibetur erectio novæ Religionis ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ. Nam dum ſub ea diſpoſitione non comprehenduntur illi, qui ſtatum etiam cum votis ſimplicibus inſtituunt, cùm hic ſtatus non ſit religio, ſed modus vivendi hoeſtus; ut declarant Rodrig. *qq.regul.lib.* 3.*q.*48.*ar.*4. & Barboſ. *in d.cap. Ne nimia num.* 3. multò minus ſub illa continebuntur perſonæ merè ſæculares inſimul viventes in habitu ſæculari, & privata domo ſine ullo voto.

Nec pariter obſtat Conſtitutio 8. Pii V. ubi committitur Ordinariis cura mulierum, quæ Tertiariæ, ſeu de Pœnitentia nuncupantur cujuſcumque fuerint Ordinis in congregatione viventes. Quia loquitur de illis Tertiariis, quæ vota emiſerunt ſolemnia, vel ſaltem non ſolemnia, ſeque alicui Ordini, vel Religioni addixerunt, geſtando habitum, & recognoſcendo Superiores, qui in eadem Conſtitutione §. 3. *& ſeqq.* ſemper nominantur una cum Ordinario. Et propterea nil mirum, ſi tales perſonæ uti religioſæ, vel pro religioſis ſe gerentes juriſdictioni Ordinarii ſubjectæ intelligantur. Secus autem eſt in iſtis ſæcularibus mulieribus ſine votis, ſine adhæſione alicui Regulæ, ſine habitu, & ſine Superioribus. Nulla enim Conſtitutio aptatur illis, quibus illius verba non aptantur, *cap.indemnitatibus* 43.§.*ſupradicta, de elect.in* 6. Navar. *d.conſil.*6.*numer.*2.*& conſ.*7.*num.*3.*de ſtat.Monach.lib.*3. Quare in Conſtitutione Pii præcipiente clauſuram non comprehendi has mulieres latè in fortioribus terminis probavit Navar. *d.conſ.*6.*lib.*3. *de Regular.* ubi loquitur de Oblatis Turris Speculorum, & plures ponderat rationes hujus concluſionis Menoch. *d.conſ.*948. *numer.*36. Sanch. *in præcept.decal. tom.*2. *lib.*6. *capit* 15. Bonac. *de clauſur.quæſt.*1. *pun.*2.*nu.*4.*tom.*3. Azor. *inſtit. moral.tom.*1. *lib.*3. *cap.*9. *quæſt.*5. Tambur. *de jur. Abbatiſ.diſp.*18.*quæſt.*5. *numer.*4. Candid. *diſquiſ.moral.tom.*4. *de rect. regim.Sanctimonial. diſq.*5. *art.*5. *dub.*2. *numer.*2. Thom. del Ben. *de immun.cap.*19. *dub.*5. *numer.*10. *&* 11. *tom.*2. Giballin. *de clauſur.d.diſquiſ.*1.*cap.*3.§.2. *num.*10. *conſect.*4.*&* 6. *in fin.* ac Barboſ. *in Clem.*2.*de ſtat.monach. num.* 5.

Tandem non obſtat diſpoſitio S. Concilii Tridenti- 19
ni *ſeſſ.* 25.*cap.*5. *de Regular.* Tum quia loquitur de Monaſteriis Monialium, quales non ſunt ſæculares mulieres. Conſtitutio enim de Regularibus extendi non debet ad ſæculares, Navarrus *d.conſ.*6. *numer.* 8. Rodrig. *qq. regular.tom.*2.*quæſt.*54.*ar.*6. Tamburin. *de jur. Abbatiſ.diſp* 30.*quæſt.*2.*num.*5. Tum quia loquitur in caſu, quo Moniales eſſent expoſitæ, vel latronum, vel hoſtium incurſibus, Barboſ. *ad eundem locum Concilii num.*126. *& de jur. eccleſ. lib.*1.*cap.*12. *num.*63. quod non contingit in hoc caſu. Quare ceſſante hac neceſſitate, ceſſat pariter ejuſdem Concilii diſpoſitio, Fagnan. *in cap. Recolentes numero* 52. *de ſtat. monach.* Neque itidem refragatur *cap.*8 *ſeſſ.*22.*de reform.* permittens Ordinariis viſitare etiam Congregationes, & Confraternitates laicorum. Nam id non permittitur abſolutè, ſed ſolùm in caſibus à jure conceſſis, & juxta ſacrorum Canonum ſtatuta. A jure autem communi non eſt conceſſa facultas Epiſcopis viſitandi Congregationes, & loca ſæcularium, niſi quando ibi divina celebrantur, idque ut videant, an ritè ac rectè cultus divinus ſervetur, vel quando agitur de aliquo errore concernente forum pœnitentialem.

Atque hinc evertitur motivum deductum tam ex abo- 20
litione Ieſuitiſſarum, facta per Urbanum VIII. quàm ex abolitione Conſervatorii Fauſtinæ Mainardæ. Primæ enim prætextu ſtatus, ac vitæ regularis ducendæ ſpecialem uſurpaverant habitum, ædificia in Monaſteriorum, & Collegiorum formam, ac Domos probationum erexerant, in eiſque inſtituerant Præpoſitam generalem, in cujus manibus tria Religionis vota eſſentialia emittebant, ad libitum divagabantur, multaque alia modeſtiæ muliebri, ac virginali pudori minimè convenientia attentabant, exercebantque, ut patet ex eodem ſuppreſſionis diplomate, quod refert Tamburin. *de jur. Abbatiſſ. diſp.*7. *q.*11.

Secundæ verò, viliſſimæ conditionis fœminæ ob il- 21
licita opera perpetrata, quæ concernebant forum eccleſiaſticum, reddiderant illicitum ſuum Collegium, & proinde jure abrogatum, ſuppreſſumque fuit. Non autem idcircò debent prohiberi licita ſub prætextu, quod poſſint committi illicita, Cavaler. *dec.*286.*n.*5. Et licet in litteris S. Congregationis addatur, quod ſimilia loca pia

non

non poſſunt erigi, uti contra diſpoſitionem Pii V. nihilominus hoc intelligendum eſt in ea parte, in qua Pius V. mandat, ut ſcandaloſè viventes ſeveriſſimè puniantur. Ultra quod ibi præſupponitur, quod eſſet locus pius, cùm tamen noſtrarum mulierum talis non ſit, uti carens requiſitis, de quibus per Rot. in d. Mediolanen. bonorum 19. Martii 1648. §. *Tandem non obſtat*, coram Bichio.

23 Verùm data etiam competentia juriſdictionis, juſtè non poterit his mulieribus Ordinarius præcipere vel arctiorem vitam, vel diſſolutionem Collegii. Nam quoad primum, licet aliquando permiſſum ſit imponere Regularibus ſeveriorem vivendi modum, ſæcularibus tamen, quales ſunt hujuſmodi mulieres, id ordinari non poteſt, Navar *d. conſil. 6. num.* 8. Quod autem ad ſecundum ſupponuntur aut prætenſa introductio novæ Religionis, aut opera illicita, concernentia forum eccleſiaſticum, per quæ Collegium redditum ſit illicitum. Quorum neutrum in hoc caſu conſideratur. In omnem verò caſum non debent Epiſcopi hac in re ſimpliciter, & abſolutè hiſce mulieribus præcipere clauſuram, ſed eas ad illam hortari. Quod ſi hujuſmodi conſilio acquieſcere noluerint, illis dumtaxat prohibeant, ne impoſterum alias mulieres accipiant, quemadmodum dicta Conſtitutio Pii V. diſponit, ac notant Tambur. *de jur. Abbatiſſ. diſp* 18. *qu.* 5. *num.* 2. Sanch, *in decal. d. lib.* 6. *cap.* 15. *nu.* 4. Rodrig. *tom.* 4 *qu. regul.* 44. *ar.* 3. Bonac. *de clauſul. qu.* 1. *pun.* 2. *num.* 43. Gibellin. *d. diſp.* 1. *cap.* 3. §. 2. *conſect.* 7. Lezan. *to.* 1. *qq. regul cap.* 25. *num.* 17. Navar. *in comm.* 4. *nu.* 45. *de regular.* Paſſerel. *in compend. privileg. Minim. cap.* 25. Llamas *de method. curat. in append.* §. 1. aliique. Nam illæ dumtaxat mulieres clauſuræ legibus comprehenduntur, quæ in Religione approbata tria vota ſubſtantialia emittunt. Omnia enim jura, quæ clauſuram præcipiunt, uti ſunt Conſtitutio Bonifacii VIII. quæ incipit *Periculoſo*, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25 *de Regular. cap.* 9. Conſtitutiones Pii V. & Gregorii XIII. expreſſè limitant ſuum præceptum ad profeſſas tacitè, vel expreſſè, & ad proprias Religioſas tantùm. Quapropter licet hæ mulieres ſint per votum virginitatis Deo conſecratæ, vivantque collegialiter, atque ſub obedientia vel ſpontanea, vel etiam privato voto, aut pacto promiſſa, niſi tamen habuerint ſtatum ab eccleſia pro religioſo approbatum, & in eo tria vota ſubſtantialia emiſerint, non obligantur præcepto clauſuræ, ſed ſolùm ad obſervantiam Conſtitutionis Pii V. unde Sac. Congregatio Concilii die 15. Ianuarii 1663 in una Florentina puellarum Montalvæ, cenſuit, citra approbationem actus, hujuſmodi puellarum Congregationem in hac ſpecie poſſe ſuſtineri.

24 Quæ ſententia, licet vera ſit, nihilominus adverto, quod tantùm abeſt, quod Eccleſia velit acquirere novam juriſdictionem in ejuſmodi mulieres, ut prohibendo earum cœtus, illoſque diſſolvendo præcipiat ipſarum reditum ad earum domos, ibique vivere tanquam ſæculares. Quod ſi interdum in aliquo caſu & tempore eas tolerat abſque approbatione, tunc rationes, quæ illam moverunt ad prohibendum earum ſtatum periculoſum, ipſam adſtringunt, ut quoad poterit, iis periculis proſpiciat, quæ non ſolùm morum pravitatem, ſed etiam falſas doctrinas, atque hæreſes præſeferunt. Quod quidem aliter fieri nequit, niſi illas ſubiiciendo paſtorali curæ, ac vigilantiæ Ordinariorum, à quibus liberum, atque integrum eis eſt, ſe eximere redeundo ad proprias domos, ad quas ipſa Eccleſia revocat. Et certè ingens præjudicium, ac pernicies catholicorum moribus ac religionis puritati inferretur, ſi hujuſmodi mulierum Congregationes ipſarum diſcretioni, aut laicorum regimini relinquerentur. Atque ideò Eccleſia pietate ſumma, pariq; vigilantia ſuis opportunis ordinationibus diſtrictè ſolicitudini Epiſcoporum hanc Provinciam demandat. Neque hac in re locum habent conjecturæ illæ, videlicet, quod hę mulieres non habeant monaſterium, aut campanile, neque inſtitutæ ſint auctoritate Ordinarii, & id genus alia, congeſta à Menochio, aliiſque Doctoribus laicis, juriſdictioni eccleſiaſticæ vel exoſis, vel parum æquis. Nam procedunt in materia Sodalitatum ſæcularium, non autem in hac re graviſſima totque diſcriminibus plena, pro qua tot, tantæq; Conſtitutiones Apoſtolicæ, Sacrarumque Congregationum extant decreta, quæ ita in terminis loquuntur, ut nullatenus extranearum rerum argumenta in contrarium admittant.

Pervetuſta, & Apoſtolica vox illa eſt: *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate, utrum ex Deo ſint. Quoniam multi pſeudo prophetæ exierunt in mundum*, Jo. *ep.* 1. *cap.* 4 *n.* 1. 25

Quare cavendum maximè, ne novæ Congregationes 26 prætextu pietatis, vel alterius cujuſque boni ex quo poſſit incommodum aliquod ſuboriri, vel onus Reipublicæ chriſtianæ, coaleſcant, vel inſtituantur, atque adeò principia ipſa reſcindenda.

Reprobandæ novæ Congregationes fœminarum ob 27 earum præſumptionem temerariam, quæ habet crimen. Siquidem prohibentur Sacroſanctis Conciliis tamquam ambitioſæ, importunæ, ac temerariæ, hæreſeſque ferè omnes propagatæ fuerunt per hujuſmodi fœminas ſpecie ſanctitatis. Quod præter recentiora exempla, pluribus notat D. Hieronymus ad Cteſiphontem *tom.* 2. *Religionis cauſa coire*, inquit Marcianus Iuriſconſultus in *l.* 1. *de colleg. illic. non prohibentur homines, dum tamen non fiat contra Senatuſconſultum.* Quid eſt autem contra Senatuſconſultum convenire? Nempè ſi ſine permiſſione Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii conveniant vel privatim, vel publicè. Cùm Religionis cura munus ſit planè eccleſiaſticum.

Confuſionem infert Reipublicæ, qui uſurpant ejuſdem 28 religioſæ vitæ formulam, & talem tamen non eſſe, ſed purè laicam. Quamobrem in Concilio Toletano 4. *c.* 52. & in *cap. ut Clerici, de regul.* cautum eſt, ut Clerici qui ſe fingunt habitu, & nomine Monachos, & non ſunt, cogantur, ut veri Clerici. Scriptum enim eſt in lege divina Deuter. 22. *Non eſt in bove, & aſino arandum, nec quemquam debere induere veſtem de lana, linoque contextam.*

Hæc, atq; ſimilia viris cordatis conſideranda relinquo. 29

## CONSVLTATIO LXVI.

*An ſuſcipiens primam tonſuram ab alieno Epiſcopo abſquè ſui Ordinarii dimiſſoriis, ac in fraudem fori ſæcularis, ac munerum laicalium, privetur privilegio fori?*

HUjus Conſultationis tres partes ſunt. Quoad primam. Urbanus VIII. Conſtitutione ſua 33. quæ 1 incipit *Secreti*, §. 4. ita ſtatuit: *Italos verò ſi quos in poſterum clericali charactere inſigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo cum falſis dimiſſoriis contigerit, etiam ſi qualitatibus per Concilii Tridentini decretum cap. 6. ſeſſ. 23. requiſitis præditi ſint, nihilominus, ſequuta tamen prius deſuper Iudicis eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minimè gaudere, ſed ſæculari juriſdictioni, ut anteà plenè in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpectivè volumus.*

Ex his autem verbis aliqui putant hanc pœnam procedere, etiam contra ordinatum ſine ullis dimiſſorialibus, 2 ſcilicet ſi temerè eum Epiſcopus ordinavit, vel ſi ille furtivè acceſſit, quia eadem eſt ratio delicti. Ita tenet Diana *reſol.* 62. *tr.* 1. *de immun. p.* 2.

At enim verò dicendum eſt, hujuſmodi ordinatum 3 non privari fori privilegio. Nam diverſa & gravior eſt ſpecies criminis utentis falſis dimiſſorialibus, atq; adeò non debet extendi ad hunc caſum. Etenim falſis dimiſſoriis promotus incurrit crimen falſi, de quo, ſi via accuſationis ſit condemnatus, convictus ſcilicet, vel confeſſus, eſt infamis infamia juris, & conſequenter irregularis.

Quia

Quia crimen falſi eſt crimen publicum. Immò ſecundum magis communem, ſi hoc crimen ſit notorium jure, vel facto abſque ſententia ſufficit ad hanc pœnam; quia eſt crimen depoſitione dignum, Sayr. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 3. & 12. Garz. *p.* 11. *cap.* 3. *num.* 110. Licet adverſus hanc infamiam reſtitui poſſit etiam à ſuo Epiſcopo, & indirectè diſpenſari ſuper illa irregularitate per *cap. At Clerici*, §. *de adulteriis, de judic.* Ita Tolet. *lib.* 1. *cap.* 62. §. *fin.* Sayr *d. cap.* 12. *n.* 3. Abb. *in cap. fin. de temp. ordin. n.* 5. ubi etiam Gloſſ. *v. damnatione*, Sylveſ. *v. irregularitas*, *q.* 14. Eſt enim crimen falſi inter minora crimina, *d. cap. fin.* ibique Abb. *num.* 6.

4 Immò ratione talis criminis falſi poteſt Clericus damnari ad triremes, ſi via accuſationis proceſſum ſit per *l.* 1. §. *ult. ff. ad l. Cornel. de falſ.* ubi pœna falſi via accuſationis eſt deportatio, Menoch. *de arb. caſ.* 306. *nu.* 2. & *caſ.* 315. *n.* 7. in cujus deportationis locum ſucceſſit damnatio ad triremes, Clar. §. *fin. q.* 67. Quo caſu eſſet infamis infamia juris ex genere pœnæ, *l. capitalium*, § *cæteræ*, & ibi Gloſſ. *ad tempus, ff. de pœn.* ac de communi teſtatur Molin. *tr.* 3. *diſp.* 9 *num.* 18. *de juſt. & jur.* Quare poterit Iudex laicus inſtare apud Iudicem eccleſiaſticum, ut ejuſmodi promotum declaret privatum privilegiis clericalibus, & poſt declaratoriam poterit eum etiam corporaliter punire, eamque declaratoriam eccleſiaſticus Iudex tenetur proferre, ut Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 49. *q.* 4. & d. Bulla Urbani VIII. §. 4.

5 Advertendum tamen hic eſt, quod ordinatus literis dimiſſorialibus veris, ſeu ſubreptitiis ob falſam, & doloſam ſuggeſtionem factam Epiſcopo non incidit in pœnas falſantis dimiſſorias, ſed ſecundum probabilem multorum ſententiam, incurrit in pœnas promoti ſine dimiſſoriis, & ſine licentia ſui Ordinarii, Suar. *de conſil. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 36. Reginald. *lib.* 32. *cap.* 25. *num.* 72. Quaranta *v. Ordo*, §. *Quod intellige.* Contraria tamen ſententia ſcilicet non reddi nullas dimiſſoriales Ordinarii ob iſtam ſubreptionem, eſt communior. Nam licet obreptio, vel ſubreptio in reſcriptis gratiæ Principis, vel Legati de latere vitiet gratiam ipſo jure, ſecus tamen eſt in reſcriptis juſtitiæ, niſi opponente adverſario, Sanchez *lib.* 8. *de matr. diſp.* 21. *num.* 3. Garz. *de benef. p.* 8. *cap.* 3. *num.* 1. Layman. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 22. *n.* 17. Buratt. *dec.* 74. *n.* 6. Ac ſecus in proviſionibus, ſeu conceſſionibus Ordinariorum, quia ibi non dicuntur gratiam facere, ſed ex officio providere ſecundum communem Doctorum ſententiam, quos allegat & ſequitur Garz. *eo loco numer.* 3. quam oſtendit procedere etiam in licentiis, & diſpenſationibus, atque abſolutionibus à cenſuris, quæ ab Ordinariis, ſeu Epiſcopis concedunt, ut apud eum *à d. n.* 3. *ad* 12. Unde infert *numer.* 8. & 9. cum Authoribus ab ipſo citatis, non dici ordinatum ſine dimiſſorialibus ſui Ordinarii, qui dimiſſorias obtinuit falſa patrimonii, aut bonarum qualitatum aſſertione. Atque oſtendit Ordinarii proviſionem non irritari ob ſubreptionem, ſeu juſtificationem circa aliquam qualitatem, etiam à jure communi requiſitam, dummodo tamen à jure alias non ſit irrita proviſio, ex defectu qualitatis illius: Quamvis contraria ſententia, ſcilicet Ordinarii quoque proviſionem per ſubreptionem, vel obreptionem obtentam nullam eſſe, ſit ſatis probabilis, quam tenet Sanchez *loc. cit. num.* 4. & alii multi apud Garziam *nu.* 9. & 11.

6 Ille vero, qui recipit primam tonſuram, aut ordines ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſorialibus, vel licentia proprii Ordinarii *de cap. Si quis auſus* 71. *d.* ex Niceno Concilio *c.* 16. *in fine*, & *c.* 1. 9. *q.* 2. redditur ipſo jure ſuſpenſus, vel irregularis. Ita enim, ſpectato juris rigore, intelliguntur communiter verba iſtorum Canonum, in quibus habetur, *talem ordinationem, ratam non fore, nec vires ullas habituram*, non quod ordinatio ſit verè nulla in actu primo, cum impreſſus ſit character ſed in actu ſecundo. id eſt, ut non habeat ordinatus ordinis illius licitam executionem. Ita Turrecrem. *in d. capit.* 1. & Sanchez *opuſc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 14. Tametſi multi Doctores teneant, quod hæc verba, non ſint accipienda cum tanto rigore, ſed ita peccat ſic ordinatus celebrando, ſeu exercendo tales ordines, quandiu non ratificaverit eam ordinationem proprius Epiſcopus, non tamen quod ſit ſuſpenſus, neque propriè irregularis. Ita Gloſſ. *v. ſtatuit*, & Doctores *in cap. eos, de temp. ordin. in* 6. Io. And. *in cap. quod tranſlatus, eod. tit.* Salzed. ad Diaz. *cap.* 26. *lit.* C. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 14. Armil. *v. Ordo, nu.* 16. Navar. *conſ.* 27. *n.* 5. & *conſ.* 29. *numer.* 1. *de temp. ordin.* Sanchez *loc. citat. dub.* 28. *num.* 1.

7 Quod autem ſtando in jure communi antiquo, ratificari poſſit Ordinatio illo, & ſic ceſſet impedimentum, habetur *in c. Lugdunenſis* 9. *q.* 2. & ibi Gloſ. *v. poterit*, & Turrecrem. cum Laur. Archid. & Io. Andr. Gloſ. *in cap. Illud* 71. *d.* tenetque Salzed. ad Diaz. *c.* 26. *prax. can.* §. *Tertio ait*, Navar. *conſ.* 27. *num.* 5. *de temp. ordin.* Suar. *de cenſ. diſp.* 31 *ſect.* 1. *num.* 14 & Bonacin. *de ſacram. ordin. pun.* 4. *num.* 26. Sot. Medin. Gabriel, Cucchus, & Manuel, quos adducit Sanchez *ubi ſupra dub.* 28. *numer.* 8. ubi etiam hanc ſententiam ſatis probabilem. Quæ procedunt tam de promoto ad ſacros ordines, quam ad minores, vel primam tonſuram. Immo de ordinato in minoribus, vel prima tonſura initiato, quod non ſit ſuſpenſus, neque irregularis, ſed tantum impeditus exercere ſub peccato ante ratificationem ait probabiliorem Sanchez *d. dub.* 28. *n.* 4. & ideo dicunt, validam eſſe collationem beneficii tali Clerico factam, Navar. *d. conſ.* 27. *n.* 5. & *conſ.* 29. *num.* 1. *de temp. ordin.* Guidop. *dec.* 449. Sanch. *eod. dub.* 28. *n.* 6.

8 Contra tamen alii tenent, prædictos ordinatos in ſacris, vel minoribus eſſe ſuſpenſos, vel irregulares ex ratione prædicta; ita ut neque collatio beneficii eis facto ſit valida, neque poſſe eam ordinationem à proprio Epiſcopo ratificari. Quod tradunt Doctores, quos ſequitur Sanchez ſibi contrarius *dub.* 20. *numer.* 16. & *ſeqq.* Immò quod recipiens primam tonſuram ſine licentia ſui Epiſcopi non gaudeat privilegio clericali ipſo jure ait communem Salzed. *d. cap.* 26. §. *Et non ſolum*, ac tenent Chaſſan. Rebuff. quos citat, & ſequitur Sanch. *ibi numer.* 15. Cæphal. *conſil.* 682. *vol.* Alter. *tom.* 2 *diſp.* 9 *capit.* 4. Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *capit.* 49. *quæſtio.* 4. ubi ait, talem non poſſe ulterius promoveri, & incapacem eſſe beneficiorum, & non gaudere privilegio clericali fori & canonis; vel poſſe ratificari tonſuram ejuſmodi à ſuo Epiſcopo, ſed indigere Apoſtolica diſpenſatione. Quod quidem de jure antiquo, & quoad initiatum prima tonſura aliqui verum putant, ſi tamen ſequatur ſententia declaratoria privationis privilegii clericalis. Atque ita intelligendus eſt Bonac *tr. de ſuſpenſ. part. qu.* 1. *pun.* 11. *quæſt.* 21.

9 Ex Bulla vero ſecunda Pii II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, ordines ſacros ſuſcipiens ſine literis dimiſſorialibus ſui Epiſcopi, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem in qua celebrans ſit irregularis. Hæc autem Extravagans eſt confirmata à Leone X. Paulo III. & Pio V. ut per Diaz. *deciſ. capit.* 26. & ibi Salzed §. *Extravagans Pii II.* Verum hæc Bulla ſolum procedit contra recipientes ordines ſacros non autem minores, Mandoſ. *reg.* 24. *num.* 6. Salzed. *ibi*, § *Quinto erit*, Sanchez *loc. cit. dub.* 28. *nu.* 2. Sicque hodie ex vi hujus Bullæ Epiſcopus non poteſt per ſolam ratificationem rehabilitare ordinatum, ſed requiritur abſolutio à ſuſpenſione, Quarant. *v. Ordo*, §. *Amplia hanc*, cum Mandoſio, Rebuffo, & Lopez, poteſt tamen hunc malè ordinatum abſolvere idem proprius Epiſcopus.

10 Denique ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. ordinatus ab Epiſcopo alieno ſine licentia expreſſa ſui Ordinarii eſt ab executione ordinum ipſo jure ſuſpenſus. Et iterum *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprii Epiſcopi, eſt ſuſpenſus ipſo facto à ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario

videbitur

videbitur expedire. Ex quo decreto hodie multi aiunt per ratihabitionem proprii Epiſcopi induci diſpenſationem ſuper Ordinibus, ſeu abſolutionem à prædicta ſuſpenſione, Maiol. lib. 4. c. 20. n. 1. Pariſ. de reſign. lib. 4. q. 2. num. 22. Quod eſt intelligendum quando Epiſcopus per hoc intenderet auferre ſuſpenſionem, Quarant. d. v. Ordo, §. Ampla hanc Extravagantem.

11 Hic etiam advertendum eſt, quod ad Ordines legitimè ab alieno Epiſcopo ſuſcipiendos, ſufficit vel proprias habere dimiſſoriales, vel expreſſam licentiam; ita ut non ſit neceſſe licentiam dari in ſcriptis, niſi pro ultramontano in Italia ordinando. Probatur ex Trid. ſeſſ 14. c. 2. de ref. & Sanch. loc. cit. dub. 20. nu. 4. Et Vicarius generalis Epiſcopi, regulariter loquendo, non poteſt dimiſſorias concedere ſine ſpeciali mandato, niſi Epiſcopo agente in remotis, Sbroz. de offic. Vicar. lib. 2. q. 41 Item advertendum eſt, quod plures dicunt, præfatam ſuſpenſionis pœnam, latam à Tridentino contra promotos ſine licentia proprii Epiſcopi habere locum non ſolùm contra promotos in ſacris, ſed etiam in minoribus. Quamvis enim in princip. d. c. 8. ſeſſ. 23. loqui videatur de ordinibus ſacris tamen poſteà generalius loquitur, prout etiam generaliter loquitur in c. 5. ſeſſ. 6. & ita tenet Maiol. lib. 4. cap. 20. Cherubin. ſuper Bulla 7. Pii II. ſchol. 2. Tolet. lib. 1. cap. 49. §. Quarto, Quarant. v. Ordo, §. limita in eo, Suar. de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. n. 19. Filiuc. tr. 17. num. 68. ubi ait, ita à Sac. Congregatione declaratum, & communem ait Salzed. ad Diaz d. c. 60. & communiter eliam dicunt procedere de prima tonſura initiato dicta Tridentini decreta, quia in jure canonico venit communiter appellatione Ordinum, Ricc. collect. 1678. Sà v. ſuſpenſio num. 11. Fornar. de Sacram Ordin. num. 4. nu. 27. & ita de communi Salzed. loc. cit. & tenet Dian. reſ. 144. tr. 4. p. 2. Et quod prima tonſura apud Sacros Canones veniat Ordinum appellatione habetur ex cap. Cum contingat, de æt. & quali. ordin. aitque Gloſ. in c. 1. v. Clericum, de temp. ordin. in 6. & proinde communiter Canoniſtæ tenent, primam tonſuram eſſe verum Ordinem, ac Rota Romana in judicando procedit ex ſuppoſitione, quod ſit Ordo, ut in Ferrarien. Penſionis 21. Martii 1627. coram Virili n. 3. teſtans de ſtylo ejuſdem Rotæ. Quamvis contra, quod Tridentini pœna non procedat contra promotos in minoribus teneant Avila p. 3. diſp. 5. dub, 7. §. ſecundò ſupponendum, Navar. conſ. 31. de temp. ordin. & conſ. 39. n. 3. eod. tit. Sanch. opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 28. per tot. Unde cùm iis puto de promoto in minoribus dicendum, quod de jure communi ſupra diximus ſecundùm communiorem ſententiam, ideſt non incurrere in dicto caſu cenſuram ullam, vel irregularitatem propriè dictam. Id, quod de prima tonſura initiato concedunt Tolet. d. c. 49. & Zerol. p. 1. v. Dimiſſoria. Quia prima tonſura non eſt Ordo, nec Sacramentum, ut docent communiter Doctores cum D. Thoma 3. p. q. 40. ſupplem. ar. 2. & in 4. d. 24. qu. 2. art. 1. quæſtiun. 3. D, Bonav. ar. 2. q. 1. in corp. & ad 1. Sot. quæſt. 2. ar. 2. Sylveſt. v. Ordo 1. q. 1. Vaſquez 3. p. tom. 3. diſp. 236. cap. 1. num. 9. & diſp. 237. c. 2. Bellarm. lib. 1. de Cler. cap. 11. Filliuc. tr. 9. cap. 1. num. 12. Ludov. à S. Jo. to. 1. ſum. q. 1. de Sacram. Ord. ar. 1. diff. 3 concl. 1. Sayr. lib. 6. de cenſur. c. 1. num. 19. Fornar. tr. de ordin. cap. 7. num. 1. Coninch. de Sacram. diſp. 20. de ordin. dub. 2. Reginald. lib. 3. prax. for. pœn. c. 1. Tanner. de Sacram. diſp. 7. q. 2. dub. 2. Gaſp. Hurtad. de Sacram. tr. de Ord. diffic. 2. Ochagav. tr. un. de Sacr. Ord. q. 2. n. 6. Præpoſ. in 3. p. q. un. de Sacram. Ord. diff. 2. n. 8. Mercer. qu. 37. ſupplem. art. 2. Chelliſon. dub. 1. Sylv. qu. 40. art. 2. aliique innumeri. Quod etiam deſumitur ex eodem Tridentino ſeſſ. 23. c. 2. ubi definiens contra Lutherum, dari in Eccleſia veros Ordines, ſubdit: *Eos, qui jam clericali tonſura inſigniti ſunt, per minores ad majores aſcendere.* Ex quibus ſupponit, Clericalem tonſuram eſſe quid prævium ad Ordines. Deinde recenſens ſingillatim dictos Ordines non recenſet inter eos primam tonſuram. Unde illam characterem clericalem appellavit Sixtus V. in motu proprio contra malè promotos, edito anno 1588. Quare propriè non ordo, ſed deputatio ad ſtatum, & miniſterium eccleſiaſticum, ut Apoſtil. ad Guidop. qu. 449. licet apud Canones, & Canoniſtas obtineat tantùm nomen Ordinis.

Quod verò attinet ad ecundam partem de ſuſcipiente primam tonſuram, aut Ordines in fraudem fori ſæcularis, præter jam dicta in 1. tom. ſi promovendus eſt criminoſus, non debet promoveri, ſi ob crimen in irregularitatem propriè dictam incidit, ſive immediatè ex ipſo delicto, ſive ratione infamiæ juris, niſi ſuper his fuerit diſpenſatus. Item promoveri non debet criminoſus ratione infamiæ facti, niſi ea purgata fuerit per conſtantem vitæ emendationem ſaltem triennio comprobatam, vel niſi ex gravi cauſa, & ceſſante ſcandalo, fuerit diſpenſatus, Sylveſt. in l. ſi minorem, nu. 2. C. de in interg. reſt. min. Clar. §. fin q. 21. v. 1. in fin. Genuen. in prax. cap. 45. n. 5. & Sanch. opuſc. lib. 6. c. 3. dub. 5. in fine, cum ibi allegatis. Quod ſi criminoſus petat, ſe promoveri ab Epiſcopo, & crimen ſit occultum, & interrogetur ab Epiſcopo de tali crimine, quod etiam poſt pœnitentiam eum reddat irregularem, tenebitur fateri, vel deſiſtere ab Ordinum ſuſceptione, Sanch. in opuſc. lib 7. cap. 1. dub. 46. num. 10. cum multis per eum adductis. Præſertim autem repellere eum debet Epiſcopus, quem putat judicii ſæcularis fugiendi cauſa velle promoveri, Trident. ſeſſ. 23. c. 4. de reform. 12

13 At ſi laicus criminoſus facit ſe promoveri ad ſtatum clericalem in fraudem fori laici, id eſt ſi jam erat de crimine diffamatus, vel delatus ad forum, vel proceſſatus, vel condemnatus, Covar. pract. qq. c. 32. n. 4. §. fraus verò, Clar. §. fin. qu. 36. §. ſed in hoc, Genuenſ. in prax c. 8. nu. 5. poterit Judex laicus contra eum procedere ratione ejuſdem criminis ante Clericatum commiſſi ad pœnas non corporales, ſeu in perſonam, ſed pecuniarias, ſeu in bonis illius, etiam ad confiſcationem bonorum, ſi aliàs eſſet imponenda, eſt communis ſententia, ut teſtatur Covar. d. cap. 32. num. 4. concluſ. 3. Clar. d. §. 36. num. 34. Marth. de juriſd. p. 4. centur. 2. caſ. 121. num. 20. Farinac. de Inquiſ. qu. 8. num. 107. Layman. lib. 4. tr. de Immun. eccleſ. c. 4. nu. 12. Dian. reſol. 16. tr. 2. part. 1. Unde Clericum, qui characterem, ſeu tonſuram, & habitum clericalem aſſumpſit in fraudem, etiam poſt proceſſum, & fidejuſſionem de ſe repræſentando coram Judice laico gaudere nihilominus fori privilegio, & à Judicis laici juriſdictione liberatum eſſe quoad perſonam; ſi tamen Judex eccleſiaſticus declaraverit ſubeſſe fraudem, poſſeque Judicem laicum procedere quoad bona, declaravit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in una Tranen. 22. Decembris 1617. & Sac Congregatio Immunitatis in una Civitatis Caſtellanæ 23 Martii 1626. & 18. Februarii 1631. ac alibi ſæpè; & S. Congregatio Concilii 23. Martii ejuſdem anni 1626.

Nec obſtat, quod bona ſint acceſſoria perſonæ, auth. ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ. & l. ſi adoptavero. ff. precar. Et ideò ſi ſubtrahitur judicio ipſa perſona, debent etiam ſubtrahi bona. Quia ſublato principali, tollitur acceſſorium. Nam reſpondeo, hanc regulam non habere locum in criminalibus; ut notat Bald. in l. tranſigere in fin. C. de tranſact. arg. ex l. denunciaſſe, §. quæritur, ff. de adult. & in l. Athletas, ff. de falſ. & ſequitur Ferd. Vaſquez lib. 3. contr. illuſtr. c. 96. num. 13. Et ideò licet perſona ſubtrahatur judicio, non tamen ſubtrahuntur bona. 14

Hinc reus defunctus incepta cauſa, ſed nondum ſequuta ſententia, poteſt condemnari in bonis in præjudium hæredum, ſi cauſa terminanda eſt ſecundum jus canonicum. Quia de jure canonico hæres tenetur pro delicto defuncti, cap. in literis, de rapt. & cap. Parochiano, de ſepult. & c. ſi Epiſcopum 16. q. 6. ubi Gloſ. v. reddantur, & in d. cap. Parochiano, & in ſum. cauſ. 24. q. 2. & in cap. Eccleſia, §. item peccato, v. conquiſita, q. 4. Archid. 15

ibid. Butr. in cap. quod Clericis, de for. comp. Jaſ. in l. ſi eum, §. qui injuriarum, num. 5. ff. ſi quis caut. Bald. in l. unic. C. ex delict. defunct. Feder. de Sen. conſ. 21. Rod. Suar. alleg. 26. dub. 2. Vaſquez loco cit. num. 27. Batr. tr. de diff. jur. civil. & can. num. 178. Bapt à S. Blaſ. eod. tr. nu. 54. Nam delinquens remanet obligatus ad ſatisfactionem exhibendam non ſolum parti offenſæ, ſed etiam Reipublicæ, cui remanet obligatus ratione juſtitiæ legalis ad ſolvendam debitam pœnam, quotieſcumque ab illa exigitur, & non ſolum perſona remanet obligata ratione delicti, ſed etiam bona ipſius, ita ut ex ipſis poſſit deſumi per mulctam quicquid requiritur ad congruam ſatisfactionem. Unde cum res tranſeat cum ſuo onere, l. is, cui opus, ff. de nov. oper. nunc. & l. ſi convenerit, §. ſi fundus, ff. de pign. act. & cap. ex literis, de pign. & cap. Paſtoralis, de decim. bona delinquentis tranſeunt ad hæredes cum hujuſmodi obligatione; cùm ſit onus reale. Siquidem ipſa obligata manent etiam apud hæredes, quando defunctus tenebatur reſtituere. Cùm ergo jus canonicum regat etiam conſcientiam, reſpicit etiam ad obligationem, qua ſolam conſcientiam afficit, & ideò quamvis non poſſit procedi contra defunctum, vel laicum effectum Clericum ratione delicti, poteſt procedi contra ejus bona obnoxia ſatisfactioni juſtitiæ. Quare non tenentur hæredes ex delicto defuncti ſupra vires hæreditatis, ut habetur d. cap. ex literis, de rapt. & not. Gloſ. ibid. v. juxta facultates, Anchar. nu. 5. Bart. in rubr. ff. de acqu. hær. Bald. ibid. Quod tamen intelligitur juxta præfatos Doctores, ſi hæres confecerit inventarium. Nam ſi non confecerit inventarium, tenetur in ſolidum juxta l. ſancimus, §. ſin autem, & §. ſeq. C. de jur. delib. ſed ſolum in foro externo propter præſumptionem. Nam in foro conſcientiæ non tenetur ultra vires hæreditatis. Quia in ipſo attenditur ſolum veritas rei,

16 Et de jure civili, ut hæredes teneantur ad ſolvendam pœnam de hæreditate ob delictum defuncti, requiritur, quod lis contra ipſum fuerit conteſtata. Nam tunc poteſt deveniri ad ſententiam, & hæredes tenebuntur ad pœnam ſecundum vires hæreditatis, l. omnes, ibi: *Omnes pœnales actiones poſt litem inchoatam ad hæredes tranſeunt*, & l. ſciendum. ibi: *Sciendum eſt ex omnibus cauſis, lites conteſtatas & in hæredem, ſimileſque perſonas tranſire*, ff. de act. & oblig. & l. ex judiciorum, ff. de accuſ. ibi: *Ex cæteris verò delictis, ultra delictum repetundarum, & majeſtatis, pœna incipere ab hærede ita demum poteſt, ſi vivo reo accuſatio mota eſt, licet non fuit condemnatio ſequuta*, ubi Gloſ. v. Pœna, & in fine. Nec dici poteſt, quod intelligatur de cæteris delictis privatis, non autem de publicis. Quia dictio cæteris ſignificat reliqua, ut in l. quæſitum, §. idem reſpondet, ff. de fund. inſtr. leg. & l. cæterum, ff. de verb. ſignif. & notat Grat. in dict. Dictio autem reliqua comprehendit omnia, præter excepta, ut notat Menoch. conſ. 1020. num. 39. atque adeò non ſolum privata, ſed etiam publica delicta. Rurſus quando lex dicit: *Ex cæteris verò delictis*, idē eſt ac ſi diceret, ex aliis verò omnibus delictis, præter delictum majeſtatis, & repetundarum &c. Cùm enim in his duobus delictis diſponat, quod etiam lite non conteſtata poſſit inſtitui actio contra hæredes, alia delicta ab his contradiſtinguit, quod in his poſſit contra hæredes inſtitui actio, ſed ſolum pœna ad ipſos derivet, ſi ante mortem delinquentis lis conteſtata ſit, ſeu inſtituta accuſatio. Unde dictio cæteris ſtat pro dictione aliis, & importat alia delicta, quæ non ſint majeſtatis, aut repetundarum. Dictio autem aliis importat ſimilia præcedentibus, de quibus facta eſt mentio, ita ut repetat eaſdem qualitates, l. quidam relegatus, ff. de reb. dub. & l. 3. C. de ſer. fug. ubi Gloſ. & cap. ſedes, de reſcript. ubi etiam Gloſ. v. alio quocumque modo. Immò non ſolum repetit eandem qualitatem, ſed etiam ſimilitudinem in ſubſtantia, ut notat Felin. in d. cap. ſedes n. 6. v. dictio alius, de reſcript. Alex. conſ. 1. num. 10. lib. 4 Anchar. conſ. 361. n. 5. Socin. ſen conſ. 300. verſ. tertio principaliter, lib. 2. Hond. conſ. 7. n. 11. lib. 2. Surd. conſ. 21. n. 13. & 14. lib. 1. Gened. ſing. 4. n. 8. Rot. dec. 839. n. 2. de reſcript. in antiq. & dec. 663. n. 8. & dec. 327. nu. 7. p. 1. rec. apud Farinacium. Unde cùm delicta majeſtatis, & repetundarum ſint publica, dictio cæteris refertur etiam ad delicta publica.

17 Neque obſtat, quod initio dictæ legis habeatur: Ex judiciorum publicorum admiſſis non alias tranſeunt adverſus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm ſi lis conteſtata, & condemnatio fuerit ſequuta, & proinde videatur requiri, quod præceſſerit ſententia condemnationis. Nam reſpondetur, quod non poteſt intelligi, quod præceſſerit ſententia condemnationis ante mortem delinquentis, quia in fine dictæ legis illam excludit, ibi: *Si vivo reo accuſatio mota eſt, licet non fuerit condemnatio ſequuta*. Unde non eſt præſumendum, quod lex ſtatim, & in continenti ſeipſam corrigat, l. cum hic ſtatus, §. 1. C. de donat. inter vir. & uxor. & l. præcipimus in fin. C. de appell. Immò ſemper vitanda eſt correctio quoad fieri poteſt, l. ſi quando, C. de inoff. teſtam. & c. de nov. oper. nunc & cap. cum expediat, de elect. in 6. paſſimque Doctores. Quare ad vitandam contrarietatem debet intelligi de condemnatione ſequuta poſt mortem. Quia cùm hæredes poſſint proſequi cauſam defuncti, poſſunt etiam obtinere abſolutionem ipſius in judicio. Et ideò non tenebuntur ad pœnam, niſi ſequatur condemnatio, ut pœnę tranſeant ad hæredes. Ut verò judicium proſequi poſſit, ſufficit, ſi accuſatio ſit inſtituta, ut decernitur in fine ejuſdem legis.

18 Quod ſi rurſus objiciatur, ſupradicta habere locum, quando licet non ſit ſequuta condemnatio, adeſt tamen aliquid æquipollens, quod trahit ſecum condemnationem, ut quando adeſt confeſſio ſolemnis in judicio, tunc poteſt ex bonis defuncti exigi pœna, ut notant Specul. tit. de accuſ. §. 1. verſ. quid ſolutio, Bart. in l. 1. ff. de pœn. delict. Angel. in l. un. verſ. quid autem ſi reus, C. ex delict. defunct. Vaſqu. ſupr. d. c. 96. n. 19. cum Gloſ. in l. 1. §. ff. ſi ex nov. cau. aga. Aut ſi ſit concluſum in cauſa, & liquidè probatum delictum, ut notant Bald. in d. l. un. C. ex delict. defunct. Vaſquez loc. cit. Quia tunc ſententia veluti retrotrahitur, arg. l. denique, §. 1. ff. de minor. Alioquin cum per mortem delinquens ſubtrahatur judicio hominum, & tranſeat ad Tribunal Dei, niſi ſaltem concluſum ſit in cauſa, non poſſunt contra ipſum proſequi actiones judiciales; alioquin procederetur contra non ſubditum, & extenderetur juriſdictio extra proprios limites. Reſpondetur, licet quando intervenit aliquid æquipollens ſententiæ, ut eſt confeſſio ſolemnis, aut quando eſt concluſum in cauſa, pœna tranſeat ad hæredes, hoc tamen non eſt neceſſarium, ſed ſufficit conteſtatio litis præmiſſa, nec aliud requiritur, ut conſtat ex juribus adductis, & etiam ex §. non autem in fin. delict. defunct. Nec officit, quod reus per mortem ſubtrahatur judicio hominum, & ſiſtatur judicio Dei; nam cùm ſemel ſubjectus fuerit judicio per litis conteſtationem, qua mediante Judex acquirit jus ad procedendum, per mortem ſubtrahitur ſolum quoad perſonam, non autem quoad bona, quæ relinquit poſt ſe, quæ adhuc ſubjecta manent in judicio. Ideóq; quod etiam de jure civili, poſita litis conteſtatione, poſſit procedi contra hæredes quoad pœnam in bonis defunctorum tradunt Cynus, Bartolus, Baldus, Angelus, Salycetus, Paulus de Caſtro, Fulgoſius, Cujacius, & alii in d. l. unic. C. ex delictus defunct. Boer. deciſ. 64. Socin. reg. 291. fall. 3. Gomez tom. 3. var. cap. 1. num. 84. Covar. lib 3. var. cap. 3. num. 3. Roderic. Suar. alleg. 26. dub. 2. Enenchel de privileg. lib. 3. cap. 2. nu. 28. Mynſing. centur. 1 obſerv. 8. reſp. 7. n. 35. & reſp. 51 n. 22. Mandel. conſ. 90. per tot. Harpreɛt. § hæc actio n. 67. in fin. inſtit. de injur. Mundius de diffamat. c. 7. num. 49.

19 Tandem non urget, quod ſicut per mortem rei judiciū diſſolvitur, ita etiam per Clericatum, l. in Senatuſconſul. §. ſi propter mortem, ff. ad Senatuſconſultum Turpel. Nec delictum etiam quoad pœnam tranſit ad hæredes, atque adeò ad bona, l. ſicuti pœna, & l. pupillum, §. in hære-

hæredem, ff.de regul. jur. & notant Dec. ibid. Gigas de crimin. læſæ majeſtat. lib.1. tit. qualiter in crimin. læſ. majeſtat. quæſtio.20. numer.21. Aretin. in §. pœna, inſtitut. de perpet. & temp. act. Duegn. regul. 13. & 137. Et quidem non poſſe puniri pœna perſonali certum eſt, quia pœna corporis finitur morte delinquentis, l.3. & l. defuncto, & lib. fin. C. ſi reus, vel accuſ. mor. fuer. & notant Cynus in l.2. C. qui teſtam. fac. poſſ. Alex. ibid. Bald. in d. l. unic. col.2. C. ex delict. defunct. & Angel. ibid. Quia cùm homo mortuus non ſentiat, non eſt capax pœnæ corporalis, immo nec etiam eſt amplius homo, l. ſi homo mortuus, ff. de verb. oblig. & l. ſervo manumiſſo, ff de condit. ideb. & l. falſus, C. de furt. Et ideo ſubtrahitur
19 judicio humano, ac proinde etiam à pœnis infligendis per ipſum, niſi verſaremur in caſu, in quo jura aliquid decernant contra cadaver.

20 Nam reſpondeo, quod in illa l. in Senatuſconſult. § ſi propter mortem, ff. ad Turpil. ſicut etiam in l. ſi is, quem, C. ſi reus, vel accuſ. mor. fuer. dicitur cum morte rei ſolvi judicium, & extingui crimen, quando accuſatio eſt ſolum incepta, non autem completa, ita ut nondum accuſator, produxerit quæ faciunt contra delinquentem, & proinde nondum fiſcus habeat fundamentum ad procedendum contra delinquentem. In illis namque textibus ſtatuitur quod mortuo reo, accuſator non teneatur pœna deſertæ accuſationis, ſi illam non proſequatur peragendo rem, hoc eſt complendo quod deeſt, ut accuſatus pro reo habeatur, quia morte ipſius judicium ſolvitur, cum non ſit plenè conſtitutus pro reo. Quando autem dicitur, quod pœna delicti tranſit ad hæredes ſive ad bona, intelligitur, quando lis eſt conteſtata, ita ut accuſatus incipiat haberi pro reo, & poſſit fiſcus prætendere. Quia nimirum actiones ſemel in judicio incluſæ, ſalvæ permanent nec morte, aut tempore pereunt, §. non autem ver. pœnalis inſtit. de tempor. & perpet. act. & l. non omnes 139. & l. pœnalia 164, ff. de reg. jur. Harprectus d. §. hæc actio, num.65. inſtit. de injur. Mund. de diffamat. d. cap.7. n.50. In aliis autem textibus nihil habetur contra reſolutionem traditam. Nam in l. ſicuti pœna, ff. de reg. jur. ſolum habetur, quod hæres non tenetur pœna delicti defuncti. Quia ſcilicet non punitur ipſe nec in perſona, nec in bonis propriis, ob delictum defuncti. Unde textus ex hoc infert, quod neque ex ejuſdem delicto debet aliquid lucri facere. Non autem dicitur, quod non teneatur quoad bona hæreditatis. In textu autem l. pupillum, §. in hæredem eod. tit. ſicut etiam in l. cum qui, § idem dicendum, ff ſi quis caut. & in l.1.1. ff. de priv. delict. & in aliis hujuſmodi ſolum decernitur, quod actio delicti non tranſeat contra hæredem. Quia niſi lis conteſtata ſit contra defunctum, non poteſt actio inſtitui contra ipſos, ut explicatur in §. non autem, inſtit. de perpet. & temp. act.

21 Hæc autem, quæ dicta ſunt de reo defuncto applicari poſſunt reo laico, qui in fraudem Clericatum aſſumit. Quamvis nonnulli Doctores dicant, quo ſi laicus poſt delictum fuit ſolum citatus à Judice ſæculari ad comparendum intra certum terminum, & ipſe non compareat, ſed intra terminum Clericus efficiatur, liber omnino remanebit à foro laico, ut neque in bonis mulctari poſſit, Inſtit. de perpet. & tempor. act. & ex l. un. poſt litis, C. ex ſecus ſi poſt litem conteſtatam, vel obligationem contractam comparendi. Ita Menoch. d. cent.2. caſ.131. num.8 cum Maſcabr. conſ.44. & Cavalc. deciſ.10. n.6. p.5. vel d.3. n.29. tit. de judic. quam ſententiam veram puto.

22 Illud etiam concedendum exiſtimo, quod ſi laicus ſit delatus ad forum laicum, & judicium cœptum, ſed poſteà perempta ſit inſtantia, & tunc Clericus fiat, liber remanebit a foro laico, neque poterit Princeps laicus inſtantiam in integrum reſtituere, ſeu ei vitam inſufflare in dicti Clerici præjudicium, ut Joan. Vincent. de Ann. ſing. 129. Marth. de juriſd. p.4 caſ.141 n.4. & caſ.32. n.6.

23 Item poterit Judex, ſeu Princeps laicus inſtare apud Judicem eccleſiaſticum, ut cogat illum in fraudem promotum, etiam per coercitionem perſonalem, obſervare ſententiam prius latam à Judice laico, quatenus, ſalva immunitate eccleſiaſtica, obſervari poſſit, verbi gratia, ſi erat bannitus, vel relegatus, ut Judex eccleſiaſticus eum cogat obſervare ſententiam banni, ſeu exilii, & eum puniat pro banni, ſeu exilii tranſgreſſione. Quia licet laicus non poſſit contra eum procedere ad banni duplicationem, ſeu aggravationem, quia pœna corporalis Genuenſ. d. cap.8. n.3. tamen mutatio ſtatus non liberavit eum ab executione prioris ſententiæ, & pœnæ corporalis, licet mutatus fuerit Judex executor, ut Alberic. in l. meminiſſe, num.5. §. Item quæro, ff. de offic. Proconſ. Franch. deciſ.395. & multi, quos allegat Diana reſol.118. tr.2. p.1.

Si vero in fraudem promotus antea erat in carcerem 24
conjectus, vel pœnæ corporali actu expoſitus per Judicem laicum, tunc poteſt Iudex laicus inſtare apud eccleſiaſticum Iudicem, ut procedat ad degradationem illius eumque foro laico reſtituat, etiamſi poſtea ſe feciſſet ad ſacros Ordines promovere, quia jam erat præventa, non ſolum cauſa, ſed etiam perſona, ſeu executio, & ſic non potuit forum mutare, quia Ordo ſacer non invenit eum liberum. Ita Abb. in cap.1. num.5. §. concludendo, de oblig. ad ratioc. Jo. Andr. Zarabel. & Anchar. ibi in fin. Capel. Toloſ. deciſ.144. Layman. loc. cit. cap.4. nu.12. Filiuc. tr.16. num.265 Et tunc poterit laicus Iudex degradatum etiam corporaliter punire, Iaſ. in l. Cum quadam puella, num. 9. cum ibi alleg. ff de juriſd. omn. Iud.

Quod tandem attinet ad tertiam patem, ſi quis in frau- 25
dem onerum, ſeu collectarum laicalium faciat ſe ad Ordines promovere, aliqui dicunt dumtaxat eum non frui immunitate ſeu exemptione. Ita Alberic. in l. qui ſub prætextu, num.2. C. de Sacroſ. Eccleſ. Proſper Auguſt. ad Quarant. v. vectig. limit.1. Coriolan. ſuper Bulla Cœnæ Domini excom.18.

Sed contrarium tenendum eſt. Quia obligatio ad one- 26
ra laicalia non eſt per ſe primo homini annexa, ſed in conſequentiam juriſdictionis, ſeu ſubjectionis, quoad forum. Unde dummodo non ſit criminis ratione laico foro obnoxius, non cenſetur impeditus mutare forum & ſtatum propter ſubjectionem ad onera. Atque ita declaravit S. Congregatio Immunitatis in una Aſculana, die 24. Januarii 1668. *Sacra &c. cenſuit ſuſcipientem primam tonſuram, vel minores Ordines ab alieno Epiſcopo abſque ſui Ordinarii dimiſſorialibus, & in fraudem juriſdictionis ordinariæ, vel ſæcularis non privatur privilegio fori, nec Conſtitutionem Urbani habere locum in hoc caſu, ſed quando quis cum falſis dimiſſoriis promovetur.* Idem declaravit in una Theanen. Clericatus 15. Septembris 1668.

An autem ſuſcipiens primam tonſuram, ut ſe ſubtrahat 27
à tributis, & à foro ſæculari, peccet mortaliter, negant Navar. in man. capit.25 n.108. Rodrig. tom.2. ſum. capit.17. concl.2. Gallet. v. Ordo, Sanch. lib.7. diſp.31. num.16. & 17. Coninch. tom.2. de ſacram. diſp.20. n.104. & ſeq. Nald. in ſum. v. Ordo n.15. Laym. 1. th. moral. tr.9. c.7. n.2. Villalob. p.1. ſum. tr.11. diff.14. num.2. Dian. p.1. tr.16. reſol.22. & tr. 2. reſol.43. Duard. in Bull. Cœn. c.18. qu.7. n.2. Bonacin. de Sacram. Ord. diſp.8. q. un. pun. ult. Homobon. part.1. exam. Eccleſ. tract.3. Io Bapt. Fabr. in man. ordinand. de Sacram. Ordin. cap.4. quæſt.7. Averſ. qu.4. de Sacr. Ord. ſect.2. Gaſpar. Hurtad. de Sacram. tract. de Ordin. diff.22. init. Ghilin. in ſum. v. Ordo num.3. Machad. de perfecto confeſſar. tom.2. lib.4. p.1. tr.1. docum.2. num.5. Quia licet talis non deberet ordinari, ſi ab Epiſcopo cognoſceretur ejus intentio fraus tamen iſta, & deceptio non eſt gravis, ac proinde non mortaliter, ſed venialiter peccaret.

Nihilominus oppoſitam ſententiam tenendam cenſeo 28
Eam ſequuntur Bannes 22. qu.12. art.1. ff.2. concl. ult. Ledeſma p.2. ſum. tract. de Sacram. Ordin. c.7. concluſ.3. Molfeſ. p.1. ſum. tr.2. cap.15. num.1. Ghetius in theſaur. anim. tom.1. v. Clericus qu.10. Marchin. de Sacram. Ordin. tr.1 p.8. cap.1. n.7. Ludovic. à S. Joſeph. p.1. ſum. tr. de Sacram.

*Ordin.quæſtio.2.art. 9.diff.3.in append.* Paſqualig. *tom.*1. *qq.moral.quæſtio.*48. ubi certam apellat. Ratio eſt, quia tunc quis peccat mortaliter, quando in ſua operatione deſerit Deum, & ſe convertit ad creaturam. Nam tunc ſe avertit à Deo, ut ultimo fine. Aſſumens autem primam tonſuram, aut ordines minores non ut ſe dedicet ſervitio Dei, ſed ſolum ut ſe ſubtrahat à foro ſæculari, & fiat immunis à tributis, deſerit Deum, quia pervertit ordinem rerum, itaut quæ ad Deum ordinanda ſunt, ordinet ad creaturam, tollens à ſua operatione ordinem ad ultimum finem, & ponens ordinem ad creaturam, ac ſe convertit ad finem, nempè ad ſeipſum per amorem proprium inordinatum, ac proinde peccat mortaliter.

28 Ratio vero Adverſariorum refellitur. Quia cum in tali caſu interveniat fraus, ſitque in re gravi, ſiquidem eſt in ordine ad privandos Principes totali juriſdictione ſupra ejuſmodi promotum, erit utiq; peccatum mortale. Illud vero certum puto, quod ſic ordinatus non committat contra juſtitiam, cum utatur jure ſuo.

## CONSVLTATIO LXVII.

### *An vulnerans lethaliter in Eccleſia, vel Cœmeterio gaudeat Eccleſiæ immunitate.*

1 QUod ſatis ſit ad excludendam immunitatem, ut lethaliter vulneratus intus Eccleſiam, vel Cœmeterium, extra illam moriatur, dixerunt Bonacin. *tom.* 2. *Præcept.Decalog.diſp.*3.*qu.*7.*pun.*6. §. 2. *num.*5. *ac tom.* 3. *de cenſur.diſp.*1.*quæſtio.*1.*pun.*11.*num.*11. Novar. *in ſumm. Bullar.p.*1.*tit.de immun.Eccleſ.num.*52. teſtans, ita, ſe referente, practicatum fuiſſe in Curia Archiepiſcopali Neapolitana anno 1553. Donatus de Aſylia *reſol.*129.*num.* 3. Gambacurt.*de immun.Eccleſ.lib.*5.*cap.*24.*nu.*6. Thom. Delben.*eod.tr.tom.*2.*cap.*19.*ſect.*2. *num.*11. ac Michael. de Cortiada *deciſ.*112. *num.*5.*part.*2. Ea ratione, quia tale homicidium cenſetur moraliter commiſſum in Eccleſia. Quia ponitur cauſa ſufficiens homicidii in Eccleſia, ex qua poſtea ſequitur naturaliter mors. Quod ſufficit, ut homicidium dicatur patratum in Eccleſia. Nam eſt conſummatum totum illud liberum, & culpabile, quod reperitur in homicidio.

2 Nihilominus oppoſitum tenendum eſt. Probatur. Quia cauſa excluſiva immunitatis non eſt quomodocumquè actio ipſa occidendi, ſed quatenus conjungitur cum morte. Ergo ſi mors non cauſatur intra Eccleſiam, vel Cœmeterium, non committitur homicidium intra Eccleſiam, vel Cœmeterium. Quia homicidium non conſiſtit in ſola actione, ſed in complexo ex morte & actione, itaut actio de ſe ſit tantum cauſativa homicidii mors vero, ut ſequuta ex tali actione ſit homicidium, ſeu talis actio, ut eſt in termino mortis, atque adeo paſſivè accepta. Quod ita confirmo. Quandiu non ſequitur mors, non dicitur perpetratum homicidium. Siquidem de ratione homicidii eſt, quod extinguat vitam hominis, ita ut per hanc extinctionem formaliter conſtituatur. Ergo ſi in Eccleſia non extinguitur vita hominis non committitur in ipſa homicidium, cum non fiat id, in quo formaliter conſiſtit homicidium. Ergo neque habetur excluſio immunitatis inducta à Conſtitutione Gregoriana per homicidium, quia Conſtitutio accipienda eſt de homicidio propriè dicto. At vulnus lethale eſt cauſativè tantum homicidium, non autem formaliter. Conſtitutio autem quæ diſponit de homicidio non ſe extendit ad cauſam homicidii. Sunt enim valdè diverſa cauſa, & effectus ex ipſa ſequutus.

3 Id quod certiſſimũ eſt, ſi ex cauſa data in Eccleſia mors ſequatur poſt tempus conſiderabile. Quoniam non ſolum militat ratio, quod homicidium, non ſit ſequutum in Eccleſia, ſed etiam remanet dubium, an ex ſola cauſa data in Ecceſia, vel etiam ex alia ſuperveniente ſit mors ſequuta. Quia ſi ſupervenit alia cauſa indicat quod data in Eccleſia non fuerit ſufficiens pro morte. Et proinde illa actio non fuerit cauſativè homicidium. In dubio autem cenſendum eſt pro vulnerante, quia ſemper, quando eſt poſſibile, ſumenda eſt illa interpretatio, quæ excludit delictum.

4 Confirmatur itidem animadvertendo quod verba Conſtitutionis Gregorianæ, *Quive homicidia, & mutilationem membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve Cœmeteriis commitere non verentur*, exigunt, quod homicidium phyſicè commitatur in ipſa Eccleſia, vel Cœmeterio. Idque probo, quia in dicta Conſtitutione excipiuntur inter alios caſus homicidia, & mutilationes. Exceptio auſirmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis, *l. Nam quod liquidè*, §.*fin.ff.de pœn.legat* Rot. coram Gregor. XV.*deciſ.*259 *num.*4. Unde cum excipiantur tantum committentes homicidia, & mutilationes membrorum in Eccleſiis, & Cœmeteriis, ſequitur quod vulnerans, etiam lethaliter in eiſdem locis gaudeat immunitate. quia dum in eadem Conſtitutione excipiuntur caſus aliqui apponitur dictio taxativa *Tantum* ibi: *Ita ad unam tantum formam reducimus.* Hæc autem dictio de ſua natura impedit extenſionem ad non expreſſa *l. Properandum, C.de judic.lib.ſi cum exceptio*, §.*Quod ſi hon.c, ff.Quod metus cauſ.*§.1.*in fin.inſtit.de ſtipul ſerv.* Decian. *conſil.*54.*num.*7.*in fin. lib.*1. aliique quos ſequitur Delbene *ibid dub.*24 *ſect.*1. Tum etiam in ipſa Conſtitutione eorumdem caſuum exceptio fit per modum formæ, ut patet ex verbis relatis; *Ad unam tantum formam reducimus.* Nil igitur illis addi, vel minui poteſt, ſed omnia debent ad amuſſim obſervari, ut docet Pariſ.*conſ.* 19.*lic.*3. Roland.*conſ.*3.*n.*3.*& conſ.*72.*num.*60.*&* 68. *lib.*3. *ex l.*1.§. *Opus novum, ff.de nov.oper.nunciat.* Delben *ſup. n.*9. Ac denique, quia in allegata Conſtitutione extenſio fieri prohibetur, ibi: *Sublata eis* &c. Hæc enim clauſula tollit omnino omnem interpretationem, & extenſionem ad caſus non expreſſos, Put. *deciſ.*52.*num.*5. *lib.*1. & unicuique os claudit, Bart. *in l. fin. C. de can. frum. Vrb. Rom. lib.*11. & omnes, Ac proinde exceptio de committentibus homicidia, vel mutilationes in Eccleſiis, vel Cœmeteriis non poteſt extendi ad lethaliter vulnerantes, quamvis graviſſimè delinquant per textum *in cap. Inter alia, de immunit.Eccleſ.*

5 Et quidem indubitatum eſt, quod ut lex extendatur ad aliquem caſum, non ſufficit, quod detur ratio alicujus æquitatis, quæ hanc extenſionem rationabilem reddat, ſed requiritur, quod legiſlator voluerit, & velit illam extenſionem fieri, & legem ſuam ad illum caſum extendi. Unde generaliter verum eſt, quod finis proprius, & proximus legis eſt illi adæquatus, nec illam excedit, nec ab ea exceditur, ac propterea hujuſmodi finis numquam ſe extendit extra caſum in lege expreſſum, quia in verbis legis exprimentibus in particulari hunc caſum, has perſonas vel hunc locum, vel has circumſtantias continetur ratio particularis ob quam legislator aplicavit finem generalem ad hanc Conſtitutionem condendam. Et ita expreſſio Legiſlatoris ad hunc caſum limitat generalitatem finis illamque coarctat, ideoque lex ad ulteriorem non ſe extendit, quia ultra finem, & rationem, ac voluntatem Legislatoris ſe extenderet, cum intentio Legislatoris fuerit finis, ut applicatus ad talem caſum, & ex ratione inventa in eo caſu, quem exprimit. Cum ergo Conſtitutio Gregoriana de ſolis committentibus homicidium, vel mutilationem in Eccleſia, vel Cœmeterio decernat, non poteſt ejus finis proximus, nec ipſa Conſtitutio ad inferentes vulnera lethalia extendi.

6 Et hanc ſententiam tenere coguntur ii, qui docent, præfatam Conſtitutionem præter delicta excepta non habere locum in aliis delictis etiam gravioribus, ac etiamſi polluatur Eccleſia vel Cœmeterium. Hi ſunt Farinac. *conſ.* 76 *à num.*9.*part.*1.*& in append.de immunit.cap.*22. *num.* 35. Ambroſ.*de Immunit.Eccleſ. cap.*5. *num.*4. *&* 6. Franciſc. Leo *in theſaur for.Eccleſ.cap.*13. *numer.*27. Cardin. Tuſch.*tom.*3.*litt.E.concluſ.*11. *numer.*9. Gratian. *diſcept. forenſ.tom.*2. *cap.*389. *num.*29. *cum.ſeqq.* Sanch. *in opuſc.*

*tom.2.lib.6. cap.1. dub.10. num.2.* Elizeus Danz.*in pugn. Doctor.tom.1.de Immunit.Eccleſ. cap.7. num.15.* Gutierez *in pract.qq.lib.3.quæſt.1.num.3.& quæſt.4.nu.12.* Germon. *de Sacr.Immunit.lib.3.cap 16.num 55.* Azeved. *lib.1. tit.2. leg.3.num.18.*Marcell.Vulpes *in prax.for.Eccleſ.cap.3.n.3.* Marant.*in contr.jur.p.reſp.36. nu.29.* Caſtro Palaus *tom. 2.tr.11.diſp.unic.punct.10.numer.6.* Chartar.*deciſ. crimin. 46.num.3.& 4.*Lezan. *v.Immunitas Eccleſiarum num. 11.* Sperellus *deciſ.22.num.8.*Peregrin.*de Immunit.cap.6.nu. 23. & ſeq.*Locatell.*in Breviar.de tortur.inſpect.5.num.159.* Anton.de Marin.*in reſol.quotid.cap.170.num.*10.Ciarlin. *in contr.for.cap.4. num.34.* ipſe Bonacina *tom.2 diſput.3. quæſt.7 pun.7.num.1.*Novarius *in Summ.Bullar.tit.de Immunit.Eccleſ.num 3.& 53* ac ipſe del Bene *d.cap.16. dub. 24.ſect.1.num.11.* & alii, quos adducit, ac ſequitur Diana *part 1 tr.1. reſol.1.*

7 Idem firmat Abb. *in d.cap. Inter alia num.17.* & Anton.Gomez.*tom.3. var.cap.10. num. 2.* ac Boſſius *tit.de cap num.32.* ubi teſtatur, deciſum fuiſſe in Senatu Mediolanenſi, quod nec etiam ex vi illius textus pro crimine læſæ Majeſtatis poſſit reus extrahi, ſicque ob crimen quantumvis grave ultra ibi excepta non ſit extendendus. Quod etiam ſequitur Montald. *p. 1. tit.21. lib.4.* Marian. Socin.*in tr.de citationibus ar.17.num.36.* & Faber. *§.fin. Inſtit.de his, qui ſunt ſui, vel alieni jur.n.2.*Immunitas enim, & favor Eccleſiæ debet amplè intelligi. Atque hinc eſt quod Sac. Congreg. Immunitatis die 10. Martii 1631 declaravit,quod furans in Eccleſia gaudeat illius immunitate. Et Sac. Congregatio Epiſcop. & Regular. die 16.Novembris 1618.etiam declaravit quod immunitate Eccleſiæ etiam gaudeat, qui in illa ferro faciem cuipiam deformat.

8 Neque huic ſententiæ adverſatur communis opinio Doctorum, quæ docet, eamdem exceptionem factam per Greg.IX.*in c.fin.de Immun.Eccleſ.* extendi ad quodcumque delictum grave, commiſſum in Eccleſia, eſto non interveniat homicidium, aut membri mutilatio. De qua communi teſtatur Remig.Gonni *de immun. Eccle. fallent.3.n.5.*Clar.*§ fin.quæſt.30.nu.13.*Bonacoſ. *in comm.opin.p.1.v.Eccleſia,*Covar.*lib.2.var.cap 20. num.15.* Navar.*in in man.cap 25.num.20.* Suar. *de Relig.tom.1.tr. 2.lib.3.cap 11.num.6.*Sylveſt.*in Sum.v.Immunitas 3.q.2.n. 2.*Gambacurt.*lib.5.c.18.* Portel.*in dub.Regul. v. Eccleſiæ immunitas num.15.*Cutell.*in l.Martini Reg.c.17.num.5.& de Immun.Eccleſ.qu.2.& 21.lib.1.* Sar *de jur. Aſyl. cap.5. fol.155.* Probaturque ex eo, quod ob extenſionem rationis, etiam in exorbitantibus à jure, datur extenſio Navar.*in cap Pœna,de pœnit.d.1.*Cochier.*de juriſd.Ordinar. in exempt.tom.2.p.2.q.102.*cum Guttierez,& aliis.

9 Primò, quia multi ex his Doctoribus ſcripſerunt ante Conſtitutionem Gregorianam,in qua ſtrictius,quidem fit exceptio,quam *in d.c.fin.de immun.* per illam dictionē taxativam *Tantum*, & per modum formæ. Deinde quia Summus Pontifex Gregorius ſanxit ſuam Conſtitutionem ad tollendas quaſcumque extenſiones, ac interpretationes Canonum a Doctoribus factas in præjudicium Immunitatis Eccleſiæ,ut obſervat Farinac.*c.76.num.9.* & Franciſc.Leo in *d.c.13.n.7.*Poſtremo quia per hanc Conſtitutionem declaratur *d.cap.fin.Extr.de immun.Eccleſ.* non loqui generaliter de delictis, nec ibi fuiſſe factam mentionem de homicidio, & mutilatione gratia exempli ut aliqui opinantur, ſed excepiſſe à regula tradita *in d. cap.Inter alia* homicidium, & mutilationem tantummodo factam in Eccleſia, vel Cœmeterio.

10 Ex quibus probatio eliditur, Tum quia caſus non expreſſus habetur pro omiſſo,*l.Commodiſſimè,ff.de lib.liber. & poſth.& cap. Inter temporalia, de tranſlat. Epiſcop.* Quod locum habet in omnibus diſpoſitionibus, ut notat Anchar. *conſ.120.initio, & conſ.245. num.5.* ubi docet,id valere,etiamſi major ratio militet,Socin.*c.32.n.18. lib.2.*Alex.*conſ.113.n.5.lib.2.& conſ.133.n.21.lib.1.* Oldrad. *conſ.224.num.14.*Tiraquel.*de jure primog.q.40. num.194.* Unde ſequitur quod in caſu non expreſſo in dicta Conſtitutione delinquens gaudeat immunitate Eccleſiæ, atque adeò quod exceptio non ſit extendenda, niſi ad caſus expreſſos. Id quod præcipuè verum eſt, quia ubi expreſſum requiritur, nod ſufficit tacitum, & præſumptum *cap.2.de præbend.& cap.fin.de procurat.in 6.* Cum autem delinquens gaudeat univerſaliter immunitate, & ſolum in aliquibus caſibus illa privetur, non poteſt illa privari niſi expreſsè illa privetur. Quia ſtante regula generali, opus eſt ſpeciali expreſſione, ut habeatur exceptio, nec contra regulam exceptio eſt admittenda,niſi de illa conſtet, *l.Ab ea parte, ff.de probat.& l.illud, C.de Sacroſ. Eccleſ.& l.fin.C.de hæred.inſtit. & l.apud antiquos,C.de furt.& cap.2. de conjug. leproſ.* Ac proinde in hoc caſu non poteſt admitti extenſio privationis immunitatis Eccleſiæ in vulnerantes lethaliter in Eccleſia, vel Cœmeterio, cùm non ſit caſus inter exceptos in Conſtitutione, extra quos non conſtat de exceptione à regula univerſali immunitatis.

Tum etiam quia, cum ſit conceſſa delinquentibus abſoluta immunitas Eccleſiæ, atque exprimantur in ſpecie caſus, in quibus Conſtitutio Gregoriana voluit illos ea privare, itaut ad conſervandum generalem immunitatem conſtituat Epiſcopos pro illis caſibus Sedis Apoſtolicæ Delegatos, privatio immunitatis pro illis caſibus ſtat taxativè, cumque incluſio unius ſit excluſio alterius *l.Cum Prætor, ff.de judic. cap. Nonne, de præſumpt.* ſequitur, quod expreſſio caſuum, in quibus Rei privantur immunitate Eccleſiæ, nedum includat alios, ſed etiam excludat juxta doctrinam Abb.*conſ.57. num.2. lib.1.* Calderini *conſ.543. alias 12. de ſent. excom.* Angel. *conſ.375. num.3.*Ruin.*conſ.112.num.3.lib.5.* Caſtr. *conſ.468.num.4. lib.1.*Anchar. *conſ.70 num.8.*Gemin.*conſ.15.num.18.& 19.* Atque adeò quod privatio immunitatis in delinquentibus non ſit capax extenſionis de caſu ad caſum ex paritate, aut majoritate rationis. 11

Item quia cùm interſit Summi Pontificis, immunitatem Eccleſiæ vel limitare,vel interpretari,vel derogare, ut oſtendi *tom.1.*ſequitur,quod extenſio privationis ejuſdem Immunitatis eſſet contra poteſtatem Summi Pontificis,& contra jura præſervantia auctoritatem, & juriſdictionem ipſius. Vnde non eſſet extenſio in favorabilibus, ſed in odioſis, in quibus non admittitur, cùm debeant juxta regulam juris reſtringi. 12

Hinc non ſumus in exorbitantibus à jure, ſed in correctoriis. Nam Conſtitutio Gregoriana corrigit jura de immunitate. In correctoriis autem tamquam in odioſis non ſit extenſio, ſed reſtrictio, *argum l.Præcipimus, C. de apellat.in fin.& l.Sancimus, C. de teſtamen. & capit. Cum expediat,de elect.in 6.* Neque dici poteſt, quod debeat fieri extenſio, quia correctio reducit ad jus antiquum cum Gloſſ. *in cap. ſtatutum v. Munerandum, de præb.in 6.* & aliis. Quoniam hoc habet locum, quando jus antiquum non eſt in totum abrogatum, tamquam odioſum, ut notat Tiraquell. *in præfat.ad tract. numer. 59.* Jus autem antiquum de immunitate eſt abrogatum ut odioſum, & præjudicans Religioni, ac ipſi Eccleſiæ & juriſdictioni Summi Pontificis, ac proinde redactum in Novam formam à Gregorio XIV. in dicta Conſtitutione, ut ex ea conſtat. 13

Ex quibus liquet, non eſſe admittendam doctrinam, 14 quam tradunt Covar. *lib.2.cap.20.num.4.in fin.*Cutellius *de immunit.Eccleſ.lib.1.quæſt.4.num.18.* Cevallos,& alii dum docent,immunitatem Eccleſiæ eſſe odioſam,& ſtricti juris, quia detrahit Principibus ſæcularibus. Nam licet ipſis ſit odioſa, eſt tamen favorabilis Religioni, Eccleſiæ, ac Summo Pontifici, atque reis ipſis, ideoque non eſt reſtringenda, ſed amplianda, quia prævalet favor. Quando enim lex habet admixtum odium, & favorem, eſt cenſenda favorabilis, ſi favor ſit ex intentione Legiſlatoris, ut notant Gloſſ. *in cap. Si propter, v.Primi anni, de reſcript.in 6.* Gemin. *ibidem num.9.* Franch.*in 6.*item Gloſſ.*in cap Sciant cuncti, v.Alios de elect.in 6.*Io.Andr.& Gemin.*ibidem* Batt.*in l. Qui exceptionem*

*ptionem num.7.ff.de condit. indeb.* Alber.Jaſ.Salicet. *ibidem.* Caſtr.*in l.ſi quis nec cauſam num.4.ff.ſi autem petatur*, Felin.*in cap.1.num.14.de ſponſal.*Everard. *loc.à ratione leg.ampl. numer.* 68. Sylveſt. *v. Interpretatio in fin.* ipſe Covarr. *lib.1. variar. capit.11. numer.5.* alios citant Mandoſ.*regul.10.de ann. quæſtio.3. numer.7.* Flamin. *lib.12.de reſignat. quæſtio.2. num. 23.* Sanchez *lib.1. de matrim.diſput.1.numer.4.*Tiraquel. *de retract. num.56. & §.30.gloſſ. 1. numer.5.* Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed.1. num.*28.Ioſeph. Ludovic. *deciſ. Lucen.26. num. 23. part.* Cæphal.*conſ.35. vol.1.* Honded. *conſ. 95. num.17.* & deſumitur *ex capit.2.§.Statuimus, de decim.in 6.* ibi: *Cum non ſit dicendum aſperum, ſed pium potius & benignum.* Ratio autem, quia intentio eſt forma legis, & finis dat ſpeciem actionibus humanis. Finis autem, & intentio concedendi immunitatem delinquentibus, fuit non ſolum favor ipſorum, ſed Eccleſiæ ut magis ac magis ut fideles eam venerarentur. Et ex his vana opinione contrariæ declinatio depellitur. Quoniam non ſufficit, ut dicatur patratum homicidium in Eccleſia, quod in ipſa ponatur cauſa ſufficiens ex qua naturaliter ſequatur mors. Quia ſicuti non dicitur homicidium patratum, niſi ſit mors ſequuta, ita nec dicitur patratum in Eccleſia, niſi in ipſa ſit ſequuta mors, præſertim quando ſumus in materia odioſa, quæ ſtrictè accipienda eſt. Non obſtat, quod ſit conſummatum totum illud liberum, & culpabile, quod reperitur in homicidio. Quia quamvis privatio immunitatis ſupponat totum hoc liberum, & culpabile, non tamen inducitur per ipſum, ſed per ipſum verum, & phyſicum homicidium. Vnde ſi mors neceſſario ſequuta ex vulnere, miraculosè impediretur, non privaretur vulnerans immunitate, quamvis præceſſiſſet totum illud voluntarium, & culpabile, quod reperitur in homicidio.

9 Et hanc ſententiam ſequi videtur Sacra Congregatio Immunitatis, nimirum, ſic vulnerantem gaudere, quamvis ob gravitatem delicti procedenlum ſit ſi Sanctiſſimus annuerit ad pœnam extraordinariam. Id quod in ejuſmodi caſibus obſervari ſolet. Vnde vulnerans lethaliter in Eccleſia, ſi ex vulneribus deinde vulneratus moritur damnatur juxta circumſtantias delicti, & ſcandali. Eſt caſus in Tropien.14. Maii 1669. in quo Sacerdos quidam vulnerans lethaliter alium Sacerdotem tempore, quo in choro cantabantur veſperæ ſolemnes, & vulneratus antiphonam canebat, fuit condemnatus ad triremes per decennium à Sac. Congregatione cum oraculo Sanctiſſimi.

## CONSVLTATIO LXVIII.

*An verba hæc à mandante homicidium mandatariis dicta:* Che al bene, e al male, al quale ſtarò io, ſtatete ancor voi, *& hujuſmodi alia æquipolleant rei pecuniæ æſtimabili ſatiſque ſint ad conſtituendum crimen aſſaſſinij, ac proinde ad amittendam immunitatem Eccleſiæ?*

1 DE hac re paucula diximus *in tom.1.* ſed diximus tantum, nunc illam reſolvimus. Affirmant Franch. *deciſ.176.num.11.* ubi refert, Conſilium Neapolitanum judicaſſe pro ſufficientibus verba illa: *Ammazzate queſto M. Antonio, perche ſapete, che la caſa mia vi è aperta è non vi mancherà mai, e che ammazzaſſero il detto M. Antonio, perche gia ſapevano ch'erano padroni di caſa ſua.* Quam deciſionem referunt Baiard. ad Clar. *in §. Aſſaſſinium num.6.* Jo. Anton. de Nigr. *in cap.7. num.73.* Maſtrill.*ad Indult.cap.29.num.14.*Ricc. *de public. judic. quæſtio.37.numer.35.*Thor.*in comp.deciſ. Neapol.part.1.v. Aſſaſſinium, for.47. & part.2. deciſio. v.fol. 25.* Didacus de Marin.*in addit.ad Grammat.deciſ.4.*Epiſcopus Mironen. *v. Aſſaſſinii verſ. ſecus in foro laicali, fol.6.* Rovit. *in pragm. de aſſaſſin. num 5. in fin.* Muſcatell. *in prax. crimin.fol.94.num.55. & 58.* Farinac. *de homicid. quæſtio. 123.in ſpect.4.num.146.&* Michael de Cortiada *deciſ.95. num.18.*

Idem de verbis à mandante dictis mandatario: *Quod numquam ei deerit*, rejecta contraria aſſertione Boſſii *tit. de mandato ad homicid. numer.73.* dixerunt Decian. *tract.crimin.tom.2.lib.9.cap.30.num.16. in fin.* & Farinac. *ſub initio d.n.146.* 2

Ac de verbis mandantis, *Ammazzate il tale, che vi leverò dalle forche*, reſpondit Novarius *qq.forenſ.lib.1.qu.45.n.3.& q.52.n.6.* 3

Prout etiam de verbis, *Ammazzate il tale, che non ni manchera la caſa mia*, cenſuit idem Novarius *d.qu.45. num.4* poſt Farinac.*cenſ.211.num.18.vol.3.* loquentem de promiſſione *d'uſargli corteſia, e che non gli havrebbe mancato caſa ſua.* 4

Et de verbis iſtis famulo à domino dictis: *Fac, ut audiam novum*; & per illum famulum reperitur occiſus inimicus domini, quia præſumitur de mandato domini, ut per Bartol.*in l.ſi quis mihi §.juſſum ff.de acqu.hæred.* quam ſequitur Anchar. *in cap. ex litteris 1. de exceſ. Prælat.* & Bald.*in l.3.in 3.col.C.de ſer.fug. & in c.veritatis in 3 col. de do. & conc.* idemque Bart.*in l.ſi neutri § fin.ff.de priv. cred.* quem ſequitur Bald.*in l.multum, in 2.col.C.ſi quis alteri, vel ſibi*, & in *d.cap. veritatis*, quod præſumitur contra dominum, qui dixit aliquid in aure famulo, & ſtatim famulus commiſit homididium, quod Felinus *in cap.Petrus num.4.de homic.* intelligit, niſi dominus fuiſſet ab aliquo læſus, de quo poſſet in judicio conqueri, quia diceret famulo, Fac vindictam, intelligitur de juſta, ſcilicet accuſando non de injuſta; ſcilicet occidendo, & ideò occiſio non imputaretur domino. Et ita videtur tenere Paul.de Caſtr.*in l.1. C. de his, quibus ut indign.* per illum textum cum *gloſſ. 1.* ubi vindicta facienda per hæredem de morte defuncti, exponitur de juſta. Quod admittit Felinus loco allegato, niſi qualitas domini, vel famuli, vel communis uſus loquendi aliud ſuaderent. 5

Nec non de promiſſione facta, *quod mandans numquam ſit ei defuturus in neceſſitatibus.* Quia talis promiſſio cenſetur pretio æſtimabilis, & æquipollens pecuniæ, Villagut. *de extenſ.leg.tit.de crimin. Aſſaſſinii nu.8.* Juſt.Oſdeſop. *in pract.crimin.tit.2. cauſ.10. num.9.* Vincent. *de* Franch. & Maſtrill. *ubi ſupra*, & alii apud Farinac. *q.113. num.145.& in append.cap.8.n.231.* quos ſequitur Delbene *de immun.cap.16, dub.21.ſect.1.n.12,* & Cortiad.*d.deciſ.95. ſub init.n.18 part.2.* 6

Et generaliter de promiſſo incerto, dummodo pretio æſtimabile ſit, tradunt Franc.Aretin. *conſil.163. numer. 16.in fin.* Gabr.*tit.de malef.concluſ.1.num.3.* Maſcard. *de probation. vol. 1. concluſ.138. num.2.* Farinac. *in princip. præcitat. num.146. dictoque conſ.211. num.18.* cum aliis, quod ſequuti ſunt Thom. Delbene, & Cortiada *locis allegatis.* 7

At contrarium tenendum eſt cum Giurba *conſil. 70. num.25.& 26. ac 37.* ubi de communi, Farinacio *ibidem* ubi Baldum adducit, Boſſio *tit. de mandat. ad homicid. num.35. & conſil.170. num. 18. & ſeqq. lib.1.* & conſuluit Gabr.*conſ.170.num.6.& ſeq.*Burſat. *conſ.20. num.4. lib.1.* Bertazzol.*conſ.141.num.38. vol.2.* Honded. *conſ.93. num. 66.lib.2.* ubi teſtatur de communi, Rimin.jun.*conſil.685. num.12.lib.6.*Grammat.*vot.11.num.29.*Corn.*conſ.249.lib.1.*Eugen.*conſ.76.num.138.*Cabal. *in tract.de omn.gen. homicid.num.494.*Vulpel.*conſ.143.num.5.*Baiard. *ad Clar.in §.Aſſaſſinium n.7.* traduntque Peregrin. *de immun. cap.7. num.40.*Ambroſ.*eodem tit.cap.7. numer.9.* Dian. *part.6. tract.1.reſolut.11.*Squillant.*de privil. Cler. cap.7. nu.113.* Barboſa *de jur.Eccleſ.lib.2.c.3.n.97.*Lezan. *d.v. Immun. numer.13.*Bonacina *diſput.3. quæſt.7. de immun. punct.4. num.18.*& ita deciſum refert Bardellon. *conſ.133. numer. 36. & conſ.147.numer.24.lib.2.*Decian.*tract.crimin.lib.4. cap.30.num.17.*Guaz.*defenſ.4.cap.13.n.8.* Add.ad Farinac. *conſ.4.lit.K, limit.2.& conſ.10.n.1.& ſeq.* Ratio autem eſt, 8

quia

quia promiſſio debet eſſe certa, & ſpecifica, non autem incerta & generalis, quemadmodum eſt illa, quæ in verbis allegatis continetur, *l. triticum & l. ita ſtipulatus, in princip. ff. de verb. obligat. l. 2. §. Si quis Inſulam, ff. quod certo loco, & l. cum poſt' §. Gener, ff. de jur. dot. l. 1. tit. 11. part. 5.* ac alibi, ubi hujuſmodi promiſſiones irritas eſſe ratione incertitudinis, decernitur. Nam ejuſmodi verba urbanè, atque ad complacendum potius, quàm ad ſe aſtringendum verbis generalibus aliqua offeruntur, ideòque non inducunt obligationem. Vt ſi petenti unum, illud concedatur, & inſuper addatur, reliqua etiam bona mea, tua ſunt, & de illis, quod libuerit, facere poteris. Aut ſi nihil petenti dicatur; mea omnia bona in tuum obſequium ſunt parata, & de eis facere poteris, quod libuerit. Ita Panorm. *in cap. Cum veniſſent, de inſtitut. num. 5* ibique alii Felin. *in cap. Cum juramento, de homicid.* Navar. *de datis & accept. monit. 11. n. 23.* & plures alii, quos *in citat. cap. Cum veniſſent* adducit Molina *de juſtit. & jur. diſput. 268. num. 4.* & Sanchez *in Decal. cap. 13. num. 4. tom. 1.* Quicquid ſit in materia voti, vel alterius cauſæ piæ, qua de re idem Sanchez *eo loco*, & Molin. *diſput. 198.* Hæ autem, ac ſimiles formulæ loquendi uſurpantur ſolummodo teſtandi animi cauſa, non autem ex intentione ſe abſolutè obligandi; unde abſolutè non obligant. Quando quidem ſola promiſſio certa, & ſpecifica, vel ſolutio pecuniæ, vel alterius rei loco pecuniæ conſtituit Aſſaſſinium ex doctrina Saliceti *in l. Non ideò minus nu. 36. C. de recuſat.* ubi æquiparat pecuniæ receptionem, vel promiſſionem, Grati *conſ. 52. num. 47 lib. 2.* Curtii ſen. *conſ. 20. num. 43.* Capycii *dec. 125. num. 6. & ſeq. & num. 17. & ſeq.* quos refert ac ſequitur Farinac. *in pract. crimin. part. 2, tom. 3. q. 123. nu. 36. 40. & 145.* Boſſii *tit. de mand. ad homic. n. 14. & 35.* Grammatici *vot. 9. 2* Ambroſini *de immunit. cap. 7. num. 3. & 9.* & Gutierez *li. 3. pract. qu. 7 num. 20.* Riminaldi, Eugenii, Gabrielis, Deciani, Vulpelli, & Caballi locis allegatis. Et ex his ratio in contrarium everſa eſt. Et hanc etiam opinionem ſequitur Sac. Congregatio Immunitatis, quæ aliquando, conſiderata qualitate mandantis ac mandatarii, aliiſque rei circumſtantiis, egit cum Sanctiſſimo pro pœna extraordinaria, ut alibi adverti.

8 Et nota, quod antequam ſequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate, ex Sac. Congregatione ſuper Epiſcopis in Sarzanen. 21. Februarii 1620.

9 Conſtitutio Gregoriana non habet locum in eo, qui mandat, ſeu mandatum recipit, vel cooperatur ob pretium acceptum, vel promiſſum ad vulnerandum, vel faciem vulneribus deturpandum. Quia tales impropriè dicuntur aſſaſſini, ex eadem Sacra Congregatione ſub die 25. Iunii 1601.

10 Si mandatarius nihil adhuc attentaverit, licet mandatum cum pecunia receperit, mandans non privatur immunitate, eadem Sac. Congregatio in eadem Sarzanen. 21. Februarii 1620.

## CONSULTATIO LXIX.

1 *An liceat Superioribus laicis præcipere, quod non ponantur in ſcrutinio ſimplices Clerici pro electione Magiſtratuũ?*

2 *An iiſdem Clericis in ſcrutinio poſitis poſſit à Superioribus laicis denegari poſſeſſio illius officii Magiſtratus, ad quod fuerunt electi?*

3 *An ſit permittendum, quod in libris publicis Communitatis regerantur litteræ continentes prohibitiones, atque præcepta Superiorum ſæcularium contra Clericos tam in primo, quàm in ſecundo caſu ſupradictorum quæſitorum?*

4 *An à dictis Superioribus laicis præcipi poſſit eiſdem Clericis, ut non exerceant Magiſtratum, quando ad illum electi fuerint? &*

5 *An iidem Superiores laici poſſint condere decretum aliquod, vel alium actum judicialem facere, quo declarentur ejuſmodi Clerici incapaces ad exercendum officia publica; quamvis illis ſacris Canonibus prohibeatur?*

1 CUm hæc quæſita Procurator Fiſci Curiæ Archiepiſcopalis Firmanæ Sac. Congregationi Immunitatis Eccleſiaſticæ proponeret, Sac. Congregatio die 20. Decembris 1667. ita reſpondit.

2 Quoad primum poſſe præcipere laicis ſibi ſubditis, ne nomina Clericorum in urnam coniiciantur.

3 Quoad ſecundum, poſſe.

4 Quoad tertium, poſſe, dummodò ordo non feratur directè in Clericos.

5 Quoad quartum, negativè.

6 Quoad quintum, pariter negativè.

7 Sed quid de Clericis conjugatis? Eadem S. Congregatio in una Avellinen. reſpondit. Clericos conjugatos, habentes requiſita *cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.* eſſe capaces intereſſendi Conſiliis publicis Communitatis, & ſimilibus, & non poſſe ab Ordinariis eis prohiberi. Die 3. Octobris 1634.

8 Et *in Tudertina* Epiſcopo ſcripſit in hunc modum, *I decreti del Conſeglio di coteſta Città eſcluſivi de' Cherici conjugati dagli ufficii publici, a' quali ſono ſtati eletti, repugnano all' immunità Eccleſiaſtica; di modo che V. S. doverà operare con mezo proprio, che venghino rivocati, con notificare à colui, che in eſſo hà havuto partes che conſulat propria conſcientia per l'incorſo delle cenſure. Quando però i detti Cherici volontariamente s'aſtengono ad accettare i detti uficii, ſarà ſtimato effetto della prudenza di V. S. Di Roma a' 16. di Novembre 1634.*

9 Et in *Anagnina* Gubernatori. *Eſſendoſi dato parte a Noſtro Signore, come Federigo Ricchezza, benche ſia Chierico congiugato, voglia eſercitare il carico di Conſervatore di coteſta Communità, la Santità Sua hà commandato, che ſi aſtenga da queſto, e da ogni altro ufficio publico. Però voi non permetterete, che l'eſerciti, e farete eleggere altro in luogo ſuo. E Dio vi guardi Di Roma a' 2. di Maggio 1640.*

10 Et *in Viterbien.* Communitati. Sacra &c. cenſuit, Clericos conjugatos admitti debere de rigore juris ad Magiſtratus, & officia, ſed ſcribendum Eminentiſſimo Epiſcopo, ut pro ſua prudentia curet, illos voluntariè abſtinere ab hujuſmodi prætenſione, vel ſervatis ſervandis, prævio termino competente declaret privatos privilegiis clericalibus, quatenus non incedant, ut ſupponitur, in habitu, & tonſura Die 27. Februarii 1646.

11 Ac denique die 17. Octobris 1667. ſcripſit Gubernatori Marchiæ, *che debba far cancellare dal regiſtro una ſua lettera ſcritta al Governatore di Recanati, con cui gli ordinava d'invigilare, perche non s'ammittino all' officio di Magiſtrato perſone, c'hanno il carattere di Cherico, ſe però non renunciaſſero a i loro privilegi, e che le renuncie ſi accettaſſero dal Veſcovo.*

12 Et quidem rectè agunt ii Principes, qui hujuſmodi hominibus exemptis, niſi optimæ vitæ ſint, non utantur, præcipuè in inferioribus muneribus, ut in omnibus ferè dominiis cautum videtur peculiaribus ſtatutis, quorum meminit Vincent. de Franch. *deciſ. 379.* Maſtrill. *de Magiſtr. lib. 2. cap. 6.* Carleval: *de judic. fol. mihi 205. num 453. tom. 1.* & Tap. *deciſ. 10. num. 8.* qui tam Clericis, quàm Equitibus Hieroſolymitanis publicorum munerum collationem, & adminiſtrationem prohibitam refert, quamvis ſubdat in Senatu Italico deciſum eſſe, in hac prohibitione legationem publicam non includi, & propterea Equitem quendam Hieroſolymitanum Legatum à Civitate Neapolitana miſſum admitti debuiſſe, cui obſtat Alber. *de ſtat. p. 2. qu. 160.* aſſerens nomine officii legationem etiam venire, & favet titulus *ff. & C. de legat. Civit.* ubi tale officium cenſetur munus publicum, ad quod infames non admittuntur. Rationes ſunt perſpicuæ tum politicis, tum juriſdictionis Eccleſiaſticæ myſtis.

## CONSULTATIO LXX.

### Miſcellanea.

*In qua ſtrictim multæ, ac curioſæ quæſtiones abſolvuntur.*

AN cum eo, qui vivente prima uxore in monaſteriam detruſa in pœnam commiſſi adulterii, ſecundam duxit, quia falsò audivit primam eſſe mortuam; quare coram Ordinario introducta cauſa, fuit declaratum matrimonium nullum, & ipſe punitus, poſſit ſuper bigamia diſpenſari, ut ad Ordines promoveri poſſit, cùm dicta prima uxor fieri velit monialis?

Reſpondetur, poſſe habilitari ad Ordines ſuſcipiendos, emiſſa tamen prius per uxorem profeſſione.

An Sacerdos Armenus, qui poſt obitum primæ uxoris, quam virginem duxerat cum ſecunda contraxit, poſſit abſolvi, & cum eo diſpenſari, ut Miſſam celebret in Vrbe ritu latino.

Reſpondetur: Poſſe celebrare ritu Armeno, dummodo tamen prius abjuret de vehementi.

An qui exiſtens tantum Diaconus, audivit Confeſsiones Sacramentales, & baptiſmum ſolemniter miniſtravit, deindeque ſe ad Presbyteratum promovere fecit, poſsit abſolvi ac diſpenſari?

Reſpondetur, Poſſe committi Ordinario, qui illum prævia abjuratione abſolveret cum ſuſpenſione executionis Ordinum per tempus arbitrio, &c.

An proviſus de Danonicatu ob reſignationem fratris ſui, aſſerens; quod niſi hæc reſignatio fiat in manibus Capituli, cujus major pars eſt hæretica; ipſe non poterit adipiſci Canonicatum, ſed à dictis Canonicis hæreticis conferretur alicui eorum ſectæ, poſsit cum eo diſpenſari?

Reſpondetur: Poſſe diſpenſari, ut dicta reſignatio ad ipſius favorem fieret in manibus dicti Capituli, dummodò poſt adeptam poſſeſsionem petat proviſionem à Sede Apoſtolica, & in expeditione narretur nullitas tituli obtenti à Capitulo ex cauſis, de quibus fiat mentio, & hoc concedatur pro foro conſcientiæ tantùm.

An cum eo qui poſt contractum matrimonium per verba de futuro, ac illud conſummatum juſſu parentis Ordines minores & Subdiaconatum ſuſcepit, poſteà uxore, & ejus patre inſtigantibus per decretum Curiæ ſæcularis fuit damnatus ad ducendam illam in uxorem, prout duxit, declarata nulla ſuſceptione ordinum à Vicario Epiſcopali, deinde uxore mortua ad alios Ordines ſe promoveri fecit, Canonicatumque obtinuit, poſsit diſpenſari?

Reſpondetur, poſſe committi Ordinario, ut prævia judiciali abjuratione ſaltem de vehementi illum diſpenſet, & habilitet.

Quid cenſendum de Sacerdote ritus latini, qui matrimonium cum muliere ritus græci contraxit?

Reſpondetur. Præviis examine, abjuratione,& reaſſumptione habitus Clericalis poteſt reconciliari.

An græcus ordinatus ab Epiſcopo ſchiſmatico poſsit habilitari ad executionem ſuorum Ordinum?

Reſpondetur: Poſſe in ritu græco tantùm.

An Diaconus, ſive Presbyter græcus habilitari poſsint, ille ad ſuſcipiendum Presbyteratus ordinem ritu latino, iſte ut tranſeat ad ritum latinum?

Reſpondetur: Poſſe, dummodò amplius non redeant ad ritum græcum.

An cum muliere græca, mortuo ejus viro presbytero, poſsit diſpenſari, ut cum alio contrahere poſsit?

Reſpondetur. Affirmativè idque etiam non obſtante conſuetudine quod relicta presbyteri, alteri nubere non poſsit.

Quid agendum cum Apoſtatata à fide, & à Religione?

Reſpondeo. Recipiatur ad abjurationem, abſolvaturque ab excommunicatione, ac detur ei licentia tranſeundi ad aliquam aliam Religionem Monachorum ſi inveniat benevolos receptores. Interim maneat in ſæculo in habitu Clericali, & ſuſpendatur ab exequutione ſuorum Ordinum arbitrio, itaut illos ſine expreſſa licentia exercere nequeat.

Catholicus quidam in partibus hæreticorum iuvenili ætate cum iuvencula clandeſtinè coram duobus vel tribus tantùm, inſciis utriuſque parentibus, matrimonium contraxit, ſed ante ejus conſummationem metu & inductione patris cum alia in faciem Eccleſiæ contraxit, prolemque ex ea genuit. Quæritur an ad evitandas cædes atque exitia, nec non ſcandala inter Catholicos cum irriſione hæreticorum diſpenſari poſsit in primo matrimonio rato ad favorem ſecundi conſummati?

Reſpondeo. Conſtito canonicè ac legitimè de narratis poſſe diſpenſari ſuper matrimonio rato ad favorem ſecundi conſummati.

Cum puellis ab Hebræis ultra ſecundum gradum trahentibus originem diſpenſatur, ut ingredi Religionem poſsint, & habilitantur ad officia, & munia Religionis.

An laici ritus latini à Sacerdote Rutheno catholico Sacram Euchariſtiam ſumere poſsint?

Addubito. Quia Sacerdotes Rutheni illam laicis miniſtrant ſub utraque ſpecie. Non ignoro tamen ſemel atque iterùm fuiſſe permiſſum die 12. Iunii 1603. & ex decreto permiſsivo hujuſmodi adminiſtrationis Euchariſtiæ amotam fuiſſe clauſulam. *Devotionis cauſa.*

An Epiſcopus, qui ordinando per alium ipſis ordinandis faciebat porrigere materiam, quam poſtquam tetigerant ipſe proferebat verba, dicendo: *Accipite poteſtatem conficiendi ſacrificium, &c.* rectè ac ritè ſe gerebat in hoc munere?

Reſpondeo negativè. Quare Epiſcopus acriter eſt monendus & hujuſmodi ordinati iterùm ordinandi ſecreto, & ſub conditione. Quod ſi hæc publica ſunt, indeque ortum & ſcandalum publicè reiterentur.

An qui venenum cuidam complici propinat, ne deveniat in poteſtatem S. Officii incidat in Conſtitutionem *Si de protegendis?*

Affirmo, ſi in loco delicti Conſtitutio ejuſmodi ſit publicata.

Quid agendum de tradito Curiæ ſæculari in cujus carceribus hæreticum impœnitentem ſe oſtendit?

Reſpondeo. Poteſt reduci ad carceres S. Officii, ibique examinari ac ei conſtitui brevis terminus ad reſipiſcendum arbitrio Inquiſitoris, adhiberi viros Religioſos, qui procurent eum reducere in viam ſalutis. Si autem reſipuerit, conſignetur, iterùm Curiæ ſæculari pro executione ſententiæ contra eum jam latæ. Si verò non reſipuerit, feratur ab Inquiſitore contra illum ſententia, uti contra impœnitentem, & tradatur eidem Curiæ, quæ eam omninò exequatur.

An ſæcularis qui indutus ſuperpelliceo intereſt celebrationi matrimonii, uti Parochus, puniendus ſit in S. Officio?

Affirmativè. Abutitur enim Sacramento.

An Turcæ exiſtentes in triremibus; & petentes baptizari, ſi baptizentur, fiant liberi?

Reſpondeo, Poſſunt baptizari, & poſteà debent reſtitui Domino ſuo.

An hebræus infans, quem ejus nutrix chriſtiana baptizare fecit, inſcio patre, ſit patri ſuo reſtituendus?

Reſpondeo, non eſſe reſtituendum patri Iudæo, eſſeque verè baptizatum, & ejus patrem teneri ad præſtandum alimenta.

An Strigis deponentibus ſe vidiſſe tales, etiam eos nominando, in diabolicis ſuis ludis, & Congregationibus, credatur?

Reſpondeo. Non creditur in præiudicium aliorum.

An filii infantes mulieris, quæ apoſtatavit à fide, & illos genuit cum patre Turca, poſſint baptizari?

Poſſunt baptizari poſt abſolutionem matris, ſi ipſa inſtet, etiam invito patre.

An Doctores Catholici poſſint in cauſis Eccleſiaſticis conſilium dare Officialibus hæreticis, illud petentibus?

Reſpondeo, hoc eſſe contra ſacros Canones, atq; adeò non poſſe.

An Parochis, qui in partibus Turcarum domos Chriſtianorum aſpergendo eos aqua benedicta benedicunt, cùm cogantur à Turcis etiam id in eorum domibus facere, poſſit permitti, ut hoc faciant?

Reſpondeo, poſſe id permitti, dummodò non adſit contemptus, ſeu periculum ſuperſtitionis ex uſu aquæ benedictæ apud eos remanentis.

An puella Iudæa, quæ confugiens ad chriſtianos pluries aſſeruit ſe velle fieri chriſtianam, conſignanda ſit ſuis parentibus?

Reſpondeo, puellam hanc collocandam eſſe apud mulierem nobilem chriſtianam, ipſam ejuſque parentes examinandos, & facta diligentia, ipſaque nolente fidem amplecti, eſſe parentibus reſtituendam.

Vir pius ſolitus componere lites, & diſcordias ad ejus notitiam devenit aſſaſſinium machinari contra Conſultorem S. Officii, quem ipſe per ſuas literas monuit, ut ſibi caveret. Verùm læthaliter percuſſus dictus Conſultor, fuerunt dictæ literæ in judicium exhibitæ, ac ſuper eis examinatus idem vir pius, qui illas recognovit, recuſans tamen detegere factum aſſerit, fuiſſe ſibi commiſſum ſub ſigillo ſecreti naturalis. Dubitatur, an poſſit cogi ad veritatem integrè fatendum.

Reſpondeo, hujuſmodi virum eſſe cogendum ad veritatem fatendam.

An Chriſtianus, qui occaſione converſationis habitæ cum Iudæis multos eorum pueros in articulo mortis conſtitutos baptizavit, licitè id fecerit?

Reſpondeo, id non licuiſſe neq; licere, niſi ubi nulla ſpes adſit, quod hujuſmodi pueri poſſint ſupervivere, nec adſit ſcandalum.

Qua pœna puniri debeat mulier, quæ ad confingendum partum ſuppoſitum curavit baptizari infantem aliàs baptizatum?

Reſpondeo. Poteſt torqueri ſuper intentione, abjurare de levi, & manere præ foribus Eccleſiæ cum candela accenſa, & inſcriptione.

Quid agendum ſi magnus Princeps hæreticus tranſiturus ſit per Vrbem?

Reſpondeo per conniventiam diſſimulandus erit ejus acceſſus ad Vrbem, liberaliter, & ſplendidè cum eo agendum à Sanctiſſimo, alieno tamen nomine, & quod ſi inſtiterit admitti ad deoſculandum pedes Sanctitatis ſuæ, poterit admitti, ſecretò tamen. Sic olim actum cum Palatino Rheni ſub Paulo V. Aliàs connivendum, ut per aliquot dies morari poſſit in Vrbe, dummodo abſque ſcandalo, ſecreto, & privatim vivat. Quod oretenus eſt ei ſignificandum, ut actum ſub Vrbano cum quadam Principe hæretica.

An mulieri ad fidem Catholicam, à qua apoſtataverat, converſæ poſſit concedi, ut incedat in habitu Turcico ad mortis pericula evitanda?

Reſpondeo negativè, cùm talis habitus ſit proteſtativus ſectæ Turcarum.

*An propoſitio, quod ſacramentum Extremæ Vnctionis poſſit validè miniſtrari oleo ab Epiſcopo non benedicto digna ſit aliqua cenſura?*

Reſpondeo, eſſe temerariam, & errori proximam.

*An Confeſſarius filiam ſpiritualem cognoſcens puniatur in S. Officio?*

Reſpondeo negativè, ſi confeſſione, vel confeſſionario non fuerit abuſus.

Blaſphemare audientes, & non denunciantes quando incurrant excommunicationem?

Reſpondeo, tunc incurrere, quando per tales blaſphemias credunt, vel dubitant illos eſſe hæreticos, vel ſuſpectos de hæreſi.

*An abſolutio ab hæreſi cenſeatur comprehenſa ſub clauſula generali poſita in Iubilæis, videlicet, quod quilibet poſſit abſolvi ab omni cenſura etiam contenta in Bulla Cœnæ Domini?*

Reſpondeo negativè. Vnde ſolet fieri ſpecialis reſervatio. Illud tamen admoneo, quod clauſula præſervativa poſita in Iubilæo, ſcilicet excepto peccato hæreſis, intelligitur de hæreſi formali, non autem de peccatis continentibus ſuſpicionem hæreſis.

An Prælati regulares habentes quaſi juriſdictionem Epiſcopalem poſſint procedere in cauſis S. Officii contra ſuos ſubditos ſæculares?

Reſpondeo, poſſe, dummodò habeant territorium ſeparatum, & exemptum à juriſdictione Epiſcoporum.

FINIS SECVNDI TOMI.

SIGNATELL
CONSVLTA
CANONIC

TOM. 2. 3.

B
1
27